DE REALI CHRISTI PRAESENTIA IN EVCHARISTIA,

ET DE TRANSVBSTANTIATIONE PANIS ET VINI IN CORPVS ET SANGVINEM CHRISTI,

Libri tres:

In quorum postremo nominatim respondetur Fortunato cuidam, Caluini discipulo.

AVCTORE

GREGORIO DE VALENTIA,

SOCIETATIS IESV.

Cum Gratia & Priuilegio Cæsareæ Maiestatis.

INGOLSTADII,

Ex Officina Typographica DAVIDIS SARTORII.

Anno clɔ. Iɔ. XXCVII.

170289

XVI. Qu. 3616

STRENVIS, NOBILIBVS, MAGNIFICIS, AMPLISSIMISQVE REIPVBLICÆ FRIBVRGENSIS APVD NVITHONES VIRIS, DOMINIS IOANNI A LANTEN, cognomento HEID, & LVDOVICO ab AFRI, Equitibus atque Prætoribus, aliisq; Senatoribus, Patronis benignissimis atque optimis:

GREGORIVS DE VALENTIA SOCIETATIS IESV Theologus, salutem & felicitatem à DEO Optimo Maximo precatur.

QVOD librum hunc meum vestro potissimùm nomini, Viri clarissimi, quātumuis nec vobis familiariter notus, & longè disitus, dedicandum esse censuerim; non tam vobis, vt arbitror, prętер exspectationē accidet, quàm probabitur ab iis omnibus qui rationes huius consilij mei attentiùs perpenderint. Nam siue argumentum ipsum, quod tracto, siue virtutem vestram excellentem, siue vestra etiā in Societatem nostram præclara merita, animo mecum reputo, vndiq; mihi caussæ suppetūt, quę me ad hoc faciendum iure optimo impellant. Primùm enim, quis nescit, errorē Sacramentarium, cōtra quem pugno, & quem vos summis votis, pro prętāti vestra erga rem omnium diuinissimam religione, expugnatum

atq; profligatum esse cupitis, in Heluetia maximè, cum summa pernicie Reipublicæ Christianæ, vel natum esse, vel incrementum cœpisse, vel etiam hoc tempore, operante Sathana per suos administros, & quidē in locis præsertim ditioni vestræ finitimis, corroborari? Fuit aliquando communis omnium Heluetiorum laus, quòd apud illos maximè, si vsquam alibi, viguit, & floruit, & culta est vera erga sacrosanctam Eucharistiam fides atque religio, quam & Deus ibidem, cùm aliis argumentis, tum insigni miraculo contestatus est, quum sanctissimo viro Nicolao Vndervvaldio Anachoretæ (cuius anniuersaria memoria, propter felicē è corpore, annis abhinc centum, migrationem, hoc ipso die apud vos celebratur) vitam isto duntaxat cœlesti cibo annos viginti prorogauit; vt vel ex hac re posset intelligi, eū ipsum in sacra Eucharistia verissimè cōtineri & percipi, qui vera vita est, & cuius ex carne viuifica & sanguine, sanguis etiā & caro nostra quodā modo alitur, & quasi pignus quoddam accipit immortalitatis, vtà D. Irenæo antiquissimo & maximo auctore grauiter

Ioan. 14.

Irenæ⁹ lib. 5. cap. 2.

uiter ſcriptũ eſt. Sed inuidit hanc felicitatem, & ſingularem Dei gratiam, Heluetiæ Sathanas, à quo, quoniã erat iratus Deus, perfectum eſt, vt non omnes iam in Heluetia obediant Chriſti Euangelio, nec in ea fide permaneant, quam eius Euangelij verbis clariſsimis de hoc ſanctiſsimo Sacramento traditam acceperant, ſed pleriq; ad Euangelium aliud transferri ſe paſsi ſint, cui, licet Angelum de cœlo (nedum hominem Zuinglium aut Oecolampadium aut Bertholdum Haller) habuiſſet auctorem, anathema dicere debuerunt. Verum enimuerò, quamuis hi communem quidem Heluetiorum laudem infamia huius erroris atq; defectionis ſuæ à fide obſcurauerint, ſeu potius extinxerint; tamen gloriam illam, quæ veſtra propria (Viri ampliſsimi) & aliorũ Catholicorum omnium in Heluetia, eſt, tantò clariorem reddiderunt, quantò conſtantia veſtra, in recta fide, illis ab ea turpiter deſciſcentibus, nunc eſt illuſtrior. Quæ gloria in retinenda atque defendẽda veriſsima religione, vel hoc nomine inclytæ veſtræ Reipub. Friburgenſi conſtat auguſtior, quòd ab adulterini dogmatis Galat. 1.

Sectatoribus & Patronis vndiq; circumcincti, modisq; omnibus tentati & oppugnati, tantū abest vt aliquid vnquā remiseritis de sanctissimæ religionis studio, vt indies etiam, quæ ad Ecclesiæ Catholicæ ornamentum sacrumque cultum pertinent, confirmare & augere conemini, ac eius rei caussā periculis nec paucis nec leuibus vos obiicere, minimè dubitetis. Ita fit, vt hęc laus ac decus religionis, maiorem vobis, Viri amplissimi, existimationem auctoritatemq; apud bonos & prudentes omnes conciliet, quàm quòd florentem & optima ratione cōstitutam Rempub. habetis, quòd sapienter eam moderamini, quòd multis præterea populis imperatis, quòd propter bellicam fortitudinem, & singularem omnis rei militaris scientiam, ac victoriam ex prostratis hostibus sæpenumerò reportatā, clari ac celebres vbiq; estis. Porrò merita vestra in Societatē nostram ita illustria sunt, vt facilè etiam agnosci possit, ab eadem virtute vestra singulari, de qua nonnihil hactenus à me dictū seu potius insinuatum est, esse profecta. Nam, cùm nobis nihil tale cogitantibus, nedum ambientibus, aliqui

qui è Societate nostra operarij in amplam istã Friburgensium messem expetiti veniſſent, vt partim in literis tradendis, partim in fide Catholica tuenda atq; promouenda (ſicut alibi paſſim) operam ſuam ſtudiumq́; ponerent; & in vtroq; genere feliciter, Chriſto ipſis propicio, laborare cœpiſſent: Iudicium veſtrum fuit, Viri clariſſimi, optimè vos de re Catholica poſſe mereri, ſi de nobis, qui nihil à vobis meriti eramus, benè mereremini. Quocirca non ſolùm cõmodam pulchramq́; Scholam ad docendum, ſed etiam egregiã ad viuendum habitationem illuſtri in loco ciuitatis, nec ſine permagnis ſumptibus, exædificandam nobis curâſtis. Ad hoc autem inſigne beneficium tam multa alia & tam magna quotidie in noſtris hominibus vel defendendis vel ornandis, & tanta id quidem cum beneuolentia atque charitate erga nos verè paterna, adiungitis; vt quò nobis vehemẽtius propter hanc cauſſam (vt fit) aduerſarij & æmuli inuident, iniquioribusq́; calumniis atq; mendaciis cõtinenter proſcindunt, eò nos magis vobis eſſe obſtrictos, animis quã poſſumus gratiſſimis, agnoſcamus.

scamus. Quæ cũ ita sint, multæ ex omni parte (sicut initiò aiebam) rationes exstiterũt, quibus adducerer, vt in signum animi grati & beneficiorum vestrorũ in mei ordinis homines memoris, ad vos potissimùm hunc librũ mitterem: in quo mihi propositum est, cõfirmatis ac in aptam rationem disputandi redactis, quæ ab aliis auctoribus de eadem re copiosè scripta sunt, & non paucis etiam vel argumẽtis, vel explicationibus à me additis, Sacramentarium errorem nouorũ Berengarianorum, quantũ adiutore Deo possim, expugnare, & pro mea parte efficere, vt tãdem aliquando verũ fuisse appareat Caluini siue præsagium, siue vaticinium, qui de posteritate, in qua suum diu conseruaretur Euangelium, adeò nihil sibi pollicebatur, vt etiam palàm scriberet, ne cogitare quidẽ de illa se audere. Valete felices, Magnifici atq; amplissimi Viri, & pergite cõstanter, vt facitis, Catholicã religionẽ tueri atq; promouere, accepturi suo tempore à Christo coronam in cœlis immarcessibilem. Datum Ingolstadij, 21. Martij, Anno Domini 1587.

Præfatione in Catechismum suum Ecclesiæ Geneuensis.

DE REALI PRAESENTIA CORPORIS ET SANGVINIS CHRISTI IN EVCHARISTIA, & de Transſubſtantiatione panis & vini in corpus & ſanguinem CHRISTI,

LIBRI TRES.

DVæ ſunt de Sacramento Euchariſtiæ præcipuæ cõtrouerſiæ. Una eſt; Vtrum in ſpeciebus panis & vini contineantur reuera corpus & ſanguis Chriſti poſt conſecrationem. Altera; An ſibi continentur, fiat hoc per conuerſionem ſubſtantiæ panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti, ita vt non maneat ampliùs in illis ſpeciebus ipſa panis & vini ſubſtantia, ſed tantùm eius accidentia, ſub quibus exiſtant corpus & ſanguis Chriſti. Vtramq; controuerſiam ordine explicabimus, quàm breuiſſimè & clariſſimè fieri poterit.

LIBER PRIMVS,

DE REALI PRAESENTIA CORPORIS ET SANGVINIS CHRISTI IN EVCHARISTIA.

CAPVT PRIMVM.

Proponitur status controuersiæ & methodus, qua veritas Catholica confirmabitur.

QVAESTIO igitur est primò; Vtrum corpus & sanguis Christi contineantur realiter & substantialiter in Eucharistia, ita vt ore etiam corporis in ea sumi possint? Hæretici Sacramentarij negant. Ecclesia Catholica affirmat. Cuius nos verissimam sententiam septem viis demonstrabimus. I. Ex historia certaminum & opinionum, quæ de hac ipsa quæstione vnquam fuerunt in Ecclesia. Quo loco patebit, errorem Sacramentariorum iam olim multis Orthodoxorum præiudiciis, atq; etiam Cõciliorũ definitionibus, fuisse damnatum. II. Ex verbis quibus hoc Sacramentum à Christo institutum est. III. Ex aliis etiam Scripturæ noui Testamenti locis. IIII. Ex cõmuni consensu Orthodoxorum Patrum. Vbi septendecim argumentis, ex testimoniis ipsorum Patrum exstructis, contra Sacramentariorum tergiuersationes & corruptelas demonstrabimus, assertam fuisse à Patribus illam ipsam Christi præsentiam in Sacramento, quam hodie Ecclesia Catholica profitetur. V. Ex antiqua praxi Ecclesiæ Catholicæ circa hoc Sacramentum. VI. Ex his quæ de vi atque efficacia istius Sacramenti certissima sunt, & ipsi etiam Caluinistæ fatentur. Quo loco planum faciemus, vel nihil rei subesse istorum doctrinæ & verbis, vel debere ipsos necessariò confiteri illam Christi præsentiam in Sacramento, quam nos defendimus. VII. Ex testificatione ipsius DEI externa, qui variis miraculis fidem atque deuotionem populi Christiani circa præsentiam realem Christi in hoc sanctissimo Sacramento confirmauit & auxit. Postremo autem loco, tribus aliis capitibus respondebimus ad obiectiones Sacramentariorum.

CAPVT

CAPVT SECVNDVM.

Probatur primò Christi præsentia realis in Sacramento ex historia errorum, qui vnquam hac de re exstiterunt.

DRincipio ab historia hoc modo rationem cõcludo: Si quod dogma est tale, vt quicunque illi vnquam contradixerint, vel cõtradicere visi sint, eos constet ab Orthodoxis Doctoribus in Ecclesia Catholica fuisse repressos, & damnatos, tanquam repugnantes antiquæ & Catholicæ fidei; dubitãdum non est, quin id dogma sit Catholicum & certissimum ex fide. Tale est autem hoc dogma de reali præsentia Christi in Eucharistia. Igitur dogma Catholicum & ex fide certissimum est. Prior argumenti propositio certissima est. Nam euidens indicium id est, quòd tale dogma sit dogma Ecclesiæ Catholicæ, quæ falli nequit, cùm à Spiritu veritatis regatur, vt [a] alibi ostendimus. Et hac ratione etiam [b] Irenæus Valentinum & Cerdonem hæreticos refutauit: Et [c] Epiphanius, & [d] Tertullianus, atque etiam [e] Vincentius Lyrinensis vniuersos hæreticos. Posterior propositio ex historia confirmanda nobis est. Itaque vt constet quemadmodum in Ecclesia semper error contrarius assertioni de præsentia Christi in Eucharistia fuerit reiectus, breuiter repetemus, quinám hoc loco veritati Catholicæ fuerint vnquam refragati.

Quomodo assertio Catholica ab historia probetur.

AC OMNIVM sanè primi hæretici (vt [f] Augustinus appellat) qui eam veritatem negauerunt, fuerũt increduli illi Christi [g] Discipuli, qui non obstante explicatione mysterij per Christum adhibita (sicut cap. 4. videbimus) *abierunt retrò* cum Capernaitis. Fuit autẽ Iudas Iscariotes vnus ex his, qui tunc mysterium istud non crediderunt, vt diuus [h] Chrysostomus testimonio Christi & Euangelistæ Ioannis confirmat his verbis: *Intuere*, inquit, *Christi sapientiam. Neque Iudam manifestauit, neq; latere voluit. Illud, ne impudentius contenderet. Hoc, ne latere arbitratus, licentius auderet. Quare in sequentibus apertius reprehendit. Prius ergo eum non credentibus annumerauit, cùm diceret: Sunt quidam ex vobis, qui non credunt. Quod his verbis confirmat Euangelista: Sciebat enim ab initio* Ioan. 6.

Quinã negauerint Christi præsentiam in Eucharistia.

a *In lib. Analysis fidei Catholicæ.*
b *Lib. 3. c. 4. contrà hæreses.*
c *Lib. 3. sub finem, in compẽdiaria doctrina.*
d *In præscrip.*
e *In lib. cõtrà hæresum nouit.*
f *In Psalm. 54.*
g *Ioan. 6.*
h *Homil. 46. in Ioan.*

IESVS, *qui essent credentes, & quis traditurus esset eum. Cùm autem in malitia perseueraret, vehementius eum arguit. Vnus*, inquit, *ex vobis diabolus est.* Eadem est sententia D. Augustini, qui dicit: *Manifisse tunc Iudam cum Christo, non ad intelligendum & credendum, sed ad insidiandum.* Quod cùm ita sit, illum eundem præceptorem ac ducem sequuntur Sacramentarij, *qui fuit dux eorum, qui comprehẽderunt* IESVM, sicut & ipsi modo in vnum duntaxat locum tanquam in carcerem IESVM coniiciunt. Iudam autem & alios eiusmodi discipulos incredulos ipsemet Christus summus Ecclesiæ Doctor refutauit.

i *Tract. 27. in Ioan.*

k *Actor. 1.* Iudas Iscariotes est magister Sacramentariorum.

SECVNDO. Corinthij quidam videntur istud mysterium non credidisse, vt ex Apostolo docet diuus Cyrillus Alexandrinus. Nam aduersus eiusmodi errorem Corinthiorum Apostolus cum tanta emphasi & grauitate verborum institutionem Christi repetit: *Conuenientibus*, inquit, *vobis in vnum, audio scissuras esse inter vos, & ex parte credo. Nam oportet hæreses esse.* & quę sequuntur. *Cùm enim*, inquit Cyrillus, *quidam ex iis ignorarent mysterij traditionem & vim, lauta conuiuia & cœnas populares in Ecclesiis agitabant.* Itaque non habuerunt Corinthij isti Eucharistiæ celebrationem pro re vsq; adeò sacra, vt ibi contineretur ipsum corpus & sanguis Christi, sicut Apostolus affirmat, sed pro cœna ferè vulgari, vel tãtùm mystica fortè, ob aliquam significationis rationem. Quem errorem vt vnà cum aliis quibusdam abusibus refutaret Apostolus, Christi institutionem repetiuit, sicut ipse etiam accepisset à Domino; quomodo scilicet dixisset: *Hoc est corpus meum, &c.* Ideò etiam videtur dixisse, eos indignè sumere Eucharistiam, *qui non diiudicarent corpus Domini*, quasi illorum sententiâ non ibi esset. Hoc ipsum confirmare possumus ex Augustino, qui affirmat, idcircò ab Apostolo Corinthios reprehendi, quia non discernebant hoc Sacramentum à ceteris cibis veneratione singulariter debita: cùm nimirum in eo esse reuera Christum non iudicarent: *Inde*, inquit Augustinus, *Apostolus indignè dicit acceptum ab eis qui hoc non discernebant à ceteris cibis, veneratione singulariter debita. Continuò quippe cùm dixisset, Iudicium sibi manducat & bibit; addidit vt diceret, Non diiudicans corpus Domini. Quod satis*, inquit Augustinus, *toto ipso loco*

l *Lib. 4. Pentabibli apud Turrianum lib. 1. de canon. Apostol. & epist. Pont. c. 22.* m *1. Cor. 10. & 11.*

n *Epist. 118. c. 3.*

loco in epistola ad Corinthios prima, si diligenter attendatur, apparet. Vbi Augustinus insinuat, huc etiam pertinere (sicut & Cyrillus notat) illud quod præcedenti capite Apostolus ait: *Panis quem frangimus, nónne communicatio corporis Christi est? & calix benedictionis, cui benedicimus, nónne communicatio sanguinis Christi est?* Quasi essent videlicet aliqui inter Corinthios, qui hoc negarent, etiamsi alij quidam id scirent & crederent, vt insinuat quoque ibi Apostolus. Atque huc etiam pertinet quod ait vetus auctor [o] Sedulius, Apostolum hîc docuisse Corinthios, *quasi oblitos, quàm magnum sit huius mysterij Sacramentũ.* Item illud quod [p] Ambrosij commentarius affirmat: *Deprehenso*, inquit, *& correpto errore; vt de cetero corrigant, & sciant hoc esse* VERVM, *quod dudum in primordiis ipsi didicerant, formam illis, quæ à Saluatore in huiusmodi data est, iterat dicens: Ego enim accepi à Domino, &c.* Et deniq; illud quod ait [q] Hieronymi commentarius: *Quia contentiones*, inquit, *habetis, necesse est vos vsq; ad hæreses peruenire.* Nec verò me latet, quosdam interpretes sentire, Apostolum hoc loco non appellasse hęreses, errores doctrinę; sed solùm vitia morum reprehẽdisse, quòd scilicet Corinthij quidam in Ecclesia comessarentur, nec admitterent pauperes ad communionem cœnæ Dominicæ: Sed tamen nullam esse caussam video, cur non simul de errore doctrinæ circa mysterij sanctitatem, ex mente Cyrilli & Augustini, & aliorum quos citaui, eum locum interpretemur. Ac certè illa verba: *Oportet hæreses esse*, propriè de doctrinæ erroribus intelligunt Patres hoc loco, & nominatim [r] diuus Cyprianus & [s] diuus Augustinus passim. Habent igitur Sacramentarij satis antiquos erroris sui patronos, sed quos ipsemet Apostolus Paulus nominatim refutauit.

TERTIO. Sub initium quoque nascentis Ecclesiæ, circa annum Domini 129. Gnostici, quorum magister fuit Carpocrates, vt ait [t] Irenæus, & ante illos etiam [u] Saturniani, quia non credebant Verbum diuinum induisse corpus humanum, sed tantùm figuram quandam seu imaginem humani corporis; consequenter censebant in Eucharistia solùm esse illam imaginẽ corporis humani. Eos refutarũt [x] Irenæus & [y] Ignatius apud Theodoretum. Quorum verba contra Sacramentarios

o *In collectã. sup per epist. Pauli*, 1. *Cor.* 11.
p *In eum locum.*
q *Ibidem.*
r *Lib. de Vnitate Eccles. & lib.* 3. *ad Quirin. c.* 93.
s *Lib.* 16. *de ciuit. Dei, cap.* 2. *& lib.* 1. *de Genesi cõtra Manich. cap.* 1. *& in Psalm.* 67. *&c.*
t *Lib.* 1. *c.* 24.
u *Sicut apparet ex Ignatio in epistol. ad Smyrn.*
x *Lib.* 5. *cap.* 2.
y *In fragmento epistolæ ad Smyrn. recitato à Theod. dialogo* 3.

tarios clarissima, infra cap. 5. recitabimus.

QVARTO. Neq; Manichæi crediderunt sanguinem Christi esse sub specie vini, immò nec corpus sub specie panis, saltem per aliquam certam consecrationem, vt colligere licet ex [a] Augustino & ex [b] D. Leone. Confutati autem sunt ab iisdem Patribus.

a *Lib. 20. contra Faustum, cap. 13.*
b *Serm. 6. de ieiunio 7. mensis.*

QVINTO. Non defuerunt etiam ex Arianis, qui existimarẽt, in Eucharistia, tantummodò virtute diuinitatis Christi, gratiam spiritualem participari, non autem sumi etiam in illa ad salutem nostram Christi humanitatẽ. Ita enim sensisse quendam Arianum refert [c] D. Cyrillus Alexandrinus. Contra quem inter ceteraita inquit: *An fortè putat ignotam nobis mysticæ benedictionis virtutem esse? quæ cùm in nobis fiat, nónne corporaliter quoq; facit, communicatione carnis Christi, Christum in nobis habitare?* Et rursus: *Qui manducat*, inquit, *meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Vnde*, inquit, *considerandum est, non habitudine solùm, quæ per charitatem intelligitur, Christum in nobis esse; Verùm etiam & participatione naturali.* Ac Arianos quoq; notare videtur [d] D. Gregor. Nazian. cùm ita fideles hortatur: *Submota*, inquit, *omni dubitatione, corpus ede, sanguinem bibe, si modò vitæ desiderio teneris, nec doctrinæ carnis fidem abrogans, nec passionis sermonibus offensus. Sta firmus & stabilis, vt in nullo concutiaris ab* ADVERSARIIS, *nec verborum lepore atq; illecebris abripiaris.*

c *Lib. 10. in Ioan. cap. 13.*
d *In orat. 2. de Pasch. circa medium.*

SEXTO. Quidam etiam Messaliani hæretici circa annum Domini 370. apud [e] Theodoretum videbantur Eucharistiam habere tantùm pro communi pane; nam illam censebant esse rem indifferentem, quæ neq; prodesset, neque noceret quidquam. Qui ab omnibus fuerunt tunc damnati, vt patet ex eodem Theodoreto.

e *Lib. 4. hist. cap. 11.*

SEPTIMO. Augustini tempore, quidam Vrbitius existimasse videtur, non esse in pane Eucharistico reipsa Christi carnem, neque in poculo sanguinem. Cuius sententiam [f] D. Augustinus his verbis cõmemorat & redarguit: *Dicit*, inquit Augustinus, *cessisse in noua lege pani pecus: tanquam nesciens, & tunc* (in lege scilicet veteri) *in Domini mensa panes propositionis poni solere, & nunc se de agni immaculati corpore partem sumere. Dicit, cessisse poculo*

f *Epist. 86.*

culo sanguinem: non cogitans etiam nunc se accipere in poculo sanguinem. Quantò ergo melius vetera transisse, & noua in Christo facta esse sic diceret, vt cederet altare altari, panis pani, pecus pecori (id est, Christo, agno immaculato in Eucharistia) sanguinis sanguini. Videmus enim in his omnibus carnalem vetustatem spirituali cedere nouitati.

OCTAVO. Nestorius item negauit in Eucharistia sumi carnem Verbo diuino vnitam. Refutatus autem hic error est in Concilio g Ephesino, & eum etiam refutat h D. Cyrillus his verbis: *Sanctum ac viuificum incruentumq; in Ecclesia celebramus sacrificium; non hominis alicuius nobis similis & communis corpus, consimiliter & pretiosum sanguinem esse quod proponitur, credentes; sed magis tanquam proprium viuificantis Verbi corpus & sanguinem accipimus.* Et paulò infrà: *Nestorius & qui cum eo sentiunt, hoc mysterium dissoluunt.*

g *Anathem.* 11.
h *In declaratione eius Anath.*

NONO. Circa annum Domini 700. & deinceps magis incœpit serpere opinio de absentia Christi in Eucharistia. Vnde à i B. Damasceno, qui circa id tempus floruit, aliqui notati sunt qui dicerent, *tantùm* ibi esse corporis & sanguinis Christi figuram. Contra quos ipse expressè disputat, *non figurā tantùm, sed ipsum Christi corpus & sanguinem ibi esse.* Quod etiam per idem ferè tempus disputauit æquè expresè k Theophylactus. Et omninò Scriptores omnes Ecclesiastici ab illo tempore, propter gliscentem cõtrarium errorem, clarius & cautius scribere & loqui de hoc mysterio cœperunt, quàm à superioribus factum fuisset; vt rectè hoc etiam obseruauit l Gulielmus Alanus. Ac sub idem etiã tempus, scilicet anno Domini 781. Synodus II. m Nicæna notat Iconomachos de eodem errore. contra quos clarè ibi affirmat: *Sacrificium nostrum à Christo & Apostolis nunquam fuisse vocatum imaginem aut similitudinem, sed ipsum corpus & sanguinem Christi.*

i *Lib. 4. fidei, cap. 14.*
k *In cap. 26. Matth. & in cap. 14. Marc. & in cap. 6. Ioan.*
l *Lib. 1. de Euchar. cap. 24.*
m *Acti. 6. tomo 3. sub finē.*

DECIMO. Circa annum Domini 800. fertur quidam Ioannes Scotus, Monachus Benedictinus, & Caroli Magni Præceptor, eundem errorem de sola figura studiosiùs propugnauisse, ea de re libro edito, quem n Landfrancus Episcopus Cantuarienſis, qui postea, vt dicemus, contra Berengarium scripsit, testatur fuisse damnatum in quodam Concilio Vercellensi. Paulò pòst liber etiam pro defensione eiusdem erroris

n *Lib. de Sacram. Euchar. non longè ab initio.*

erroris scriptus dicitur à quodam Bertramo. Quanquam, vt videre est apud o Claudium de Sainctes, dubiũ est, an iste Bertramus, quem alioqui p Trithemius cõmemorat fuisse pium & doctum virum, illius libri auctor fuerit, qui nunc insperſus fermento erroris Sacramentarij exstat. Ac fieri quidem potest, vt alij qui illius Ioannis Scoti seu Berẽgarij discipuli fuerunt, librum Bertrami Catholicè alioqui ab eo conscriptum (passim enim in eo leguntur sententiæ de Christi præsentia in Sacramento planè Catholicæ) fraudulenter corruperint. Liber tamen ille, qui nunc sub nomine Bertrami exstat, damnatus est, & meritò, in Indice Concilij Tridentini. Qui verò illa tempestate in eo errore Ioannis Scoti fuerunt, refutati sunt à Paschasio & Rabano in suis libris qui hodie exstant, de corpore & sanguine Domini, & ab aliis.

o *Repetitione 2. de Euch. cap. Vltimo.*

p *In catalogo scriptorum Ecclesiast.*

Vndecimo. 200. circiter annis pòst, id est, circa annũ Domini 1000. cùm aliquandiu ille error omninò repressus fuisset, cœpit Berengarius Archidiaconus Ecclesiæ Andegauensis maiori contentione, quàm quisquam alius antea, eandem hæresin propugnare. Quæ causſa est, cur q S. Thomas, & alij ferè, præsertim Scholastici Scriptores, hũc Berengarium dicant fuisse primum auctorem huius hæresis; cùm tamẽ certum sit, alios etiam ante Berengarium fuisse in ea hæresi, vt ex scriptis Paschasij, Rabani & aliorum antiquorum patet. r Ferunt autem, diuum Fulbertum, cùm moreretur, iussisse, hũc Berẽgarium adhuc iuuenem à conspectu suo remoueri, quòd prædiceret futurum eum instigante dæmone, quem ei astantem videret, magnum Catholicæ doctrinæ corruptorẽ. Aduersus eum s scripserunt illis temporibus quàm plurimi; vt Adelmannus quidam Episcopus Brixiẽsis: Landfrancus Archiepiscopus Cantuarienſis: Guidmundus Episcopus Auersanus in Apulia: Algerus Monachus. Sequebantur autẽ illum soli scelerati, vt testatur t Guidmundus. Item est damnatus à pluribus Pontificibus, & in u Conciliis pluribus, in quibus propter illius pertinaciam atque etiam inconstantiam sæpius de hac quæstione diligentissimè disputatum est. Primo, in Concilio Vercellensi sub Leone IX. vbi præsente ipso Pontifice

q 3. p. *suæ summæ, q. 85. art. 1.*

r *Gulielmus Bibliothecarius Malmesmerienſis lib. 3. de rebus gestis Anglorum.*

s *Exstãt hi auctores in vno volumine simul editi, Louanij Anno 1561. apud Hieronymũ VValleum.*

t *Lib. 1. de Sacram. non procul ab initio.*

u *Id patet ex Guidmũdo lib. 1. & ex Thoma VValdenſi lib. 2. de Sacramẽtis, cap. 43.*

fice Berengarius absens, cùm noluisset ad Concilium venire, post longam disputationem tandem est damnatus. SECVNDO, In Turonensi sub Victore II. successore Leonis, præside Hildebrando, qui postea fuit Gregorius VII. ibi Berengarius coràm conuictus est, & iureiurando promisit se in posterum illam hæresin non defensurum. Verùm cùm mox in eam relaberetur, TERTIO congregatum est vniuersale Concilium Romæ 113 Episcoporum à Nicolao II. vbi rursus conuictus est coràm Berengarius, propriosq; libros præsente Pontifice ac tota Synodo ipse combusit, & iuramentum prius renouauit, ac formulam fidei clarius, quàm antè, professus est, quæ exstat in [x] decretis. Ceterùm rursus relapsus est, atq; adeò Romam vocatus ad [y] Concilium alterum sub Gregorio VII. Vbi tandem QVARTO damnatus & conuictus est. Atque ibi dicitur ex animo resipuisse, illamq; confessionem ibi repetiuit, quæ exstat in [z] decretis, vt iam dictum est. Deinde vt refert [a] Gulielmus Bibliothecarius, rectè & piè mortuus est. Fertur enim in die Epiphaniæ iam moriens dixisse: *Hodie in die apparitionis suæ apparebit mihi Dominus meus* IESVS CHRISTVS, *vel propter pœnitentiam, vt spero, ad gloriam, vel propter alios* (quos videlicet seduxerat) *vt timeo, ad pœnam æternam. Nam iam sanè*, inquit, *credimus, post benedictionem illa mysteria esse corpus & sanguinem Saluatoris, adducti & veteris Ecclesiæ auctoritate, & multis nouiter ostensis miraculis.* Hæc tandem ille, vt narrat Gulielmus Bibliothecarius.

x *De consc. d. 2. can. Ego Berengarius.*
y *Vide de hoc Concilio Thomam VValdensem in illo cap. 43. lib. 2. de Sacram.*
z *d. 2. can. Ego Berengarius.*
a *Lib. 3. de gestis Angl.*

DVODECIMO. Quamuis ita tunc hæc hæresis damnata & reiecta fuerit; in nonnullis tamen aliquandiu delituit & resedit: nempe in Henricianis, Petrobrusianis, Albigensibus, VValdensibus. Contra quos sequentis ætatis scriptores diligenter etiã disputauerunt. Ex quibus fuit Petrus Cluniacensis, D. Bernardus, Hugo Victorinus, D. Anselmus, Innocẽtius III. Atq; etiã Magistratus Politici vi coërcere cœperunt eiusmodi Sacramentarios circa idem tẽpus, vt ostendit [b] Alanus. Item florere cœperunt, nõ ita multò pòst, Scholastici Doctores, quorũ doctissimæ de hac re disputationes deniq; effecerunt, vt ferè 200. annis circa illa tempora consopiretur hæc hæresis.

b *Lib. 1. de Euch. cap. 21.*

DECIMO TERTIO. Anno Dñi 1380. VVicleffus maxima contentione eandem hæresin [a] renouauit. Ab hoc VVicleffo eandē didicit hęresin eodem tempore Hieronymus Pragēsis, cùm ex Bohemia Oxoniam in Angliā veniſſet. Deinde hic in Bohemiam rediens docuit eandē hæresin vnà cum aliis Ioannem Huſs. cuius opera plurimi ſunt ſeducti in Bohemia, vbi propter ſchiſma, quod tunc erat in Eccleſia, tribus cōtendentibus de Pōtificatu, valde illa hæresis graſſata eſt. Tandē verò in Concilio Conſtantienſi, vbi ſublato ſchiſmate Martinus V. electus eſt, [b] damnatur ob eam hæresin, & alias VVicleffus, & Huſs etiam cōburitur. Contra iſtos ſcripſerunt circa id tempus plurimi, vt Turrecremata, Gerſon, Æneas Syluius, Thomas VValdenſis, & alij. Atq; etiam in Græcia, vt communis fides omnium Eccleſiarum defenderetur, cōtra eandem hæresin ſcripſerūt eodem tempore multi, nempe Nicolaus Metonenſis, Germanus Conſtantinopolitanus Patriarcha, Marcus Epheſinus, Beſſarion, &c. Ac tandem denuò ex vtriuſque Eccleſiæ Græcæ & Latinę conſenſu damnata eſt eadem hęresis in magno Concilio Florentino ſub Eugenio IV. Quod etiam factum eſt in multis aliis Conciliis prouincialibus vbiq; terrarum. Quare per centum fermè annos in Bohemia tantum hæc hæresis reſedit apud Huſsitas.

DECIMO QVARTO. Denique anno Domini 1522. Carolſtadius hanc hæresin iterum renouauit, Item Oecolampadius, Zuinglius, Bucerus, Petrus Martyr, Caluinus, & alij, qui hodie communi vocabulo appellantur, propter eam hæresin, Sacramentarij. Qui omnes etſi diuerſas interpretationes adhibeant verbis illis Chriſti: *Hoc eſt corpus meum*, Et: *Hic eſt ſanguis meus*, adeò vt ad 80. & eo plures, expoſitionis modos excogitauerint, quos refert [c] Claudius de Saincte; Tamen re ipſa conuenit inter omnes, ibi eſſe tantùm figuram & ſymbolum corporis & ſanguinis Chriſti, propter virtutem videlicet quam Chriſtus habet ſpiritualiter nos paſcendi per gratiam. Atque ita omnes hodie Sacramentarij docent, panem ipſum & vinum metaphoricè dici corpus & ſanguinem Chriſti per metonymiam, quia ſunt [d] ſigna corporis & ſanguinis Chriſti.

Sicut

a *Id patet ex Thoma VValdenſi lib. 2. de Sacram. cap. 2. & pluribꝰ ſeq. Et ex Concil. Conſtantienſi ſeſs. 8. art. 1. 2. & 3. VVicleffi.*

b *Seſs. 8.*

c *Repetitiõe 1. cap. 10. Refert etiam varias iſtorum interpretationes Ioachimus VVeſtphalus in Defenſione cõtra cuiuſdam Sacramentarij (Caluini) criminationem.*

d *Ita docet quoque apertè Caluinꝰ in defenſione 1. et 2. contra VVeſtphalum, & lib. 4. inſtitutionis cap. 17. Sect. 20. & 21.*

Sicut imago Cæsaris dicitur Cæsar, quia est signum Cæsaris. Quocirca hi omnes negant sumi re vera ore corporis in hoc Sacramento corpus & sanguinem Christi. Porrò hi etiam noui Sacramentarij damnati sunt (vt constat) ab omnibus Orthodoxis in Ecclesia Catholica, nempe ab omnibus Catholicis Academiis, ab innumerabilibus Scriptoribus huius temporis, à Concilio Tridentino Oecumenico, ac multis etiam prouincialibus & Episcopalibus Synodis, à Pontificibus omnibus, & quidem singulis annis in Bulla cœnæ, denique ab omnibus Orthodoxorum hominum ordinibus. Hanc narrationem ideò sic repetiui, vt ex contradictionibus perpetuis, quas hæc hæresis in Ecclesia habuit, euidenter intelligatur, aut nullam vnquam fuisse hæresin; aut opinionem certè nouorum Sacramentariorum, hæresin esse. Ipse enim [e] Caluinus satis agnoscit habere se Berengarium auctorem. Atque etiam [f] Oecolampadius suam opinionem retulit ad Ioannem illum Scotum. Quinimmò (velint, nolint,) Iudam ipsum Iscariotem, & alios veteres hæreticos, de quibus diximus, agnoscere debent Sacramentarij suos esse præceptores.

e *In defensione 2. contra VVestphalum, non procul ab initio.*

f *Lib. 3. epistol.*

CAPVT TERTIVM.

Probatur secundò Assertio Catholica ex verbis quibus hoc Sacramentum à Christo institutum est.

PRÆTEREA pro sententia Catholica firmum fundamentum Dei stat in clarissimis illis Christi verbis constitutum: [a] *Hoc est corpus meum*, Et: *Hic est sanguis meus*, quæ ab Euangelistis tribus, & ab Apostolo Paulo referuntur. Sed quanquam nulla potuerint esse verba Christi clariora, quibus ille significaret, reuera corpus & sanguinem suum id esse, quod in manibus tunc tenebat, tamen faciunt hîc nostri Sacramentarij illud, quod diuus [b] Augustinus notat moris etiam esse aliorum hæreticorum: *Si animum*, inquit, *occupauerit alicuius erroris opinio, quidquid aliud asseruerit Scriptura, figuratum arbitrantur.* Ita in hac quæstione Sacramen-

a *Matth. 26. Marci 14. Luc. 22. 1. Cor. 11.*

b *Lib. 3. de doctrin. Christ. cap. 10.*

cramentarij sensum illorum verborum esse dicunt: *Hoc significat corpus meum*, vel quod eodem redit, *hoc est figura seu signum corporis mei*. Probandum est igitur, non figuratum, sed proprium fuisse illum Christi sermonem ex loci circumstantiis, vnde diuus [c] Augustinus docet cognosci oportere, vtrum sermo Scripturæ sit proprius nec ne.

[c] *Lib. 83. qq. q. 69.*

Proprietas Christi verborum, ex quibus circumstantiis probetur.

Igitur quod ad circumstantias illius Christi sermonis attinet, expendenda est diligenter I. Res ipsa de qua sermo ibi fuit. II. Ratio & forma sermonis. III. Personæ ad quas est habitus. IIII. Tempus illud & locus vbi est habitus.

Tria considerãda in I. circumstãtia, quę est cõditio rei, de qua fuit sermo.

I. In *re ipsa* sunt tria considerãda. PRIMO, Quod ibi Christus Dominus cultum quendam externum instituebat ac præcipiebat, non autem in concione, vt aliâs, loquebatur, cùm scilicet facilius solet vsurpari sermo figuratus, vel ad exhortandũ, vel ad amplificandum. Quare oportuit, sermonem, qui præceptum de cæremonia externa & cultu continebat, fuisse planissimum, ne postea circa executionem eiusmodi præcepti, ac circa ritum seu cultum talis cærimoniæ, meritò esse posset ambiguitas aliqua. Nam & ob hanc causam videmus totam doctrinam veteris legis, in qua præcepta de cultu tradebãtur, fuisse, quod ad vsum & executionem illarum cæremoniarum attinebat, planam.

SECVNDO, In re etiam considerari debet, quòd tradidit ibi Christus & docuit proprium ac singulare fidei mysterium, in quo videlicet sit peculiaris & magna quædam difficultas distincta à difficultatibus propriis aliorum fidei articulorum seu dogmatum. Ideò enim Sacramentum hoc semper in Ecclesia solitum est appellari *mysterium fidei* per antonomasiam. Ideò CHRISTVS, cùm vellet primùm de hoc mysterio verba facere, stupendo [d] miraculo animos auditorum dociles facere studuit, vt notauit diuus [e] Chrysostomus, cùm maximam hominum multitudinem paucissimis panibus ad saturitatem pauit. Ideò etiam (vt animaduertit diuus [f] Cyrillus) argumento, ex miraculo Ascensionis suæ futuræ ducto, mysterium hoc non esse incredibile confirmauit.

[d] *Ioan. 6.*

[e] *Homil. 45. in Ioan.*

[f] *Lib. 4. in Ioan. cap. 22.*

Huius-

Huiusmodi autem difficultatem, quæ scilicet sit & maxima & propria istius mysterij, minimè in illo relinquūt Sacramentarij secundum suos tropos, vt manifestè hoc ostendi in g disputatione contra fundamentum Vbiquetariorum & Sacramētariorum. Nam quòd panis sit symbolum viuificatricis virtutis corporis & sanguinis Christi propter vim reficiendi, nō est intellectu difficile: & quòd in vsu huius Sacramenti corpus & sanguis Christi spiritualiter è cœlo nos pascant, id est, quòd tanquam instrumentum diuinitatis concurrant ad efficiendā in animo nostro gratiam, qua spiritualiter cum ipso Christo in cœlo absente vniamur; id ex doctrina alioqui de iustificatione & sanctificatione per Christum, & de salutari Sacramētorum vsu, cognoscimus & fatemur.

g *Pagin.* 73. & 74.

Tertio considerandum est in re ipsa, Sacramentum istud Christum instituisse & legasse Ecclesiæ tanquam testamento, cùm iam esset morti vicinus. Verba autem testamentaria clarissima & planissima esse consueuerunt.

II. Deinde in ratione ipsa & *forma* sermonis quinque considerare oportet. Primo vim illius demonstrationis singularis, *Hoc est*, &, *Hic est*. Dixit enim aliâs Christus in genere, cùm concionem haberet, se esse *ostium* vel *vitem*, *&c.* Si autem sumpsisset vitem aut palmitem in manus & affirmauisset, illā rem esse corpus suum, ac cæremoniam aliquam cultus in ea re instituisset, ac præcepisset; non rectè intelligeremus sermonem fuisse figuratum.

Quinq; considerāda in II. circumstantia, quæ est forma ipsa sermonis.

Secundo considerari debet, quòd in metaphoricis locutionibus, explicandi causſa, nudè ac simpliciter (id est, absq; expressa interpretatione metaphoræ) vsurpatis, non consueuit affirmari de altero nisi tale aliquid, in quo proprietas secundū quam metaphorę similitudo attenditur, est multò notior quā in eo de quo id metaphoricè affirmatur. Quæ causſa est, cur ferè soleamus in metaphoricis locutionibus, id quod de altero affirmamus, nō nisi in genere vel in specie consideratū affirmare, eò quòd generis vel speciei proprietas notior esse solet, quàm proprietas rei singularis & indiuiduæ. Vt quando propter fortitudinem dicimus hominem quempiam

esse leonem. Vel certè, si aliquid determinatum & indiuiduum affirmamus metaphoricè de alio, id non facimus nisi secundum aliquam proprietatem, quæ in eo indiuiduo notissima sit, atque adeò notior quàm in illo altero de quo id affirmamus. Vt si quenpiam propter eloquentiam dicamus esse Ciceronem. In proposito autem nihil cernitur tale. Nam Christus non de suo corpore aut sanguine, panem aut vinum, in quo notior est vis reficiendi, affirmauit, (sicut affirmauit
h *Ioan.* 15. *h* aliâs se esse *vitem*, in qua vis vegetãdi palmites notissima est) sed contrà, suum corpus & sanguinem, in quo illa virtus reficiendi erat minus nota, affirmauit de illis rebus singularibus (consideratis secundum substantiæ rationem communem & indiuiduam vagam, vt infrà explicabitur) quas in manibus tenebat, & in quibus virtus reficiendi erat longè notior. Neque etiam vsus est ad affirmationem aliqua re in genere siue in specie, aut etiam singulari quæ esset, quo ad eam proprietatẽ reficiendi omnibus notissima: Sed, *Hoc est* (inquit determinatè) *corpus meum, & Hic meus sanguis*. Corpus autem Christi singulare, & sanguis Christi non sunt res per se vsque adeò notæ secundum illam vim reficiendi.

Accedit TERTIO, quòd corpus & sanguinem suum non affirmauit Christus expresè de pane & vino; sed vocabulo confusè significante vsus est *Hoc* & *Hic*, sub quo videlicet posset intelligi confusè res seu substantia accidentibus panis & vini contenta, quæ verè ac propriè, & non per metaphoram affirmaretur esse corpus & sanguis Christi, vt infrà suo loco explicabimus. Contrà verò cõsuetudo ferè metaphoricæ locutionis est, vt expresis nominibus significentur, & affirmatione coniunganturres disparatæ; vt inde videlicet intelligatur, locutionem non esse nisi metaphoricam. Vt cùm dixit
i *Lucæ* 8. Christus, exponens parabolici sermonis metaphoram: *i Semẽ*
k 1. *Cor.* 10. *est verbum Dei*. Et Apostolus: *k Petra autem erat Christus*. Hoc autem loco non dixit: *Hic panis est corpus meum*, Et, *Hoc vinum est sanguis meus*, sed cõtrariis pronominibus vsus est, quæ potius ipsi corpori & sanguini conuenirent, quàm pani & vino.

QVARTO, in ipsa forma sermonis considerari etiam debet

bet id quod Christus adiũxit, Hoc est, inquit, corpus meum, l *quod pro vobis tradetur*. Et apud Lucam Græcè habetur *ipsum quod pro vobis tradetur*. Item illud de sanguine, m *Qui pro vobis effundetur*. Omninò enim hæc declaratio à Christo addita est ad demonstrandam proprietatem & veritatem antecedentis affirmationis. Etenim, quando affirmatio est tantùm metaphorica, non ita solet aliquid ad verbum adiungi, nisi fortè id quod additur, declaret expressè eam rei proprietatem ex cuius similitudine metaphora ducitur. Vt si quis diceret: Iste est leo, qui est animal *fortissimum*. Si autem ad verbum, quod de re aliqua affirmatur, fiat aliqua additio, non explicans eam proprietatem, in qua constituitur metaphoræ similitudo, sed absolutè indicans rei ipsius affirmatæ veritatem; tunc quidem secundum communem ac moralem vsum loquendi talis additio proprietatem præcedentis affirmationis ostendit. Vt si quis dicat: Idem ipse Christus passus est in cruce qui natus est ex Virgine. Item: Christus est ille ipse Deus, qui fuit ab æterno genitus à Patre. Huiusmodi additiones certè determinant proprietatem antecedentium affirmationum. Atque ideò Apostolus, quoniam metaphoricè intelligi voluit illud, *Petra autem erat Christus*, simpliciter id dixit, neque addidit: *Ille ipse qui crucifixus est pro nobis*. Iam verò verba illa: *Quod pro vobis tradetur*, quæ Christus adiunxit; minimè quidem significant virtutem illam reficiendi è cœlo nostros animos, quam Christi caro vnita cum diuinitate habet; in qua constituunt aduersarij metaphoræ similitudinem; Sed significant, Christi corpus seu sanguinem fuisse pretiũ nostræ redemptionis. Quod ipsum neque est illa reficiendi virtus, neq; propria & proxima causa eius (habet enim eã virtutem caro Christi propriè ex vnione cum diuinitate) licet id quidem accedere quoque debuerit, vt ea Christi virtus in nostros animos se se exereret. Quare reliquum est, vt determinauerint illa Christi verba (sicut dixi) proprietatem antecedentis affirmationis.

l *Luc.* 22. 1. *Cor.* 11.
m *Matth.* 26. *Marci* 14. *Luc.* 22.

Qvinto. In eadem forma Christi locutionis maximè etiam ponderandum est, quod eiusmodi verbis est vsus, quibus clarissimè significare potuit, verè fuisse suum corpus & sanguinem,

sanguinẽ, illud quod tenebat in manibus; & ita quidẽ, vt nullis aliis verbis aut clarius, aut magis propriè id significare potuerit, quã simpliciter dicẽdo, vti dixit, *Hoc est*, Et, *Hic est*, *&c.* Neq; enim addere debuit Hoc est *Propriè*, Et, Hic est *Propriè*. Nõ enim hæc est cõsuetudo loquẽdi: ne tum quidem, cùm maximè loquimur propriè. Quòd aũt Christus non solùm clarissimè & cõmodissimè his verbis potuerit id propriè significare, sed etiã voluerit; ea ratione patet, quia, vt verissimè docet Dn Augustinus, intelligere oportet, id omninò significari Scripturæ verbis, quod propriè per illa significari potest, nisi inde sequatur aliquod absurdum: nullum autem absurdum in proposito cum propria verborum Christi significatione coniunctum esse, euidenter infrà defendemus, cùm refutabimus obiectiones Sacramentariorum. Quod si alioqui liceret ad figuras referre huiusmodi simplices & absolutas Scripturæ affirmationes; nullum ferè nobis esset certum fidei mysterium. Similiter enim posset aliquis fingere, in illa enũciatione: *Verbum caro factum est*, particulam, *est*, tantundem valere quantum *significat*, & sic in omnibus aliis mysteriis quæ significantur (vt est necessarium) per verbum, *est*, aut, *sunt*.

n *Lib. 3. de doctrina Christiana, cap. 10.*

Quo fit, vt planè sit confitendum, euinci & probari satis ex his Christi verbis veritatem præsentiæ corporis & sanguinis eius in hoc Sacramento: nisi fortè modum eum probationis requiras, qui faciat prorsus obmutescere aduersarium etiam pertinacissimum. Quo sanè pacto neque vllum aliud omninò fidei nostræ mysterium ex Scripturæ verbis potest conuinci. Sicut autem alia mysteria ex Scripturis comprobari possunt apud eos qui non sint proteruissimi, ita etiam & hoc illis Christi verbis. Id quod etiam exemplo & testimonio Lutheri, licet alioqui hæretici peruersissimi, confirmari potest. Apertè enim cõfessus est, se licet maximè id cupiuerit, nõ potuisse tamen hæc verba Christi nisi propriè intelligere, quoniam sunt, inquit, nimis clara. Quare quẽadmodum, inquit, si Christus dixisset: Hoc quod do vobis, est panis & vinum; nemo de proprietate huius orationis dubitasset; ita neque dubitari

In epist. ad Argentinenses. In Serm. de Eucharistia, impresso Haganoæ, anno 1527.

bitari potest, quin sit corpus & sanguis illud quod ipse dedit dicens: *Hoc est corpus meum*, Et, *Hic est sanguis meus.*

III. Iam verò in *personis* cũ quibus Christus loquebatur, considerandæ sunt etiam tria. PRIMO, Quòd fuerint soli Apostoli, ad quos ferè Christus clarè loquebatur, iuxta illud: [o] *Vobis datum est nosse mysteria, ceteris autem in parabolis.* SECVNDO, Quòd si aliquando Christus ad ipsos etiam Apostolos obscurè & parabolicè sermonem habebat, hi eum interrogare & hęsitare tũc soliti sunt, vt apud Matth. [p] *Edissere*, inquiunt, *nobis parabolam zizaniorum.* Et: [q] *Edissere nobis parabolam istam.* Item apud Ioan. [r] *Nescimus quid loquitur. Et volebãt eum interrogare.* In illo autem Christi sermone nihil tale, sed vt simpliciter Christus affirmat, ita illi simpliciter accipiunt, neque quidquam hæsitant aut interrogant. *Non turbati sunt*, inquit [s] Chrysostomus, *cùm hoc audiuissent, quia multa iam & magna de hoc* [t] *antè disseruit.* TERTIO, illud etiam in iisdem personis obseruatione dignum est, quòd cùm Matthæus, qui adfuit præsens, & Lucas ac Marcus qui ab Apostolis ipsis acceperunt, postmodum historiam institutionis narrarent; simpliciter omnes asseuerationem illam Christi commemorant sine vlla prorsus significatione parabolę: Et, quod plus est, aliquot etiam post annis D. [u] Paulus eodẽ modo historiam sine vlla commonefactione de impropria Christi locutione commemorat. Cùm tamen, si falsò illa Christi verba secundum proprietatem sermonis accipiuntur, facillimum fuerit in sensu illorum verborum totum mundũ errare: quem errorem ad doctorem Gentium Apostolum cum primis pertinebat aliqua significatione præcauere.

Considerandæ tria in circumstantia III. nempe in personis quibus Christus loquebatur.

o *Luc.* 8.
p *Matth.* 13.
q *Matth.* 15.
r *Ioan.* 16.
s *Homil.* 83. *in Matth.*
t *Ioan.* 6.
u 1. *Cor.* 11.

IIII. Postremò, Tria etiam expẽdenda sunt, quod ad circũstantias *temporis* & *loci* attinet. PRIMO, tempus fuisse vitæ Christi penè postremum. In quo certè conueniebat, sermonem Christi ad Apostolos, quos *cùm antè dilexisset*, maximè tunc *sub* [x] *finem diligebat*, esse apertissimum & planissimum. SECVNDO, Quòd etiam rem dignam Christus ipsius charitate erga discipulos tunc temporis facturus erat, si (quemadmodum potuit) ita ab ipsis abiret, vt etiam seipsum iis relinqueret in sanctissimo Sacramento. Nam hoc ipsum facerent, si quo modo

Tria etiam cõsideranda in IIII. circumstantia temporis & loci.

x *Ioan.* 13.

possent, alij, quando ab illis quos ardenter amant, recedendum est. TERTIO accedit, quòd ea res ad studium charitatis & religionis fidelium incitandum erga Christum discedentem, maximè valitura erat; vt adducto etiam luculento testimonio D. Chrysostomi, explicaui in y disputatione cõtra Sacramentarios & Vbiquetarios. Qui enim non ferreus est, huius certè animus maximè commouetur, cùm cogitat illum ipsum præsentem se habere & sumere, cui tam multum debet, à quo tam multum & sperare & timere potest. Itaq; præclarè D. z Chrysostomus: *Cùm suum*, inquit, *Christus in nos amorem indicare vellet, per corpus suum se nobis commiscuit, & in vnum nobiscum redegit, vt corpus cum capite vniatur. Hoc enim amantium maximè est. Hoc* Iob significabat de seruis, à quibus maximè amabatur, qui suum amorem præ se ferentes, dicebant: Quis daret nobis vt eius carnibus impleremur? Quod Christus fecit, vt maiori nos charitate astringeret, & vt suum in nos ostenderet desiderium, non se tantùm videri permittens desiderantibus, sed tangi & manducari, & dentes carni suæ infigi, & desiderio suo omnes impleri. Ab illa igitur Christi mensa tanquam leones ignem spirantes surgamus, diabolo formidolosi, & caput nostrum intelligamus, & quam in nos præstiterit, charitatem.* Locus item fuit secretus & remotus à turbis, quibus aliâs Christus in parabolis loquebatur. Atq; hæc de prima probatione ex verbis Christi & ex rei circumstantiis, quę certè (si præsertim expendantur simul omnes) maximam habere apud omnes vim debent, vt sermonẽ Christi fuisse proprium intelligamus.

y *Pag.* 75.

z *Homil.* 45. *in Ioan.*

* *Iob.* 31.

CAPVT QVARTVM.

Probatur tertiò Christi præsentia in Sacramento ex aliis Scripturæ locis.

TERTIO confirmamus eandem veritatem quibusdam aliis Scripturæ testimoniis. Nam Christus apud Ioannem cum magna asseueratione PRIMO promittit, se suum corpus & sanguinem daturum in potum & cibum: a *Panis*, inquit, *quem ego dabo, caro mea est.* SECVNDO, Addit etiam particulam, quæ proprie-

a *Ioan.* 6. Expenditur sermo Christi apud Ioan. de Eucharistia.

proprietatem affirmationis indicaret: *Caro mea* VERE *est*, inquit, *cibus*. TERTIO, Confirmat cum magna verborum emphasi hanc suam asseuerationem: *Amen, amen*, id est, certè, certè, *dico vobis, nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem* (hoc de sanguine quomodo intelligendum sit, aliâs [b] explicaui) *non habebitis vitam in vobis*. Quæ omnia ad Sacramentum referri debere omnes ferè [c] Patres intellexerunt. QVARTO, Ibidem *distinguit mysticam benedictionem*, vt inquit [d] Cyrillus, à manna, huncque cibum mannâ longè præstantiorem esse affirmauit, quoniam præstat ipse vitam æternam; Et tamen manna signum sanè ac symbolum Christi fuit. Quare hic cibus reuera oportet vt contineat ipsum Christum, sitque eatenus per se viuificus aliter quàm manna. Quod & diuus [e] Cyrillus testatur, cùm hoc loco ait; *Nos per hanc benedictionem mysterij ipsum Filium Dei susci pere*. QVINTO, Cùm discipuli cogitassent, debere se carnem Christi comedere, more consueto, sicut eam quæ affertur ex macello; remouit quidem ille hunc modum carnalem à mysterio, vt Augustinus exponit: Sed tamen adeò non potuit præterea, salua veritate huius mysterij, ibi declarare, tantummodò symbolum sui & figuram (quod fuisset ad credendum facillimum) comedi ore corporis & bibi debere, quò ab illo pasci spiritualiter animas (id quod iam antè [f] discipuli sciebant) significaretur; vt etiam permiserit [g] *multos ex suis discipulis abire retrò*, eo quod non crederent, ipsum reuera, tametsi non modò prorsus carnali (sicut carnes quæ afferuntur ex macello) comedi debere: vt latius ex hoc loco Ioannis sum argumentatus in illa [h] disputatione contra Vbiquetarios & Sacramentarios.

Deinde Apostolus PRIMO non sine grauissimo illo proœmio ad faciendam tanti mysterij fidem (*Ego enim accepi à Domino, &c*) [i] refert Christi institutionem & asseuerationem, quam sine vlla significatione metaphoræ opponit illi errori Corinthiorum, de quo [l] suprà dictum est. SECVNDO, Grauissimè affirmat, eum qui sumit indignè, *reum esse corporis & sanguinis Domini*. Et, *iudicium sibi manducare ac bibere*, eo quod non *diiudicat corpus Domini*, quòd nimirùm in eiusmodi cibo

b *In disputatione de legitimo & su Eucharistia in altera tantùm specie.*
c *Orig. homil. 16. in Num. Athan. l. 4. in Synopsi. Basil. in moral. summa 22. c. 1. & 2. Chrysost. hom. 45. & 46. in Ioan. Cyrillus li. 4. in Ioan. c. 14. Cip. in orat. Domin. & Serm. de cœna Domini. Emissenus sermon. 5. de Pasch. Augustin. serm. 2. de verbis Apostol. Vide nostram disput. de commun. sub vtraque num. 80.*
d *Lib. 4. in Ioan. c. 16.*
e *Ibidem.*
f *Id apparet ex serm. Christi, Ioan. 3.*
g *Ioan. 6.*
h *Pag. 68. 69. Vide infrà lib. 3. cap. 4.*
i *3. Cor. 11.*
l *cap. 1.*

insit, atque adeò summa cum reuerentia & puritate animi accipi debeat. Nam quod [m] Sacramentarij interpretantur reum esse corporis & sanguinis Domini, tantundem in eo loco significare atque grauiter offendere Christum, licet à Sacramento absentem, leuissimum est. Non enim similiter dixisset Apostolus, eum qui indignè susçipit Sacramentum Baptismi, reum esse corporis & sanguinis Domini, quia non diiudicet, ac discernat ab aliis rebus illud: tametsi dubium non sit, quin indigna susceptione Baptismi, Christus ipse, à quo est & institutio & efficacia Baptismi, grauiter offendatur. Non igitur id propriè est hoc loco reum esse corporis & sanguinis Domini, sed impura sumptione cõtaminare quantum est in se & afficere contumelia ipsum corpus Christi præsens; non secus atque fecerunt illi, qui ipsum crucifixerunt. Nam verisimè diuus Chrysostomus exponens hunc Apostoli locum: [n] *Si*, inquit, *qui Regis purpuram coinquinant, haud secus, quàm qui scindunt, puniuntur; quid mirum, si qui immunda conscientia Christi corpus accipiunt, idem supplicium subeant, quod qui ipsum clauis cruci affixerunt?* Et rursus: [o] *Illi*, inquit, *acerbissimè corpus Domini trucidarunt. Tu post tot tantaque beneficia, sordida susçipis anima.* TERTIO, Vehementissima quoque est illa asseueratio Apostoli per interrogationem: [p] *Panis quem frangimus, & calix cui benedicimus, nónne participatio corporis & sanguinis Christi est?* quasi dicat: Est prorsus. Vbi & illud obseruandum est, Apostolum hac asseueratione voluisse deterrere Corinthios ab vsu escarum, quæ idolis mactabantur: tanquam si hoc argumento vteretur: Cùm particeps simus corporis & sanguinis Christi reipsa & ore corporis, sicut alij edunt escas immolatas idolis: non æquum est, vt etiam de iis, quæ idolis immolantur, participemus. Non enim decet *participes esse, & mensæ Domini, & mensæ Dæmoniorum*, vt ibi Apostolus dicit.

m *Caluinus in priori defensione doctrinæ de Sacram. contrà VVestphalum. Et Ministri Tigurini in Apologia contra Testamentum Brentij.*

Quid sit reum esse corporis Domini.

n *Hom. 45. in Ioannem.*

o *Hom. 83. in Matth.*

p 1. *Cor.* 10.

CAPVT

CAPVT QVINTVM.

Confirmatur quartò Christi præsentia realis in Sacramento testimoniis Patrum, qui ex verbis Christi eam asseruerunt; id quod ostenditur septendecim argumentis.

QVARTO probatur assertio Catholica ex communi sentẽtia sanctorum Patrum. Quorum testimonia, cùm similiter atq; verba Christi, à Sacramentariis adulterentur, & referantur ad figuras & spiritualem tantùm communicationem corporis & sanguinis Christi per fidem, aliquot argumentis probandum est, eos intellexisse, quòd reuera corpus & sanguis Christi sint præsentia & sumantur ore corporis in Eucharistia.

PRIMO enim, cùm omnes veteres Patres affirment simpliciter, corpus & sanguinem Christi in hoc Sacramento sumi: nullus omninò ex illis est, qui hîc adhibuerit illam interpretationem Sacramentariam, id est, qui dixerit tantùm hîc esse figuram, & spiritualem communicationem, ac vnionem cum Christo, quæ fiat non ore etiam corporis, sed per fidem & gratiam tantùm. Quod tamen, si ita intelligi deberet, mirum est, ab omnibus veteribus fuisse hãc declarationem prætermissam. Argumẽtum I. à testimoniis Patrum.

Quod autem Patres omnes planè & simpliciter affirmẽt (vt dixi) habere nos & accipere in Eucharistia corpus & sanguinem Christi; ita certum est, vt ne ipsi quidem Sacramentarij negare ausint. Habemus enim ea de re clarissima testimonia illorum etiam antiquissimorum Patrum, qui primis Ecclesiæ seculis floruerunt. Vt Martialis, Dionysij Areopagitæ, Clementis Romani, Anacleti, Ignatij, qui vixêre primo seculo, id est, primis centum annis. Item Alexandri I, Iustini, Irenæi, & Tertulliani, qui vixerunt secundo. Item ex tertio seculo habemus in primis testimonia Origenis, & Cypriani, & alia innumera ex omnibus sequentibus seculis.

Martialis [a]: *Quod Iudæi*, inquit, *per inuidiam immolauerunt, nos in ara sanctificata, salutis nostræ causſa, proponimus.* [b] Dionysius: O, inquit,

[a] *Epist. ad Burdegalenses. cap. 3.*

[b] *Cap. 3. Eccles. Hierar. parte 3.*

inquit, *diuinissimum Sacramentum, perspicuè nobis fac appareas reuelatis ænigmatum operimentis, quæ te symbolicè circumdant, & intelligentiæ nostræ oculos tuo lumine comple.* Quem, obsecro, alium in Sacramento inuocat nisi Christum? [c] Clemens Romanus: *Qui pretiosum corpus & pretiosum sanguinem Christi participauimus, agamus gratias, quia dignatus est nos communione Sanctorum suorum mysteriorum.* [d] Ignatius: *Panem*, inquit, DEI *volo, panem cœlestẽ vitæ, qui est caro* IESV *Christi Filij* DEI *viui: Et potum volo sanguinem eius.* Et rursus de Saturnianis & Simonianis hæreticis sui temporis ita [e] scribit: *Eucharistias & oblationes non admittunt, quod non confiteantur Eucharistiam esse carnem Seruatoris Domini nostri* IESV *Christi, quæ pro peccatis nostris passa est, quam Pater sua benignitate liberauit.* [f] Anacletus: *Dominus*, inquit, *sacri sui corporis tractatores* (Sacerdotes) *vilibus & reprobis personis infamari noluit.* [g] Alexander I. *Talibus*, inquit, *hostiis delectabitur & placabitur* DEVS, *peccataq; dimittet ingentia. Nihil enim maius in sacrificiis esse potest, quàm corpus & sanguis Christi.* [h] Iustinus: *Non*, inquit, *communem vsitatumq; panem, vsitatamq; potionem, capimus, sed quemadmodum* DEI *Verbum homo factus* IESVS *Christus, & carnem & sanguinem habuit, sic etiam cibum, qui per preces sermonis, quem ab eo accepimus, consecratus est, & quo sanguis carnesq; nostræ communione aluntur,* IESV *Christi eius, qui homo factus est, & carnem & sanguinem esse accepimus. Apostoli enim ita tradiderunt.* [i] Irenæus: *Quando*, inquit, *mixtus calix & fractus panis percipit Verbum* DEI, *fit Eucharistia corporis & sanguinis* CHRISTI, *ex quibus augetur et consistit carnis nostræ substantia. Quomodo ergo carnem negant capacem esse donationis Dei, qui est vita æterna, quæ sanguine & corpore Christi nutritur?* Et paulò pòst: *Quæ*, inquit, *de calice, qui est sanguis eius, & de pane, qui est corpus eius, augetur.* [k] Tertullianus: *Caro*, inquit, *corpore & sanguine Christi vescitur, vt & anima de Deo saginetur.* Et: [l] *Accepto*, inquit, *corpore Domini & reseruato* (secum enim olim deferebant, vt patet ex eodẽ [m] Tertulliano & ex [n] Cypriano, & ex [o] Nicephoro) *vtrumq; saluum est, & participatio sacrificij & executio officij.* [p] Origenes: *Antea*, inquit, *in ænigmate fuit Baptismus in nube & in mari: nunc autem in specie regeneratio est in aqua & in Spiritu sancto. Tunc in ænigmate erat manna cibus: nunc autem in specie caro Verbi Dei est verus cibus.* Et rursus: [q] *Cùm eos*, inquit, *hoc pane nutrit* (Chri-

c *Lib. 8. cõstit. Apost. c. 24.*
d *In epistol. ad Roman.*
e *In epistol. ad Smyrn. apud Theodoretum dialogo 3.*
f *Epistol. 2.*
g *Epistol. ad omnes Orthodoxos.*
h *Apologia 2. ad Antonin. in fine.*
i *Lib. 5. cap. 2.*
k *Lib. de resurrectione carnis.*
l *Libro de oratione sub finẽ.*
m *Lib. 2. ad Vxorem.*
n *Serm. de lapsis.*
o *Lib. 12. c. 41.*
p *Homil. 7. in numer.*
q *Homil. 35. in Matth.*

(Christus discipulos) *ostendit proprium esse corpus.* Et clarissimè in alio loco: [r] *Volo*, inquit, *vos admonere religionis vestræ exemplis. Nostis qui diuinis mysteriis interesse cõsuestis, quomodo cùm suscipitis* CORPVS *Domini, cum omni cautela & veneratione seruatis, ne ex eo parum quid decidat, ne consecrati muneris aliquid dilabatur. Reos enim vos esse creditis, & rectè creditis, si quid inde per negligentiam decidat. Quod si circa corpus eius conseruandum tanta vtimini cautela, & meritò vtimini: quomodo putatis minoris esse piaculi, Verbum Dei neglexisse, quàm corpus eius?* [s] Cyprianus: *Obtulit Christus*, inquit, *panem & vinum, suum scilicet corpus & sanguinem.* Tum videlicet, cùm *panem & calicem mixtum vino obtulit*, vt ait paulò pòst idem Cyprianus. Et rursus ibidē: *Sicut ad potandum vinum*, inquit, *veniri non potest nisi botrus calcetur ante & prematur; sic nec nos sanguinem Christi possemus bibere, nisi Christus calcatus prius fuisset & pressus, & calicem prior biberet quem credentibus propinaret.* Et alio loco de his loquens, qui cùm fidem negassent indignè cõmunicabant: [t] *Vis*, inquit, *infertur corpori Domini & sanguini, & plus modò in Dominum manibus atq; ORE delinquitur, quàm cum Dominum negauerunt.*

r *Homil. 13. in Exod.*

s *Lib. 2. ep. 3. ad Cecilium.*

t *Sermo. de lapsis.*

Nec est opus recẽsere hoc loco testimonia omnium aliorũ Patrum, qui sequẽtibus seculis præsentiam Christi in Eucharistia similiter asseruerũt. Tum quia multa ex illis paulò pòst sæpe commemorabimus, tum quia sunt innumerabilia. Placet tamen hic prẹterea adiungere testimonia aliorũ quatuor illustrium Doctorũ Ecclesiæ Latinæ, & item quatuor aliorũ Ecclesiẹ Grẹcẹ, cum quibus dubium non est, quin reliqui oẽs Scriptores Orthodoxi cõsenserint quacũq; ẹtate floruerint.

Ex Ecclesia igitur Latina superioribus adiungo Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, Gregorium, ex quibus singulis singulas tantùm sententias breuiter nunc referã. [u] Ambrosius: *Non erat corpus Christi ante consecrationem; sed post consecrationem dico tibi, quòd iam corpus est Christi.* [x] Hieronymus, explicãs illud Oseę: *Et ego quasi nutritius Ephraim*, sic inter cetera loquentẽ Christum inducit: *Declinaui ad eos deferens regna cœlorum, vt vescerer cum eis assumpta forma hominis, siue dedi eis esum corporis mei: Ipse & cibus & conuiua.* [y] Augustinus: *Christum* IESVM *carnem suam nobis manducandam, bibendumq; sanguinem dantem, fideli corde* ET ORE *susci-*

u *Lib. 4. de Sacram. cap. 4.*

x *In caput 11. Oseæ.*

y *Lib. 1. contra aduersarium legis & prophet. cap. 9.*

suscipimus. z Gregorius Magnus: *In nocte*, inquit, *agnum comedimus, quia in Sacramento modo Dominicum corpus accipimus, quando adhuc ab inuicem nostras conscientias non videmus.* Et paucis interpositis: *Sed sola Redemptoris nostri percepta Sacramenta ad veram solennitatem mentis non sufficiunt, nisi eis quoq; bona opera iungantur. Quid enim prodest corpus & sanguinem illius* ORE *percipere & ei peruersis moribus contraire?* Paulò superiùs ita etiam dixerat: *Quid sit sanguis agni non iam audiendo, sed bibendo didicistis. Qui sanguis super vtrumque postem ponitur, quando non solùm ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur.*

z *Homil. 23. in Euang.*

Ex Ecclesia quoque Græca profero Doctores alios celeberrimos quatuor, Athanasium, Basilium, Gregorium Nissenum, Epiphanium. Nam reliquos postea sæpius citabo. a Athanasius approbans & recitans sententiam Synodi cuiusdam Alexandrinæ, ita inquit: *Mysticum poculum dunt axat penes eos habetur qui Ecclesiis præsunt. Solùm enim vestrum est propinare sanguinem Christi & præterea nullius. Ceterùm vt impius est qui hunc calicem frangit, ita multò magis est impius, qui sanguini Christi contumeliam facit; Contumeliam autem facit, qui præter Ecclesiasticam institutionem calice illo abutitur.* Ac rursus in alio b loco refutans carnalem cogitationem Capharnaitarum, qui putabant sensibili & ordinario modo (sicut etiam c Augustinus notauit) corpus Christi esse comedendum, & exponens sermonem illum Christi: d *Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt*; ita subiungit: *Perinde est,* inquit, *ac si diceret: Corpus meum quod ostenditur, & datur pro mundo, in cibum dabitur, vt spiritualiter* VNICVIQVE TRIBVATVR (vbi nisi in spirituali ministerio altaris) *& fiat singulis, tutamen præseruatioq; ad resurrectionem vitæ æternæ.* Quod autem loquatur hîc Athanasius de ipso corpore Christi, vt distribuitur modo insensibili & spirituali & diuino in Sacramento, ex alio etiam eiusdem Athanasij e loco intelligi potest, vbi sic ait: *Nec aliter existimandum est præter id, quod scribitur à nobis, quasi ex carne & sanguine Christi aliquid possit in mundo inueniri nisi* ILLVD QVOD IN ARA ALTARIS *per manus Sacerdotis quotidie spiritualiter efficitur,* id est, consecratur. f Basilius hanc quæstionem proponit: *Quali timore aut quali certitudinis perfectione, aut quo affectu, corporis ac sanguinis Christi participes fiemus?* Respondet autem his verbis: *Timorem*

a *In Apologia 2.*

b *Oratione in illud Euang. Quicũq; dixerit verbũ, &c.*

c *In Psal. 98. & tract. 26. in Ioannem.*

d *Ioan. 6.*

e *In lib. de imagine Saluatoris Beriti. cap. vltimo.*

f *In quæstionibus diffusè explicatis, q. 172.*

Timorem quidem docet nos g *Apostolus, dicens: Qui edit ac bibit indignè, iudicium sibiipsi edit ac bibit. Certitudinis aũt perfectionem inducit fides verborũ Domini, qui dixit: Hoc est corpus meum quod pro vobis datur, Hoc facite, in meam cõmemorationem.* h Gregorius Nissenus: *Panis*, inquit, *panis est initio communis: Sed vbi eum mysterium sanctificauerit, corpus Christi & dicitur, &* EST. *Eodem modo vinum.* i Epiphanius *Euangelium*, inquit, *habet, quod surrexit Saluator in cœna, & accepit hæc, & vbi gratias egisset, dixit: Hoc meum est, & hoc, & hoc. Et videmus quòd non æquale est, neq; simile, nõ imagini in carne* (id est, nõ humanitati Christi) *non inuisibili Deitati, nõ lineamentis membrorũ. Hoc enim est rotundæ formæ & inuisibile quantum ad potentiã. Et voluit per gratiam dicere, Hoc meum est, & hoc, & hoc, & nemo non fidem habet sermoni. Qui enim non credit, esse* IPSVM VERVM, *sicut dixit, is excidit à gratia et salute.* Obsecro, cùm occurrerint hic Epiphanio omnia argumenta sensus humani, quibus hodie mouentur Caluinistæ, vt negent, Christi corpus esse in parua illa quantitate Eucharistiæ: cur non etiam illi venit in mentem interpretatio Caluiniana, scilicet, quòd Eucharistia solùm sit signum corporis Christi, si hæc interpretatio vera & Catholica est? Annón facillimè hac ratione argumenta illa omnia rationis humanæ expedire poterat? Cur igitur nihilominus vult captiuari intellectum, & postponi iudicium sensus, & credi firmiter ipsum verũ Christum esse illud, quod Christus ipse Christum esse dixit? Ergo cùm omnes etiam alij Patres (quos partim citaui, partim citabo) tam planè, tam asseueranter, tam rotundis verbis affirment, Christum ipsum nos habere & sumere in Eucharistia; neque vllus vnquam ex omnibus illis Caluinianam interpretationem addiderit, quòd scilicet tantummodò Christi signum Christum appellent; rectè hoc argumento primo concludimus, de vera prorsus ac reali præsentia Christi in Eucharistia fuisse persuasos Patres, nec quidquam minus quàm hãc sententiam Sacramentariam somniâsse.

g 1. *Cor.* 11.

h *In orat. de sancto Baptismate.*

i *In Anchorato, pag.* 520.

NOTA.

SECVNDO. Sunt etiam quidam ex sanctis Patribus, qui expressis verbis hanc Sacramentariam expositionem reiecerint, dixerintq; non tantùm hic esse figuram, neq; tantùm secundum fidem aut gratiã vniri nos hic cum Christi corpore,

Argumentum II. a testimoniis Patrum.

sed etiam reipsa sumi hîc corpus & sanguinẽ Domini: aliquo nimirum alio modo, quàm illud spiritualiter participãtij, qui cum ipso tanquam membra cum capite per fidem & gratiam sunt vniti. Ita expresè k D. Damascenus, qui maximè ex sententia Ecclesiæ Orthodoxæ, & aliorum etiam antiquorũ Patrum, in omnibus loqui & docere sibi propositũ habuit: *Dominus ipse*, inquit Damascenus, *dixit: Hoc est, non corporis signum, sed corpus: nec sanguinis signum, sed sanguis.* Item l Theophylactus explicans illud, *Hoc est corpus meum: Hoc*, inquit, *quod sumitis. Non enim tantùm figura et exẽplar est corporis Dominici panis, sed in illud conuertitur corpus Christi.* Et ante hos m D. Chrysostomus: *Semetipsum*, inquit, *nobis commiscet, &* NON *fide* TANTVM, *verùm & ipsa re nos suũ efficit corpus.* Quod dicit propter coniunctionem & cõmunicationem corporalem Christi, quæ fit in hoc Sacramẽto, de qua paulò pòst etiã dicemus. n Item: *Vt itaq;*, inquit, NON TANTVM *per charitatem, verùm etiam ipsa* RE *in illam misceamur carnẽ; per escam efficitur, quam largitus est nobis.* Item o D. Cyrillus Alexãdrinus de hoc Sacramento loquens: NON *habitudine*, inquit, SOLVM, *quæ per charitatem esse intelligitur, verùm etiã participatione naturali Christus in nobis est.* Beatus etiam p Hilarius expressissimis verbis asserit nos suscipiendo istud Sacramentum, non tantùm concordia volũtatis per gratiam & religionem, sed etiã reipsa coniungi cum corpore & sanguine Christi: *Interrogo*, inquit, *istos, vtrũ per naturæ veritatem Christus in nobis sit, an per concordiã volũtatis?* Et paucis interpositis: *Verè*, inquit, *cibo Dominico Verbum carnem sumimus, naturãq; carnis suæ sub Sacramento nobis admiscuit.* Et paulò inferiùs: *Hæc à nobis*, inquit, *idcirco cõmemorata sunt, quia voluntatis tãtum vnitate hæretici personas diuinas vnitas esse interpretantur, & ad id exemplo vnitatis nostræ cum Deo vtuntur, quasi nobis ad Filium voluntate tantùm religionis vnitis, nulla per Sacramẽtum carnis naturalis communionis proprietas indulgeretur.* Huc etiam pertinet quod D. Augustinus sæpe clarissimè indicat, corpus Christi esse in hoc Sacramento non solùm tanquam in signo, sed reipsa. Vt cùm inquit: q *Aliud est Pascha Iudæorum, quod adhuc de oue celebrant. Aliud autem quod nos in corpore & sanguine Domini accipimus.* Celebratur igitur nostrum Pascha in corpore & sanguine Christi reuera, & nõ tantùm in signo

k *Lib. 4. fid. cap. 14.*

l *In c. 14. Marci, & 26. Matt.*

m *Homil. 60. ad popul. Antioch.*

n *Homil. 61. ad eundem pop.*

o *Lib. 10. in Ioan. cap. 13.*

p *Lib. 8. de Trinit.*

q *Lib. 2. contra lit. Petil. c. 37.*

signo corporis & sanguinis Christi. Nam huiusmodi signum etiam fuit in Paschate Iudæorum, & quidem multò illustrius, cũ perfectius repræsentarit agnus Christum in cruce immolatum, quàm panis. Item cùm ait: *r Catechumenos per quẽdam modum, scilicet per signum Christi* (intelligit panem quẽdam benedictum qui olim solebat dari) *& orationem puto sanctificari. Quamuis enim non sit corpus Christi, id quod accipiunt, sanctum est tamen, et sanctius quàm cibi quibus alimur, quoniam Sacramentum est.* Hîc Augustinus apertè distinguit Sacramẽtum illud propriè dictum quod est corpus Christi, & quod Catechumenis non datur (vt *s* aliâs ipse notat) à pane sanctificato, qui tamen erat signũ Christi (vt ait) & eatenus cõmuni quadam ratione dicebatur Sacramentum, prout Sacramentum dici potest quæcunq; res sacra mysticè aliquid significans. Censuit igitur Augustinus Eucharistiæ Sacramentum reuera esse corpus Christi, & non tantùm signum illius, quale fuit etiam ille panis benedictus, quem & *t* Paulinus vocat εὐλογίαν. Alibi quoq; diuus Augustinus diligenter Sacramentum corporis Christi distinguit ab aliis rebus, per quę significari potest Christus: *Quæ tamen signa, inquit, non dicimus corpus Christi & sanguinem, sed illud tantùm quod ex fructibus terræ acceptum, & prece mystica consecratum, ritè sumimus ad salutem spiritualem in memoriam Dominicæ passionis. quod cùm per manus hominum ad illam visibilem speciem perducitur, non sanctificatur, vt sit tam magnum Sacramentum, nisi operante inuisibiliter Spiritu Dei.*

r *Lib. 2. de peccator. mer. & remiss. c. 26.*

s *Tract. 11. & 96. in Ioan.*

t *Epistol. 35. ad Alipium.*

TERTIO. Vtuntur etiam sancti Patres maxima orationis contentione ad persuadendũ, virtute & omnipotentia Dei in hoc Sacramẽto mirabiliter adesse Christum, quantũuis aliud nobis ipsi sensus significent; neq; id esse in Eucharistia quod natura formauit, sed quod benedictio consecrauit. Vt planè appareat, eos pro illa reali Christi prẽsentia pugnare, quã hodie Sacramentarij, iudicio sensuum impediti, credere nolũt, non aũt pro illa alia præsentia secundum communicationem spiritualẽ, quam solam Sacramentarij admittũt, & in qua nulla peculiaris est difficultas, quæ non sit alioqui in cõmuni articulo de iustificatione nostra per Christũ, cui spiritualiter, vt membra capiti vnimur. Sed ipsos Patres audiamus. D. Ambrosius:

Argumentum III. ex Patribus.

brosius: u *Quantis*, inquit, *vtimur exemplis, non esse quod natura formauit, sed quod benedictio cõsecrauit. De totius mundi operibus legistis, quia ipse dixit, & facta sunt. Sermo ergo Christi qui potuit ex nihilo facere quod non erat, nõ potest ea, quæ sunt mutare in id quod nõ erat? Liquet quod præter naturæ ordinẽ semel Virgo generauit: et hoc quod facimus, corpus ex Virgine est. Quid hîc quæris naturæ ordinẽ in Christi corpore, cuius partus fuit ex Virgine supra naturæ ordinem?* x Eusebius Emissenus: *Recedat ergo*, inquit, *omne veritatis ambiguum, quandoquidem qui auctor est muneris ipse testis est veritatis. Nam inuisibilis Sacerdos visibiles creaturas in substãtiam corporis et sanguinis sui secreta auctoritate cõuertit, ita dicens: Accipite & comedite, Hoc est corpus meum. Et sanctificatione repetita, Accipite et bibite, Hic est sanguis meus.* y Cyrillus Hierosolymitanus: *Omni*, inquit, *cum certitudine corpus & sanguinẽ Christi sumamus. Nam sub specie panis datur tibi corpus, & sub specie vini datur tibi sanguis.* Et paulò inferiùs: *Ne ergo consideres tanquã panem nudum & vinum nudũ. Corpus enim est, et sanguis Christi, secundum Domini verba. Quamuis enim tibi sensus hoc suggerit, tamen fides te cõfirmet: ne ex gustu rem iudices. Quin potiùs habeas ex fide pro certissimo, ita vt nulla subeat dubitatio, esse tibi donata corpus & sanguinem.* Et infrà: *Hoc sciens & pro certissimo habens, panem hunc, qui videtur à nobis, non esse panem, etiamsi gustus panem esse sentiat, sed esse corpus Christi. Et vinum hoc, quod à nobis conspicitur, tametsi sensui vinũ videatur, non tamen vinum, sed sanguinem esse Christi.* Item diuus z Hilarius: *De veritate carnis & sanguinis non relictus est ambigendi locus. nunc enim & ipsius Domini professione & fide nostra, verè caro est, & verè sanguis est, & hæc accepta atq; exhausta id efficiunt, vt & nos in Christo, et Christus in nobis sit. Anné hoc veritas non est? Contingat planè his verum non esse qui Christum* IESVM *Deum verum esse negant.* a Chrysostomus: *Credamus*, inquit, *vbiq; DEO, nec repugnemus ei, etiam si sensui et cogitationi nostræ absurdum videatur, quod dicit: Superet & sensum, & rationem nostram sermo ipsius. Nam verbis eius fraudari non possumus. Sensus verò noster deceptu facillimus est. Quoniam ergo ipse dixit: Hoc est corpus meũ; nulla teneamur ambiguitate, sed credamus, & oculis intellectus id perspiciamus.* b Gregorius Naz. *Submota*, inquit, *omni dubitatione corpus ede, & sanguinem bibe. Vbi etiam pulchrè docet, hanc fidei firmitatẽ, ad hoc mysterium sine* titubatione animi credendũ, fuisse significatam c *baculis* illis quos iubebantur filij Israël manibus tenere, cum Pascha-

u *Lib. de myster. initian. cap. 9.*

x *Homil. 5. de Pasch.*

y *Catech. 4. Mystag.*

z *Lib. 8. de Trinit.*

a *Homil. 83. in Matth.*

b *Oratione 2. de Pasch.*

c *Exod. 12.*

Paschalem agnum, qui fuit huius Sacramenti typus, comederent. Similia reperiet Lector apud [d] Iustinum, [e] Cyrillum Alexandrinum, [f] Augustinum, [g] Leonem, [h] Damascenum, [i] Basilium, [k] Epiphanium, & alios passim.

QVARTO. Obseruant etiam sancti Patres, cum præsentia Christi in hoc Sacramento coniunctum esse illud miraculum, vt sit Christus ea ratione præsens simul in pluribus locis. Ex quo etiam euidentissimum est, eos de reali & substantiali præsentia, non de illa Sacramentaria loqui. Ita [l] Chrysostomus: O, inquit, *miraculum! O Dei benignitatem! qui cum Patre sursum sedet, eodem temporis articulo omnium manibus pertractatur.* Et rursus: [m] *Christus*, inquit, *ascendens in cœlum carnem suam & nobis reliquit, & ipsam ascendens habet.* Item D. Basilius: [n] *Veni*, inquit, *ad sanctificandum nos, qui sursum Patri consides, & hic nobis inuisibiliter coës.* Item Gregorius Nissenus: [o] *Sicut diuinitas replet mundum, & tamen vna est: ita innumerabilibus locis consecratur, & tamen vnum corpus est.* Item [p] Ambrosius: *Christus ipse*, inquit, *offertur in terris, quando Christi corpus offertur.* Et alij Patres communiter in cap. 10. epist. ad Hebr.

QVINTO. Amplificant dignitatem huius mysteri pulcherrimis quibusdam locutionibus & notationibus, quæ essent alioqui omnes futiles, nisi reuera intellexissent, Christum in hoc Sacrmento contineri. Vt quòd pascat hac ratione Christus suas oues proprio cruore: Quòd hîc suscipiamus nostrum sponsum, Dominum omnium, Christum crucifixum, Redemptorem, Pretium nostrum, &c. In quo genere præclara multa scribit diuus Chrysostomus, Itemq; Augustinus: *Iudæi*, inquit [q] Augustinus, *de crucifixo obtenebrati sunt. Christiani autem comedendo crucifixum illuminantur.* Item: [r] *Quidam* inquit, *manducantes in Sacramento Christum pauperem dedignantur esse pauperes.* Ac tractans locum, vbi iuxta 70. legimus de Dauide: [s] *Ferebatur in manibus suis*, ita inquit: [t] *Hoc fratres, quomodo possit fieri in homine, quis intelligat? Quis enim portatur in manibus suis? Manibus alienis potest portari homo: Manibus suis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipso Dauide, secundum* LITERAM *non inuenimus: In Christo autem inuenimus. Ferebatur enim Christus in manibus suis, quando*

d *Apolog.* 2.
e *Lib.* 4. *in Ioan. c.* 23.
f *Serm.* 2. *de Verbis Apostol.*
g *Serm.* 6. *de Ieiunio* 7. *mensis.*
h *Lib.* 4. *fid. c.* 14.
i *In quæstionibus diffusè explicatis, q.* 172.
k *In Anchorato pag.* 520.
Argumentum IIII. ex Patribus.
l *Lib.* 3. *de Sacerd. sub initium.*
m *Homil.* 2. *ad populum Ant.*
n *In liturgia.*
o *Oratio. de Pasch.*
p *In Psalm.* 38.
Argumentum V. ex Patribus.
q *In Psalm.* 33.
r *Epist.* 120. *ad Honoratium, cap.* 27.
s 1. *Reg.* 21.
t *In Psalm.* 33.

commendans ipsum corpus suum ait: Hoc est corpus meum. FEREBAT enim illud corpus in manibus suis. Quid hac, obsecro, diui Augustini oratione vel luculentius atq; elegantius dici potuit, si Christus reipsa in Sacramento præsens est; vel absurdius atque ineptius, si Sacramentum est tantùm Christi figura & symbolum? An enim est quisquam qui symbolum sui aut effigiem suis ipse manibus gestare non possit? Quid verò Chrysostomus? u *Parentes*, inquit, *aliis sæpe filios tradunt alendos. Ego autem non ita, sed carnibus meis alo, & meipsum vobis appono.* Tum alibi: x *Quod nunc dicunt, vellem ipsius formam aspicere, figuram, vestimenta, calceamenta: Ecce eum vides, ipsum tangis, ipsum manducas. Et tu quidem vestimenta videre cupis, ipse autem tibi concedit, non tantùm videre, verùm & manducare, & tangere, & intra te sumere.* Atque etiam ibidem: *Quis*, inquit, *loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius? Quis pastor oues proprio pascit cruore? Et quid dico pastor? Matres multæ sunt, quæ post partus dolores, filios aliis tradunt nutricibus. Hoc autem ipse non est passus, sed ipse nos proprio sanguine pascit, & per omnia nos sibi coagmentat.* Et illud in eodem genere præclarè: y *Helias melotem discipulo reliquit: Filius autem Dei, ascendens in cœlum, suam nobis carnem dimisit. Sed Helias quidem exutus:* CHRISTVS *autem & nobis reliquit, & ipsam habens ascendit.* Hæc & similia, quæ passim in libris occurrunt sanctorum Patrum, quis non videt inanissimè dici, nisi reuera habeamus in Sacramento, & ore quoque sumamus corpus & sanguinem Christi.

u *Hom.* 83. *in Matthæum.*

x *Hom.* 60. *ad populum, &* 45. *in Ioan.*

y *Hom.* 2. *ad pop. Antioch.*

Argumentum VI. ex Patribus.

SEXTO. Accuratè quoque reddunt rationem cur hîc voluerit Christus adesse sub aliena specie, videlicet ne horrori esset alioqui sumentibus. Quæ certè explicatio locum non haberet, si Christus hîc non sumitur ore corporis. Ita diuus Ambrosius, Damascenus, Theophylactus, atque etiam diuus Cyrillus Alexandrinus: *Didicisti*, inquit z Ambrosius, *quod ex pane fit corpus Christi; & quod vinum & aqua in calicem mittitur, sed fit sanguis consecratione Verbi cœlestis. Sed fortè dicis,* SPECIEM *sanguinis nõ video. Sed habet similitudinem.* (puta secundum speciem visibilẽ, reuera tamen est sanguis) *Sicut enim mortis similitudinem sumpsisti, ita etiam similitudinem sanguinis bibis,* VT NVLLVS HORROR *cruoris sit, & precium tamen sit Redemptionis. Didicisti ergo quia quod accipis,*

z *Lib.* 4. *de Sacram. c.* 4.

cipis, corpus est Christi. Item [a] Damascenus: *Quæris*, inquit, *quomodo Panis corpus Christi, & vinum cum aqua coniunctum, sanguis Christi fiat? Tibi item respondeo: Spiritus sanctus superuenit, eaque efficit quæ orationis facultatem ac mentis intelligentiam excedunt. Panis verò & vinum ob eam causſam adhibentur, quia Deo nota & explorata est humana imbecillitas: quippe quæ vt plurimum ea quæ vsu & consuetudine minimè trita sunt, grauiter ferat, &* AVERSETVR. Item [b] Theophylactus: Dicens, inquit, *Hoc est corpus meum, ostendit, quod ipsum corpus Domini est panis, qui sanctificatur in Altari, & non respondens figura. Non enim dixit: Hoc est figura, sed, Hoc est corpus meum. Ineffabili enim operatione transformatur, etiamsi nobis videatur panis. Quoniam infirmi sumus & abhorremus nudas carnes comedere, maximè hominis: ideò panis quidem apparet, sed caro est.* Item diuus [c] Cyrillus Alexandrinus: *Decebat*, inquit, *Christum nostris quodammodo vniri corporibus per sacram eius carnem & pretiosum sanguinem, quæ accepimus in benedictione viuificatiua in pane & vino. Ne enim* HORREREMVS *carnem & sanguinem apposita sacris Altaribus, condescendens Deus nostris fragilitatibus, influit oblatis vim vitæ, conuertens ea in* VERITATEM *propriæ carnis, vt corpus vitæ quasi quoddam semen viuificatiuum inueniatur in nobis.*

SEPTIMO. Accuratè explicant, quemadmodum neque corrumpatur, neque minuatur, neque consumatur Christus, etiamsi totus à singulis sumatur. quod etiam esset superuacaneum, si non hic sumitur reuera. Id verò proposuit quasi pro miraculo, D. Andreas Agæo Proconsuli, vt retulerunt Presbyteri Achaiæ. Idem etiam ostendit D. [d] Cyprianus, [e] Augustinus, [f] Cyrillus Hierosolymitanus, [g] Emissenus.

OCTAVO. Studiosè etiam declarant, ex quibus naturis constet persona existens in hoc Sacramento, nempe non solùm ex humana, sed etiam ex diuina, atque ideò esse ibi cibum viuificum. Ita in Concilio [h] Ephesino: Atque etiam idem asserit [i] Cyrillus, & [k] Theodoretus ex Ignatio. Et [l] Hilarius: Verbum, inquit, caro factum est, & verè carnem verbum cibo Dominico sumimus. Idem asserit [m] Theophylactus.

NONO. Non modò simpliciter asserunt personam existentem in Eucharistia esse verum Deum & hominem, sed quod amplius est, hac etiam assertione tanquam firmissimo & no-

a *Lib. 4. c. 14.*

b *In cap. 26. Matth. Idem in c. 14. Marci.*

c *Apud diuũ Thomam in ca put 22. Lucæ.*

d *Serm. de cœna Domini.*

e *Serm. 2. de verbis Apostoli, & apud Bedam in 1. Cor. 10.*

f *Catech. 5. Myst.*

g *Serm. 5. de Pasch.*

Argumentum VIII.

h *Anathẽ. II. & in epist. ad Nestor.*

i *In declarat. illius Anath.*

k *Dialogo 2. & 3.*

l *Lib. 8. de Trin.*

m *In caput 6. Ioan.*

Argumentum IX.

& notissimo fundamento sæpe vsi sunt ad refellendos varios hæreticorum errores. Nam [n] Irenæus inde probat contra Valentinianos, Christum esse Filium *Dei Patris, fabricatoris mundi, quoniam fateri eos necesse sit, Eucharistiam esse carnem Filij Dei.* Ibidem etiam contra eosdem probat futuram nostræ carnis resurrectionem, quoniam *corpore*, inquit, *& sanguine Domini alitur.* Item ex eodem fundamento [o] probat contra Gnosticos, Christum venisse in vera carne: Quoniã alioqui *neq; calix*, inquit, *Eucharistiæ, communicatio sanguinis eius esset, neque panis quem frangimus communicatio corporis eius. Sanguis enim non est nisi à venis & carnibus, & à reliqua, quæ est secundum hominem, substantia.* Et infrà inde etiam probat futuram resurrectionem: *Quomodo*, inquit, *negant, carnem capacem esse donationis Dei, quæ est vita æterna, quæ sanguine & corpore Christi nutritur* (id est, quæ carnem Christi, reipsa percipit) Præterea D. [p] Hilarius probat veritatem corporis & sanguinis Christi, ex eo quòd vera caro & verus eius sanguis sit in hoc Sacramento. Item probat ibi Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, non tantùm vnitate voluntatis, sed etiam vnitate reali & naturali vnum esse, sicut nos cum Filio efficimur vnum, *reali & naturali coniunctione* corporum in hoc Sacramento, vt suprà etiam ex Hilario recitaui. Diuus etiã [q] Cyrillus ex eadem veritate confirmat cõtra Arianos, Christum non modò secundum diuinitatem, sed etiam *secundum humanitatem* influere in nos, tanquam vitem in palmites, vitam gratiæ, quia nimirum eius corpus & sanguis ad vitam spiritualem in Eucharistia sumitur. Suprà etiam vidimus ex eodem fundamento refutari ab [r] Augustino quendam Vrbitium.

n *Lib. 4. c. 34.*

o *Lib. 5. c. 2.*

p *Lib. 8. de Trinit.*

q *Lib. 10. in Ioan. c. 13.*

Cap. 2.

r *Epist. 86.*

Argumentum X.

DECIMO. Sæpe notant, propter hanc coniunctionem realem & naturalem corporis nostri & corporis Christi, effici nos quasi vnum corpus cum Christo, ad modum quo [s] dicuntur coniuges propter corporalem coniunctionem esse vna caro. Atque hanc vnionem & quasi admixtionem realem & corporalem cum Christo diligenter ideò distinguunt à cõiunctione & vnione spirituali, cum eodem per gratiam. Huc pertinet quod D. [t] Irenæus affirmat, *carnem nostram corpore & sanguine Christi nutriri, & membra nos fieri eius, de carne eius & ossibus eius.*

s *Matth. 19. Ephes. 5.*

t *Lib. 5. cap. 2.*

ius. Quod ita dicit non quia caro Christi in nostram conuertatur, sicut corporalis cibus, sed quia corporaliter cum nostra carne in hoc Sacramento coniungitur; & illam eatenus vegetat, quatenus virtute carnis Christi sumptæ nunc in Eucharistia, consequitur nostra caro postea in resurrectione gloriæ immortalitatem: atque etiam ob id fortè, quod vires illi aliquas corporales mirabiliter suppeditat. Huc item illud u Gregorij Nisseni spectat: *Quemadmodum*, inquit, *parum fermenti, teste x Apostolo, totam massam sibi similem reddit, sic corpus illud viuificum in corpus nostrum ingrediens totum in se transfert atque commutat, sibique simile & immortale* (futurum suo tempore) *reddit. Necessarium enim est, quoad fieri potest, vt natura nostra vim salutarem intra corpus admittat.* Item diuus y Cyrillus de hac vnione corporali, quæ fit per vsum Eucharistiæ, differens: *Quemadmodum*, inquit, *si quis igne liquefactam cerã aliæ ceræ similiter liquefactæ ita miscuerit, vt vnum quid ex vtrisque factum videatur; sic communicatione corporis & sanguinis Christi ipse in nobis est, & nos in ipso: Non poterat enim aliter corruptibilis hæc natura corporis ad incorruptibilitatem, & vitam traduci, nisi naturalis vitæ corpus ei coniungeretur.* Ita quoque asserit diuus z Chrysostomus; Nostram hanc cum Christo coniunctionem *non tantùm fide aut charitate, sed etiam reipsa* istius vsu Sacramenti fieri. Quod etiam asserit a Hilarius, & b diuus Damascenus, & c Haymo, & alij. Atq; ex hac quidem corporali nostra vnione cum Christo, docent Patres, quasi effectum quendam consequi (nisi impuritas conscientiæ obsistat) illam alteram nostri vnionem cum eodem Christo secundum gratiam, quia scilicet carnem Christi Dei & hominis viuificatricem sumamus, quæ sit instrumentum diuinitatis in efficienda gratia. Ita expressissimè d Cyrillus & e Tertullianus, qui eleganter dixit: *Caro nostra corpore & sanguine Christi vescitur, vt & anima Deo saginetur.*

u *In oratione Catech.*
x 1. *Cor.* 11.
y *Lib.* 10. *in Io. c.* 13.
z *Hom.* 45. *in Ioan. &* 83. *in Matth.*
a *Lib.* 8. *de Trinit.*
b *Lib.* 4. *c.* 14.
c *In cap.* 10. 1. *Cor.*
d *Lib.* 4. *in Ioan. c.* 14. *&* 15.
e *Li. de resurrectione carnis.*

Vndecimo. Affirmant quoque corpus ipsum & sanguinem etiam à malis & indignis hominibus ore sumi sacrilego, eamque adeò oralem tãtùm sumptionem distinguunt à sumptione spirituali & fructuosa, quam simul ab omnibus requirunt. Ita expressissimè D. f Augustinus, vbi sic inquit: *Carnem*

Argumentum XI.

f *Tract.* 27. *in Ioan.*

Christi & sanguinem Christi non edamus & bibamus tantùm in Sacramento, quod & faciunt, inquit, multi mali, sed vsq; ad Spiritus participationem manducemus & bibamus. Et alio loco clarissimè: [g] Indignè, inquit, quisq; sumens Dominicum Sacramentum, non efficit vt quia ipse malus est, malum sit, aut quia non ad salutem accipit, nihil acceperit. Corpus enim Domini & sanguis Domini nihilominus erat etiam illis quibus Apostolus dicebat; Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Et rursus: [h] Iudas proditor bonum corpus, & Simon Magus bonum Baptisma Christi percepit. Sed quia bono benè non vsi sunt, mali malè vtendo deleti sunt. Idem etiam asserit in aliis multis [i] locis. Ac similiter D. [k] Chrysostomus: Iudæi, inquit, sacrosanctum corpus trucidarunt: Tu post tot tantaq; beneficia sordida suscipis anima. Quod ipsum expresè asserit in [l] aliis locis. Item [m] Origenes: Communicare, inquit, non times corpus Christi accedens ad Eucharistiam, quasi mundus & purus, & putas quod effugies iudicium Dei? Item clarissimè [n] Theodoretus: Quemadmodum, inquit, probris affecerunt Christum Iudæi, ita ignominia eum afficiunt, qui sanctissimum eius corpus immundis manibus accipiunt, & in pollutum & incestum o s immittunt. Eadem est sententia D. [o] Cypriani, & [p] Basilij, & D. [q] Leonis, qui inter cetera dicit, illud ipsum ore sumi, quod fide creditur. Quam rem sancti Patres Apostoli [r] testimonio confirmant, qui ait: Reum esse corporis & sanguinis Domini illum, qui indignè manducat & bibit, quia non diiudicet corpus Domini, quod nimirum ore sumit. Secundum Caluinianam autem sententiam corpus ipsum & sanguis Domini non sumitur ore corporis, sed tantùm à iustis palato fidei (vt dicunt) secundum participationem gratię & vnionem spiritualem cum corpore Christi.

g Lib. 5. de Baptism. contra Donat. c. 8.

h Lib. contra Fulgentium Donatist. c. 7.

i Lib. 2. contra literas Petil. ca. 55. & serm. 11. de verb. Domini. & lib. 1. de adulter. cõiug. ca. 27. &c.

k Homil. 83. in Matth.

l Homil. 45. in Ioan. & in cap. 11. 1. ad Cor.

m In Psal. 37.

n In cap. 11. 1. Cor.

o Lib. 3. ep. 15.

p Lib. 2. de Baptis. cap. 3.

q Serm. 6. de Ieiunio 7. mẽsis.

r 1. Cor. 11.

Argumentum XII.

Duodecimo. Illud etiam obseruatione dignissimum est, quod asseuerant Patres, Christum ipsum in vltima cœna comedisse in hoc Sacramento suummet corpus, & bibisse proprium suum sanguinem. Quod certè intelligi non potest secundum gratiæ participationem Caluinianam. Nam neque gratiæ aliquid Christo post momentum incarnationis de nouo accessit, & inauditum est, quòd caro ipsa & sanguis Christi fuerit caussa instrumentalis, & effectiua alicuius gratiæ, quæ vnquam animæ Christi daretur. Oportet igitur de orali sumptio-

sumptione intelligere, quod Patres dicunt, Christum sumpsisse suum corpus. Ita expresè [s] Chrysostomus: *Ne turbarentur*, inquit, *Apostoli, primus ipse suũ sanguinem bibit.* Item [t] Hieronymus: *Ipse*, inquit, *conuiua & conuiuium, ipse comedens & qui comeditur.*

s *Hom.* 83. *in Matth.*
t *Ad Edibiam.*

Argumentum XIII.

DECIMOTERTIO. Magno etiam consensu asserunt, Christum in illa cœna sese in pane & vino incruente sacrificauisse & obtulisse Deo Patri, vt plurimis & clarissimis testimoniis sanctorum Patrum ostendi in [u] tractatu de Missa. Qui etiam ideò asserunt, Christum, vt similiter Sacerdotes incruente postea sacrificarent, ibi præcepisse verbis illis: *Hoc facite in meam commemorationem*, quod illic etiam ostendi. At certè non sacrificatur & offertur, nisi res præsens, quæ scilicet veluti sistatur ante Deum. Vnde clarissimè diuus [x] Ambrosius: *Christus ipse offertur*, inquit, *in terris, quando Christi corpus offertur.*

u *Cap.* 4. *Id asserunt Clemens Rom. lib.* 8. *constit. Apostol. ca.* 5. *&* 16. *Dionys. c.* 3. *Eccles. Hierar. in fine. Iustinus in dialogo cum Triph. Irenæus lib.* 4. *ca.* 32. *Cyprian. lib.* 2. *epist.* 3. *& alij, quos in illo tractatu citauimus.*
x *In Psal.* 38.

Argumentum XIIII.

DECIMO QVARTO. Est etiam illud maximum, quod in quibus locis Eucharistia existit, & à quibus rebus aliquo modo, aut etiam aliquo sensu, attingitur; in iisdem existere, & ab iisdem rebus attingi Christi corpus & sanguinem similiter Patres affirmant; ratione videlicet Eucharistiæ. Quod non rectè dici posset, nisi ex sententia sanctorum Patrum ipsum corpus & sanguis Christi existant reuera in Eucharistia. Ea enim ratione fit, vt vbi existit Eucharistia, existat corpus & sanguis Christi. Hinc igitur [y] Chrysostomus dicit, Christum Dominum in hoc Sacramento *videri, & tangi, & intra nos sumi, & dentes eius carni infigi.* Et: [z] *Degustari sanguinem Christi: Linguam tremendo Christi sanguine rubescere.* Et: [a] *Os igne spirituali impleri, & linguam admirabili sanguine cruentari.* Atque etiam [b] Cyprianus eadem ratione dicit: *Iacere corpus Domini in arca, contrectari manibus, concludi visceribus.* Sic [c] Hieronymus quoque: *Portari dixit ab Exuperio sanguinem Christi in vitro, & corpus in vimineo canistro.* Ac [d] Optatus Mileuitanus similiter dixit: *Altare sedem esse corporis Domini, & calices portatores sanguinis.*

y *Hom.* 45. *in Ioan. &* 60. *ad populum.*
z *Hom.* 61. *ad populum.*
a *Hom.* 83. *in Matth.*
b *Serm. de lapsis.*
c *Epist. ad Rusticum Monachum in fine.*
d *Lib.* 6. *contra Parmen.*

Argumentum XV.

DECIMO QVINTO. Ad hæc accedit, quod sancti Patres vbi-

vbique loquuntur de hoc sanctissimo Sacramento longè reuerentius ac diuinius non modò quàm de Sacramentis veteris legis, quæ & ipsa etiam erant figuræ quædam Christi, sed quàm de Sacramento Baptismi, & aliis Sacramentis nouæ legis, cùm tamen certum sit in aqua etiam Baptismi esse quoddam signum seu symbolum corporis & sanguinis Christi, quatenus eius virtute abluimur spiritualiter in Baptismo. Formo igitur ex hoc tale argumentum: Si ex sententia Christi & sanctorum Patrum Eucharistia ideò solum est & dicitur corpus & sanguis Christi, quia est symbolum ipsius, vt nos in eo Sacramento spiritualiter reficit: & eatenus solum in Eucharistiæ vsu corpus & sanguis Christi sumitur, quatenus gratia & refectio spiritualis virtute atque efficacia corporis & sanguinis Christi in hoc Sacramento percipitur; pari modo ex sententia Christi & sanctorum Patrum esset ac dici posset aqua Baptismi corpus & sanguis Christi, & pari modo ex eiusdem Christi & sanctorum Patrum sententia in Baptismi vsu exhiberetur ac sumeretur corpus & sanguis Christi, vt videlicet spiritualiter ibi nos abluit. At summa dementia est putare, hanc fuisse Christi & sanctorum Patrum de Baptismo sententiam. Ergo insaniunt Sacramentarij, si sententiam Christi & sanctorum Patrum de Eucharistia, non nisi illam esse contendunt. Prior argumenti propositio probatur; Quoniam, vt dictum est, similiter aqua Baptismi est symbolum corporis & sanguinis Christi propter virtutem quam ille habet nos emundandi à peccatis. Item maximè etiam per efficaciam corporis & sanguinis Christi, datur illa gratia spiritualis, quæ percipitur in Baptismo. Posterior autem propositio patet, quoniam nunquam Christo vel sanctis Patribus in mentem venit, ita de Baptismi aqua affirmare, quòd sit corpus & sanguis Christi, sicut id affirmarunt de Eucharistia. Et sanè facere quoad hoc parem Baptismum Eucharistiæ, res est quæ abhorret etiam à communi sensu omnium fidelium, qui vnquam fuerunt.

Argumentum XVI.

DECIMO SEXTO. Huc item pertinet, quod sancti Patres apertè testati sunt, hoc Sacramẽtum, propter Christum in eo existentem, esse adorandum; Quod facere, nisi Christus in eo reuera contineatur, esset idololatria. Testimonia verò ea de re Patrum sequenti capite citabimus, cùm argumentabimur ex Ecclesiæ praxi.

Argumentum XVII.

DECIMO SEPTIMO. Veritatem deniq; præsentiæ corporis & sanguinis Christi secundum sententiam veterum Patrum, atque etiam fidelium omnium qui vnquam fuerunt, confirmat clarissimè suspicio Gentilium. Nam quia fideles tam constanter profitebantur, se corpus & sanguinem Christi in Eucharistia sumere, ideò Gentiles cõminiscebantur eos esse anthropophagos, eosq; accusabant de nescio quo infanticidio, vt inde effusum sanguinem in mysteriis vsurparent; sicut videre est apud e Tertullianũ, & f Eusebium, atq; etiam apud g Prudentium, vbi elegantissimo carmine, quod paulò pòst recitabo, commemorat Præfectum Gentilẽ exprobrasse D. Laurentio Martyri, quod Christiani vterentur in sacrificiis fumante sanguine.

e *In Apolog. cap.* 7.
f *Lib.* 5. *hist. cap.* 1.
g *Lib.* περὶ στεφάνων.

CAPVT SEXTVM.

Confirmatur quintò realis præsentia Christi in Eucharistia ex antiqua Ecclesiæ praxi erga istud Sacramentum.

Adorata olim est Eucharistia.

QVINTO. Eadem assertio Catholica probatur quoque ex antiqua Ecclesiæ Catholicæ praxi. Primò enim moris semper fuit, vt Eucharistia adoraretur, quæ adoratio fuisset idololatria, nisi Christus verus Deus & homo in Eucharistia contineretur. Eius consuetudinis testes sunt sancti Patres. a Augustinus docet, *Eucharistiam discerni à ceteris cibis veneratione singulariter debita*. Et quod obseruatione dignum est, addit ibi Augustinus, idcirco Apostolum reprehendisse Corinthios, quia id nõ faciebant, cùm non diiudicarent corpus Domini. Idem de adoratione Eucharistiæ testatur in aliis b locis, quibus huc illud accõmodat

a *Epist.* 118. *ad Ian. cap.* 3.
b *In Psalm.* 21. *et in epist.* 120. *ad Honor. cap.* 27.

dat ex Psalm. 21. *Manducauerunt & adorauerunt.* Item declarans illud: *Adorate scabellum pedum eius: Caro Christi,* inquit, *ex terra est, & nemo eam manducat nisi prius adoret.* Quod ipsum adeò non esse idololatriam dicit, vt affirmet fore potiùs *peccatum* manducare & non adorare. Idem prorsus ex eodem Psalmi loco docet diuus [c] Ambrosius. Præterea id quod est in Eucharistia adorandum esse testatur [d] Chrysostomus: *Hoc corpus,* inquit, *in præsepe reueriti sunt Magi, & barbari cum timore & tremore plurimo adorauerunt. Imitemur barbaros nos qui cœlorum ciues sumus. Illi eum in præsepe viderunt. Tu verò non in præsepe, sed in altari.* Qui etiam [e] narrat, *vidisse sanctum quendam Angelos inclinantes capita Christo in mysteriis.* Item [f] Theodoretus: *Intelliguntur,* inquit, *mystica symbola, quæ facta sunt, & creduntur, & adorantur; vt quæ verè existunt ea, quæ creduntur.* Item eiusdem consuetudinis testis est [g] Gregorius Nazianzenus: *Ad altare,* inquit, *cum fide procumbit, eum qui super illud colitur obtestans.* Et [h] Cyrillus Hierosolymitanus: *Accede,* inquit, *ad calicem sanguinis illius pronus, adorationis in modum.* Denique quia tantus olim erat cultus erga Eucharistiã, suspicabantur Gentiles, Christianos colere Cererem & Bacchum, vt testatur diuus [i] Augustinus.

Psalmo 30.

c *Lib.* 3. *de Spiritu sancto, cap.* 12.

d *Homil.* 24. *in* 1. *Corinth.*

e *Lib.* 6. *de Sacerd.*

f *Dialogo* 2.

g *Orat. de Gorgonia sorore.*

h *Catech. Mystagog.* 5.

i *Lib.* 20. *cõtra Faustum, cap.* 13.

Christus olim inuocabatur in Eucharistia.

Secvndo. Est etiã olim inuocatus Christus in ipsa Eucharistia. Id apparet manifestè ex [k] Gregorio Nazianzeno, & ex diuo [l] Basilio, qui inter alias traditiones non scriptas numerat: *Inuocationis,* vt inquit, *verba, dum ostenditur panis Eucharistiæ & poculum benedictionis.* Item diuus [m] Dionysius: O, inquit, *diuinissimum Sacramentum, perspicuè nobis fac appareas, reuelatis operimentis ænigmatum quæ te symbolicè circumdant, & intelligentiæ nostræ oculos tuo lumine comple.* Item in Liturgiis Basilij & Chrysostomi compellatur Eucharistia his verbis: *Deus propitius esto mihi peccatori:* Atque etiam ibi Chrysostomus: *Domine,* inquit, *non sum dignus, vt intres sub tectum meum.* Quod & hodie etiam in Missa Latina vsurpatur, & ad Eucharistiæ adorationem accommodatum est ab [n] Origene, & ab [o] Augustino.

k *Orat. de Gorgon.*

l *Lib. de Spir. sancto, cap.* 27.

m *De Eccles. Hier. cap.* 3. *de Synaxi.*

n *Homil.* 5. *in diuersos.*

o *Epistol.* 118. *cap.* 3.

Eucharistia religiosissimè olim tractata.

Tertio. Eiusdem rei argumentum est, quod summa fuit semper religio in sumenda Eucharistia & tractanda, tanquam re omnium sacratissima. Hinc enim constitutum fuit, vt non

vt non nisi à ieiunis perciperetur, sicut [p] Augustinus asserit: item etiam vt summum peccatum duceretur dare non ieiunis, sicut ex [q] Chrysostomo colligi potest. Nam cùm quidam finxissent, Chrysostomum non ieiunis administrasse Eucharistiam, respondit ille: *Hoc si feci, expungatur nomen meum ex albo Episcoporum, & abiiciat me etiam Christus à regno suo.* Eadem caussa fuit, cur diligens conscientiæ examen tantoperè ante vsum Eucharistię requireretur, tum ab ipso [r] Apostolo, tum ab aliis Patribus. qui grauissimum scelus esse censuerunt Eucharistiã administrare homini flagitioso. Vnde [s] Chrysostomus: *Quantam,* inquit, *dignitatem exigimus ab eo, qui communionem Domini manibus pertractat? quales manus, qualem linguam esse oportet, &c.* Et rursus: [t] *Se potiùs sanguinem proprium effusurum dicit, quàm admissurum indignum aliquem ad Dominicum sanguinem.* Inde etiã summa cautela adhiberi solita est in percipienda Eucharistia. Itaq; [u] Cyrillus Hierosolymitanus: *Accedens,* inquit, *ad communionem, sinistram veluti sedem quandam subiicias dextræ, quæ tantùm Regem susceptura est. Sanctificatis autem diligenter oculis, tum sancti corporis contuitu communica. Caue autem ne quid excidat tibi. Quod enim amittis, hoc tanquam ex proprio membro amiseris.* Idem monuit grauissimis verbis [x] Origenes. Cautum etiam ex eadem religione diligẽtissimè olim est, ne vel sumeretur, vel etiam cerneretur istud Sacramentum ab infidelibus, vt apparet ex diuo [y] Dionysio, & ex [z] Beda. Item: Cautum ne videretur etiam à fidelibus nondum baptizatis. Ex quo [a] Augustinus: *Corpus,* inquit, *Christi est manna absconditum à Catechumenis, quia* IESVS *adhuc non se credit illis.* Atque ideò etiam Patres, cùm apud promiscuam multitudinem fidelium & infidelium de hoc Sacramento verba faciebant, vel etiam cùm aliquid scribebant, cautissimè loquebãtur, vtebãturq; quibusdam arcanis significationibus, & quasi ænigmatibus, quæ à solis fidelibus intelligerentur. Sicut etiam [b] Apostolus: *Vt prudentibus,* inquit, *loquor.* Et [c] Augustinus: *Sacramentum,* inquit, *fidelium norunt fideles.* Item: *Norunt qui mysteriis imbuti sunt.* Quo modo loquendi vsus est etiam [d] Origenes. Ideò etiam, ne mysterium proderent infidelibus, ferè vocabant istud Sacramẽtum symbolum, mysterium, signum corporis

p *Epist. citata.*

q *Epist. 3. ad Cyriacum.*

r 1. *Cor.* 11.

s *Lib. 6. de Sacerdot.*

t *Homil.* 83. *in Matth.*

u *Catech. Mystag. 5.*

x *Homil.* 13. *in Exod.*

y *Cap. 7. Eccl. Hier.*

z *Lib. 2. hist. cap. 5. & in Martyrolog.* 18. *Kal. Octobr.*

a *Tract.* 11. *in Ioan.*

b 1. *Cor.* 10.

c *Serm. 2. de Verbis Apost.*

d *Homil.* 13. *in Exod. & 9. in Leuit.*

poris & sanguinis Christi, sacram figuram: magisque de spirituali manducatione in popularibus sermonibus concionabantur, quàm de reali & Sacramentali. Hanc enim rarò satis explicabant, propter caussam iam dictam. Quòd quia non satis attenderunt Sacramentarij, in quibusdam sermonibus Augustini popularibus scandalizati sunt, vt pòst videbimus.

Priuata asportatio Eucharistiæ, ex religione erga Sacramentum istud prohibita.

c *Epistola ad Cæsariam Patriciam.*

QVARTO. Cùm propter morem sumendi priuatim propriis manibus & deferendi domum Eucharistiam (quod olim quidem ob ministrorum penuriam & instãtem ferè semper persecutionem infidelium expediebat, vt inquit [c] Basilius) lapsu temporis multa sacrilegia committerentur; ex eadem religione factum est, vt illa cõsuetudo tolleretur, & grauissimè præciperetur custodia sacræ Eucharistiæ: quod factũ est in Concilio Tolet. I. Brach. III. Cæsaraugustano, Remensi, & maximè in Lateranensi sub Innocentio III.

Eucharistia pro viatico salutari habita.

f *Lib. 6. de Sacerd.*

QVINTO. Eadem religione pro salutari viatico semper habita & vsurpata fuit Eucharistia ab his qui è vita decederent. Qua de re diuus [f] Chrysostomus narrat sanctum quendam virum diuino munere cognouisse, eos, qui è vita migraturi corporis Christi purè & sanctè participes fierent, ab Angelis in cœlum adduci. De hoc salutari viatico præcipitur etiam in [g] Concilio I. Nicæno. Ac licet colligere ex [h] Eusebio, & ex [i] Paulino, quanta olim fuerit huius viatici religio.

g *Can.* 12.
h *Lib. 6. c.* 34.
i *In Vita Ambrosij.*

SEXTO. Eiusdem veritatis argumentum etiam est praxis antiquissima Ecclesiæ in sanctitate & religione templorum, vestimentorum, vasorum, earumque rerum omnium quarum est vsus in huius Sacramenti celebratione. Quæ omnia, vt Hieronymus ad Theophilum Alexandrinum inquit: *Propter consortium corporis ac sanguinis Domini magna veneratione colluntur; & contaminata,* (vt ait [k] Optatus) *sacrilegos faciunt.* Hinc est quod Ariani inter alia grauissima crimina, quæ diuo [l] Athanasio, vt eum infamarent, falsò obiecerunt, illud commenti sunt, quod mysticũ calicem confregisset. Quod maximũ esse crimen, Patres Synodi Alexandrinæ fatentur, dum Athanasij innocentiam defendunt: *Mysticum,* [m] inquiunt, *poculum, impium eum*

k *Lib. 6. contra Parmen.*
l *In Apologia 2. Athanasij.*
m *In actis Synodi Alex. quæ refert Athanasius Apol. 2.*

eum reddit, qui id vltrò frangit. Et infrà: *Impius est qui hunc mysticum calicem frangit.*

Sacerdotum dignitas.

Septimo. Id testatur Sacerdotum in Ecclesia summa dignitas, & summus honor ob id illis habitus, quia, vt Hieronymus ad Heliodorum inquit: Christi *corpus sacro ore conficiunt.* De quo dignitatis præcelso gradu, grauissimè sanè [n] Gregorius Nazianzenus aliquibus in locis loquitur. Itemque [o] Chrysostomus, & alij Patres passim. Huc etiam pertinet, quod ob eandem caussam maxima fuit semper à Sacerdotibus sanctitas requisita, vt dignè videlicet istud Sacramẽtum tractẽt, quemadmodũ diuus [p] Ambrosius, & diuus [q] Hieronymus inquiunt.

n *In Apolog. 1. & orat. ad Iulianum, & orat. ad Episcopos.*

o *In libris de Sacerd.*

p *In c. 3. 1. ad Timoth.*

q *Cõtra Iouin.*

Eucharistia ornatu precioso olim celebrata.

Octavo. Propter hanc ipsam huius Sacramenti summam religionem iam olim non nisi ex rebus valdè preciosis, vt ex auro & argento, calices & ornamenta ad Eucharistiæ celebrationem parabantur. Itaque Gregorius [r] Turonensis mentionem facit turris argenteę ad circumgestationem Eucharistiæ paratæ. Et Symmachus fertur duo ciboria argẽtea fecisse, in quibus asseruaretur Eucharistia super altaria sancti Syluestri & Andreæ. Ac [s] Damasus quinque calices argenteos dedit Basilicæ, quam ipse Romæ exædificandam curauit. Item Petrus Diaconus in vita Gregorij Magni narrat eum posuisse ciborium argenteum super altari diui Petri & Pauli. [t] Ambrosius quoq; vsum calicum aureorum suo tempore fuisse apertè significat. Item in Ecclesia Rhemensi, ante mille annos à diuo Remigio calix aureus relictus est, cum hac inscriptione: *Hauriat hinc populus vitam de sanguine sacro.* Et in multis Germaniæ Monasteriis vetustioribus exstant adhuc antiquæ fistulæ aureæ vel argenteæ, quarum erat olim vsus ad sanguinem ex calice tutiùs hauriendum. Quin etiam apud diuum Prudẽtium in libro περὶ στεφάνων, Præfectus Gentilis diuo Laurentio Martyri inter alia dicit: *Hunc esse vestris orgiis, Moremq; & artem proditum est, Hanc disciplinam fœderis, Bibant vt auro antistites, Argenteis scyphis ferunt, Fumare sacrum sanguinem, Auróque nocturnis sacris astare fixos cereos.* Quæ carmina etiam commemorauit Edmundus Campianus Societatis Iesv Martyr

r *In passione Polycarpi Martyris.*

s *In gestis Damasi, tomo 1. Conc.*

t *Lib. 2. offic. cap. 28.*

Ratione 10. in Anglia, vbi in suo libello contra Sectarios vtitur omnis generis testibus ad comprobandam antiquitatem Romanæ & Catholicæ religionis.

Reuerentia Christianorũ erga panem & vinum propter sanctitatẽ Eucharistiæ.

NONO. Tanta fuit huius Sacramenti religio olim, vt propter reuerentiam erga species panis & vini, quippè quę Christum continent, diligentissimè cauerent fideles, ne quid etiam de pane communi aut vino excideret in terram. Quem morem [u] Tertullianus commemorat & probat. Et adhuc hodie in prouinciis benè institutis & Catholicis id seruatur. Certè in Hispania panem cum reuerentia quadam osculantur, si in terram cecidit, idque religione quadam erga Eucharistiam. De aqua verò etiamsi ex illa constet sacrosanctum Sacramentum Baptismi, nihil vnquam simile à fidelibus obseruatum est.

u *Lib. de corona militis.*

Certitudo populi Christiani de præsentia Christi in Eucharistia.

DECIMO. Huc etiam pertinet illa fidei securitas, & certissima assueratio, qua solent communiter fideles filios paruulos quasi ab infantia assuefacere ad religionem & reuerentiam erga istud Sacramentum: vt planè sibi paruuli persuadeant, se Christum Dominum in illis speciebus videre. Quam consuetudinem, & sensum parentum fidelium, etiam Augustini temporibus fuisse, satis ex eodem [x] Augustino intelligi potest. Is enim, tanquam de re omninò loquens, quæ tunc temporis in vsu esset, ab eaque exemplum familiare petens, scribit: *Si parentes infantes suos grauissima auctoritate* (Christi, Matt. 26.) *doceant, in Eucharistia esse corpus & sanguinem Christi, nihil aliud illos credere aut putare posse, nisi Christum Dominum in illa specie panis apparuisse mortalibus, & de latere ipsius percusso liquorem illum omninò fluxisse.*

x *Lib. 3. de Trin. cap. 10.*

Vsus Eucharistiæ ad tutelam.

VNDECIMO. Moris etiam illis Augustini temporibus fuit, vt oblatione Eucharistiæ in iis locis, quibus visebantur dæmonum spectra, vterentur ad eos fugandos: sicut ex [y] Augustino constat euidenter. Quem locum tractaui fusè contra Sectarios [z] alibi. Illa verò consuetudo procul dubio indicium est antiquæ fidei de Christi præsentia in hoc Sacramento, dæmonibus ipsis formidabili.

y *Lib. 22. de ciuit. cap. 8.*

z *In tract. & apolog. de sacrificio Missæ, cap. 5.*

DVODE-

DVODECIMO. Denique & illud huius veritatis maximum à praxi argumentum est, quod à tempore Berengarij, qui vehementiùs oppugnare sacram Euchariſtiam cœpit, aucta est in Eccleſia diuinitus religio erga illam, & culta multò magis, quàm antè. Nam ſub id tempus circumferri etiam à Chriſtiano populo cum ſumma pompa & celebritate cœpit, in memoriam Chriſti ingreſſus in Hieroſolymam triumphantis, ſicut olim etiam circumferebatur Dei arca, quæ & ipſa fuit huius Sacramenti figura. Et quod obſeruatione dignum eſt, putatur hæc pompa vſurpari cœpiſſe primùm Andegauis, vbi Berengarius ille fuerat Archidiaconus: in eaque vrbe dicitur etiam hodie eſſe illa pompa celeberrima, ſi vſquam alibi. Neque multò pòſt Vrbanus IIII. Pontifex, ad rei maiorem celebritatem, ſolenne feſtum corporis Chriſti inſtituit, & plurimis gratiis ornauit. Quæ omnia videntur certè facta diuinitus fuiſſe, ad oppreſsionem & ignominiam hæreſis contrariæ.

Aucta religio & fides erga Euchariſtiam poſtquam oppugnari cœpit.

CAPVT SEPTIMVM.

Probatur ſextò realis Chriſti præſentia in Euchariſtia, ex his quæ de iſtius Sacramenti efficacia, ipſi etiam Caluiniſtæ interdum concedunt.

SEXTO loco ex his etiam, quę de vi ac ratione huius Sacramenti Caluiniſtæ quoque ſaltem verbis coguntur fateri, hunc in modum argumentor. Si in vſu iſtius Sacramenti non ſolùm corporis & ſanguinis Chriſti effectum, hoc eſt, gratiam refectionis ſpiritualis, participamus; nec ſolùm ſecundum eiuſmodi effectum ſpiritualiter cum Chriſto vnimur; ſed ipſam quoque realem ſubſtantiam corporis, & ſanguinis Chriſti verè ſumimus, & cum Chriſto ſecundum ſuam ipſius ſubſtantiam realem verè vnimur: Si hoc, inquam, ita eſt, conſequenter fatendum neceſſariò eſt, corpus & ſanguinem Chriſti realiter cõtineri in ipſa Euchariſtia, ita vt ore etiam corporis in ea ſumi poſsit. Sed verum prius. Verum igitur & poſterius.

Formula reuincendi Caluiniſtas ex ſua ipſorum doctrina.

Maior propositio argumenti euidentissima est. Corpus enim Christi, cùm nõ vniatur corpori aut animo nostro vnitate aliqua substantiali alicuius personæ vel naturæ, quæ ex vtroque resultet; si nihilominus secundum substantiam suam verè ac propriè cum animo nostro coniungitur, & vnitur, necesse est, vt vniatur secundum indistãtiam localem substantiæ vtriusq;. Cumq; satis cõstet, substantiam animi nostri, quando Eucharistiam percipimus, non rapi in cœlum, vt ibi cum Christo localiter coniungatur; & certum etiam sit, extra Eucharistiam Christum in terris non esse; restat vt fateamur in Eucharistia illũ coniungi cum animo nostro secundum indistantiam localem; atque adeò in Eucharistia contineri, & ore corporis in ea sumi posse. Quòd autem necesse sit, secundum indistantiam localem coniungi cum animo nostro substantiam corporis Christi, si non tantùm coniungitur secundum effectum aliquem, sed etiam secundum suam realem substantiam, vt habet nostri argumenti propositio, patet euidentissimè. Nam omnis alius modus nouæ cõiunctionis diuersarum substantiarum, qui non sit vel in vnitate aliqua substantiali (quæ hîc, vt dixi, non habet locum) vel secundum indistantiam localem vtriusque substantiæ, necessariò debet esse tantummodò secundum aliquem nouum effectum, qui vel vtriq; vel alteri coniunctorum accidat: & aliud planè implicat contradictionem. Si enim neq; noua præsentia seu habitudo secundum locum, neque nouus vllus effectus substantialis aut accidentalis aduenit de nouo vlli coniunctorum: quî possunt de nouo dici verè ac realiter coniuncta, ea quæ antè coniuncta non fuerunt? Aut quid aliud noui potest ipsis contingere, quod non sit vel aliquis effectus, vel habitudo secundum effectum? Quocirca in nostro proposito omnis alia coniunctio, siue vnio, quæ non sit secundum indistantiam localẽ substantiæ corporis Christi & substantiæ animi nostri, erit tantummodò secundum aliquẽ effectum, qui à Christi corpore, virtute etiam Spiritus sancti, promanet in animum nostrum; atque ita impropriè tantummodò & metaphoricè dicetur vnio corporis Christi & animi nostri, ob aliquam

aliquam nimirum similitudinem, quæ ratione talis effectus erit inter habitudinem corporis Christi ad animum nostrum, & habitudinem aliarum duarum rerum verè ac propriè vnitarum. Exempli caussa. Cùm dicuntur iusti homines hoc ipso, quod iusti sunt, esse vniti cum ipso Christo, tãquam membra cum capite; metaphorica est locutio. Non enim significatur hac locutione coniunctio aliqua nostri cum Christo, secundum aliquam naturalem vnitatem, vel secundum localem indistantiam substantiarum, sed tantummodò quædam similitudo, quæ est inter habitudinem Christi ad animũ nostrum, vt influit in hunc instar capitis vitam gratiæ, & habitudinem capitis naturalis ad membra reliqua cum ipso realiter & propriè vnita. Si igitur non tantummodò secundum effectum, sed verè ac propriè noster animus cum ipsa substantia corporis Christi in vsu istius Sacramenti coniungitur, oportet cum ipso etiam vniri secundum indistantiam localem substantiæ, atque adeò contineri in Eucharistia, vt ostensum est. Nec sanè [a] Hilarius, [b] Chrysostomus, & [c] Cyrillus, alium modum vnionis, nisi hunc, intellexerunt, cùm affirmarũt, vt suprà vidimus, Christum nobiscum in Eucharistia non tantùm secundum habitudinem aliquam per fidei & charitatis effectum, sed etiam reuera vniri. Itaque patet, satis esse certam & euidentem propositionem maiorem nostri argumenti.

a *Lib.* 8. *de Trinit.*
b *Hom.* 60. & 61. *ad populum Antioch.*
c *Lib.* 10. *in Ioan. cap.* 13.

Minor verò propositio eiusdem argumenti: nempè non modò secundum effectum, sed etiam secundum suam ipsius substantiam, corpus Christi verè vniri cum animo nostro, atque adeò verè ipsam substantiam corporis Christi exhiberi in vsu istius Sacramenti, patet euidenter primũ ex Christi & sanctorum Patrũ clarissimis verbis, quibus præsentiã Christi in hoc Sacramento cõfirmauimus in capitibus præcedentibus. Deinde id ipsũ probo aperto testimonio & cõfessione Caluini, atq; adeò Caluinistarũ. Hi enim partim, quia vident nimis esse clara pro hac re totius antiquitatis testimonia, partim vt quasi fuco religionis quodã oblinant & molliant prophanam sententiam suam, ne nudum panem (sicut reuera faciunt) po-

pulo exhibere videantur, sæpe asseuerant & inculcant non tantùm gratiam, aut nudum signum, sed etiam ipsissimum per se Christi corpus reuera exhiberi animis eorum, qui cum fide istud Sacramentum percipiunt, & cum his arctissimè vniri; atq; eatenus præsens in vsu Sacramenti esse, etiamsi longissimo spatio locorum à nobis in cœlo disitum sit, nec contineatur in Sacramento, nec in eo sumatur ore corporis. Atque hoc isti sanè tot modis & tanta sermonis calliditate, & verborum contentione affirmant, vt qui non optimè perspectum habeat statum huius controuersiæ, possit putare illos planè Catholicè de præsentia Christi in hoc Sacramento loqui. Meminerit autem Lector, cùm aliquot Caluini locos in eam sententiam me recitantem audiet, iam me demonstrasse inanem esse prorsus Caluinisticam hanc asseuerationem reiecta locali indistantia corporis Christi ab Eucharistia. Quocirca nihil eis ea confessio ad cõfirmationem sententiæ suæ prodest, sed nobis firmum argumentum ad eam euertendam suppeditat. Verè enim, dum id fatentur, sibi & errori suo ipsimet repugnant, & contradicunt. Sed Caluinum iam loquentem audiamus. Proderit hoc enim, vt istorum mentem clariùs percipere possimus, & simul eos confodiamus suo gladio, hoc est, refutemus ex his etiam quæ concedunt, vt nobis in hoc nostro argumento propositum est.

d *In defensione aduersus criminationem Caluini.*

Inprimis igitur, cùm [d] Ioachimus VVestphalus nouem argumentis, ex doctrina Caluini productis, conatus esset ostendere, ex Caluini sententia non exhiberi reuera in Sacramento ipsum etiam corpus & sanguinem Christi, sed tantùm nuda signa & gratiam tanquam corporis & sanguinis Christi effectum; fortiter ei se opponit [e] Caluinus, & multis verbis defendere studet, præterea etiam ibi exhiberi sententiâ suâ ipsum reuera corpus & sanguinem Christi. Inter cetera sic dicit: *Ne quid ad perspicuitatem desit, duo nobis offerri dico, Christum, & quæ ex eo nobis proueniunt dona. Ita sicuti terrenis panis & vini symbolis constat sacra cœna, sic Christus mihi veluti spiritualis eius materia est, quæ symbolis respondeat. Vbi autem in sacram* CVM CHRISTO VNITATEM *coaluimus,* HINC MANAT *donorum spiritualium fructus & vtilitas.*

e *In defensione 2. doctrinæ de Sacramentis cõtra VVestphalum.*

Ac

Acrursus postea in suis institutionibus: *Sunt*, inquit, *qui manducare Christi carnem, & sanguinem eius bibere, vno verbo definiunt, nihil esse aliud, quàm in Christum ipsum credere* (& per eam fidem obtinere illius gratiam; ita enim intelligũt) *sed mihi sublimius quiddam videtur voluisse docere Christus, vbi carnis suæ manducationem nobis commendat, nempè* VERA *sui participatione nos viuificari.* At si ista vera participatio non est etiã secundum indistantiam localem, restat vt sit solùm secundum aliquem gratiæ effectum: quo quidem modo nullus vnquam, qui cõfiteretur salutarem esse Sacramenti vsum, participari in illo carnem ipsam Christi negauit. *Lib. 4. Institut. cap. 17. Sect. 5.*

Item: *Non nego*, inquit, *manducationem istam esse fidei, non oris; sed simul tamen addo, nos fide complecti Christum non eminus apparentem, sed se nobis vnientem, vt ipse caput nostrum, nos verò membra eius simus.* Certè, si Christus eminus non est, cominus sit necesse est. Quare si non debet fidei apparere eminus, fatẽdum est, illum cominus esse, atq; adeò in Eucharistia contineri. Alioqui nulla alia consistet peculiaris vnio Christi nobiscum, nisi secundum gratiæ effectum, cuiusmodi est ea, qua vnitur nobiscum vt caput cum membris, quam nemo negat, atque adeò neque illi, quos hîc voluit Caluinus refellere. Augustinus autem à Caluino hîc citatus, cùm dicit: *Crede, & manducasti*, de manducatione duntaxat spirituali loquitur. Nusquam autem is negat, quin manducatione quidem Sacramentali manducetur etiam Christus ore corporis, sed id sæpe affirmat, vt [a] suprà vidimus. *Ibidem, Sect. 6.*

a *Cap. 5.*

Item: [b] *Id ipsum est*, inquit, *quod scribit* [c] *Chrysostomus, Christum non fide tantùm, sed reipsa nos suum efficere corpus.* Optimè verò. Sed Chrysostomus alio quodam verbo ibidem declarat, quomodo reipsa & non solùm fide, nos suum efficiat corpus: Nempè, quia *se*, inquit, *nobis commiscet*, puta per realem suæ substantiæ coniunctionem, atque adeò per indistantiam localem. Omnis enim alius modus vnionis in proposito præter istum est tantùm secundum aliquem gratiæ effectum, qui fide & charitate percipitur: ac proinde nemo alios modos vnionis negat.

b *Sect. 6.*

c *Hom. 60. ad populum Anti.*

Item:

d *Sect.* 7. Item: d *Neq; illi,* inquit, *præterea mihi satisfaciunt, qui nonnullam nobis esse cum Christo communionem agnoscentes, eam dum ostendere volunt, nos Spiritus modò* (atque adeò gratiæ) *participes faciunt præterita carnis & sanguinis mẽtione. Quasi verò illa de nihilo dicta sint; carnem eius verè esse cibum, sanguinem eius verè esse potum.* Neque ipse igitur debuit sibi satisfacere Caluinus: quandoquidem reiicit coniunctionem localem, & ea reiecta, nullus alius modus vnionis & communicationis supereſt, nisi secundum gratiæ spiritualis effectum, vt antè demonstratum est.

e *Sect.* 8. Item: e *Summa sit,* inquit, *non aliter animas nostras carne & sanguine Christi pasci, quàm panis & vinum corporalem vitam tuentur & sustinent. Neque enim aliter quadraret analogia signi, nisi alimentum suum animæ in Christo reperirent. Quod fieri non potest, nisi nobiscum Christus* VERE *in vnum coalescat, nosq; reficiat carnis suæ esu, & sanguinis sui potu.* At neque hoc rursus VERE fieri potest, nisi Christus secundum localem etiam indistantiam cum nostris animis cõiungatur. Alioqui tantùm coniungetur secundum effectum, non autem ipse secundum suam substantiam, vt est demonstratum.

f *Sect.* 10. Item: f *Etsi autem,* inquit, *incredibile videtur, in tanta locorum distantia penetrare ad nos Christi carnem, vt sit nobis in cibum: memineri-mus, quantum super omnes sensus nostros emineat arcana Spiritus sancti virtus, & concipiat fides Spiritum sanctum* VERE *vnire quæ locis distincta sunt.* At meminisse etiam Caluinum oportebat, per arcanam Spiritus sancti virtutem non fieri aliquid, quod fieri nequeat, & planè sit nihil. Tale est autem, quòd substantia corporis Christi, nec loco, nec vnitate aliqua substantiali coniungatur nobiscum, & tamen coniungatur ipsa verè, & penetret ad nos vsq; secundum se, & non solùm secundum aliquem effectum. Hæc coniunctio non modò incredibilis videtur, sed planè etiam incredibilis est, quia nihil planè illi subest, sed tantùm fingitur inanibus verbis. Nec sanè quidquam esse potest tam commentitium, quod non isto modo palliari possit speciosõ titulo arcanæ Spiritus virtutis. Est quidem verum, non posse à nobis penitus percipi rationẽ ipsam propriam, & quasi vltimam mysteriorum, quæ fide credi debent: sed tamen oportet

per

per aliquas saltem cõmunes notiones, quæ vocabulis subsint, ea posse à nobis explicari, ne infinita licentia sit fingendi mysteria verbis inanibus, vt alio in[g] loco ex [h] Augustino docui.

Explicent igitur nobis Caluinistæ aliqua saltem notione vocabulorum cõmuni, quale sit istud Caluini mysterium, cùm vult ipsam substantiam corporis Christi nobiscũ in tanta locorum distantia verè vniri. Estné ista vnio secundum aliquam vnitatem naturalem, quæ ex animis nostris, & ex substantia Christi resultet? Minimé. Estné tantummodò secundum effectum? Non hoc solum volunt. Estné secundum indistantiã localem? Estné, inquam, vnio talis qua mirabiliter fiat, vt substantia corporis Christi, quæ prius loco disita à nobis erat, nobiscum in Euchariſtia loco iungatur, & ibi prẹsens animos nostros alat? Hoc quidem si dicerent, verum, idemq; maximè mirabile Euchariſtiæ mysterium nobiscum profiterentur; ac veram tum demum rationem mysterij per communes saltem notiones vocabulorum redderẽt. Sed nihil minus quàm hoc volunt. Quin immò omnes erroris sui neruos in id intendũt, vt persuadeãt corpus Christi in cœlo tantummodò esse, atq; adeò neq; contineri, nec sumi ore corporis in Euchariſtia, sed tantùm ab illa localiter distare, quantum cœlum à terra, vt alibi disertis verbis affirmat [i] Caluinus. Quare restat, vt inane sit prorsus mysterium illud quod iactant, cùm nihilominus dicunt ipsam substantiam corporis Christi verè cum nostris animis tanquam alimentum vniri.

Pergit Caluinus: [k] *Nisi quis*, inquit, *fallacem Deum vocare volet, inane ab ipso symbolum proponi nunquam dicere audeat.* Quid autem aliud est symbolum vel signum inane, quàm signum vacans re ipsa significata, id est, ipsam non continens? Ipse igitur Caluinus, dum dicit in Euchariſtia Christum non contineri, symbolum inane reuera dicit, & Deũ fallacem vocat. Verba enim eius sunt: [l] *Talem Christi præsentiam in cœna statuere oportet, quæ illum in panem non includat*, hoc est, nullam veram & realem præsentiam ipsius quidem Christi secundum se; quidquid isti aliud profiteri se simulent.

Pergamus: [m] *Isthæc*, inquit, *piis tenenda regula est, vt quoties symbola*

g *In disput. ar. contra fundamenta duarũ Sectarum, pag. 21. & 22. Vide etiam Defensionem eiusdẽ disput. pag. 99. & sequent.*

h *Lib. 8. de Trin. c. 5.*

Inanem præsentiam Christi in Euchariſtia fingi à Caluiniſtis, cui scilicet nullus cõceptus subest.

i *In Defensione 1. doctri. de Sacram. contra VVestphalum.*

k *Sect. 10. Vbi suprà lib. 4. instit. c. 17.*

l *Sect. 19.*

m *Sect. 10.*

bola vident à Domino instituta, illic rei signatæ veritatem adesse certò cogi-
n Sect. 11. tent. Et paulò inferiùs: n Ea, inquit, veritas qualis sit, dum familiariter demonstrare volo, tria soleo ponere: Significationem, materiam, quæ ex ea dependet, virtutem seu effectum, qui ex vtraque consequitur. Significatio in promissionibus est sita, quæ quodammodò sunt signo implicitæ. Materiam aut substãtiam voco Christum cum sua morte & resurrectione. Per effectum autem redemptionem, iustitiam, sanctificationem, vitamque æternam, & quæcunq; alia nobis beneficia affert Christus, intelligo. Et paulò pòst: Dico igitur in cœnæ mysterio per symbola panis & vini Christum nobis exhiberi, adeoq; corpus & sanguinem eius.

Ex his (vt similia multa præteream) satis perspicuum est, de sententia Caluini, vt in argumẽto meo sumebam, non tantùm dari nobis in vsu istius Sacramenti effectum aliquem Christi, sed etiam ipsum secundum se Christum, atq; adeò illum non modò vniri nobiscum secundum effectũ, sed etiam secundum seipsum. Ex quo euidentissimè sequitur, Christum secundum indistantiam localem nobiscum in Sacramẽto vniri, vt argumento meo cõclusi. Quod cùm ita sit, ipsemet Caluinus, dum ad palliationẽ sui erroris, illa quæ recitauimus, cõcedit, planè confirmat sententiam nostram, & funditùs euertit suam, qua nihilominus negat Christi corpus in Eucharistia cõtineri, ac in ea nobiscum locali indistantia suæ præsentiæ coniungi, solumque concedit ibi esse signum corporis Christi.

Verba enim eius (ne quis fortè de istorum sententia dubi-
o Sect. 12. tet) hæc etiam sunt: o Præsentia Christi in Sacramento minimè talis somnianda nobis est, qualem Romanæ curiæ artifices confinxerunt (id est,
p Suprà cap. 5. & 6. omnes, vt p demonstrauimus, Ecclesiæ Orthodoxæ Patres professi sunt) ac si locali præsentia corpus Christi manibus attrectandum, atterendum dentibus, ore deglutiendum sisteretur. Item: Vt finitum,
Ibidem. inquit, esse Christi corpus pro perpetua humani corporis ratione minimè ambigimus, cœloque contineri, quo semel receptum est, donec ad iudicium redeat: ita sub hæc corruptibilia elementa retrahere ipsum, aut vbique præsens imaginari (istud quidem non malè dicit contra
q Sect. 21. Vbiquistas) prorsus ducimus nefas esse. Item: q Restat igitur, inquit, vt propter affinitatem, quam habent cum suis symbolis res signatæ, nomen ipsum rei fateamur attributum fuisse symbolo (verbis illis, Hoc est

est corpus meum) *figuratè id quidem, sed non sine aptissima analogia.* Item: *Dico metonymicum esse sermonem.* *Ibidem.*

Et tamẽ affirmat sæpe nihilominus, vt antè vidimus, Christi corpus esse præsens in Sacramento, quatenus ibi nostris animis *verè vnitur & communicatur substantialiter* (ita[r] enim loquitur) *vt spiritualis cibus*, licet absens in cœlo: *Secundum hanc rationem*, inquit, *corpus & sanguis Christi in Sacramento nobis exhibetur.* Ac propterea dicit etiam posteà: *Falluntur qui nullam Christi præsentiam in pane concipiunt, nisi in pane sistatur.* Benè autem habet quod iam ostendimus, sublata locali præsentia nullam aliam vnionẽ vel præsentiã, nisi impropriam restare, quę videlicet sit duntaxat secundum aliquem gratiæ effectum: cuiusmodi quidem præsentiam & vnionem corporis Christi cum animis nostris, nemo vnquam negauit eorum, qui salutarem esse vsum Eucharistiæ cõcederent, quantumuis eam tantummodò signum corporis Christi esse arbitrarentur.

[r] *Sect.* 19.

Quapropter, cùm Caluinistæ (licet secum ipsi pugnantes) vlterius fateantur, id quod verisimũ est, nempe ipsam etiam substantiam corporis Christi, & non tantũ eius effectum, nobis in Sacramento cõmunicari, & verè nobiscum vniri; consequens necessariò est, vt vel cum Ecclesia fateãtur, vniri & cõmunicari nobis Christum prẹsentẽ secundum locum, vel certè diffiteri amplius nequeant, quin mera tantũ & inania verba sine vllo sensu & intelligentia populo dent, cùm ad simpliciorum animos decipiendos dicunt, ipsum etiam corpus & sanguinem Christi in Eucharistiæ vsu exhiberi.

Obsecro enim (Nam libet mihi vrgere istum locum, in quo tota ferè summa Caluinianæ perfidiæ, & fraudis vel inscitiæ continetur) obsecro, inquam, quid aliud præter merum fumũ, ad perstringendos & excæcandos lectorum oculos, continent verba Caluini, cùm reiiciens localem prẹsentiam, neq; tamen contentus præsentia & vnione secundum solum gratię effectum, nihilominus iam dicit, Christum ad nos vsq; penetrare, vt animos nostros suo corpore & sanguine pascat; iam, ad nos è cœlo descendere; iam, nos potius in cœlum ab ipso euehi, vt ibi eo beneficio afficiamur? *Penetrat*, inquit, *ad nos Christi caro,* *Discussio sententiæ Caluini, & verborum quibus eam palliat.*

Lib. 4. institut. cap. 17. Sect. 24.

Ibidem. *sti caro, vt nobis sit alimento.* Item: *Dicimus Christum tam externo symbolo, quàm spiritu suo ad nos descendere, vt verè substantia carnis suæ &*

Ibidem. *sanguinis sui animas nostras viuificet.* Item: *Nihil magis incredibile* (verè vocat incredibile hoc suum mysterium) *quàm res toto cœli & terræ spatio dissitas ac remotas, in tanta locorum distantia non solùm coniungi, sed vniri, vt alimentum percipiant animæ ex carne Christi.* Item:

Sect. 31. *Christus*, inquit, *præsens illis non videtur, nisi ad nos descendat* (& tamen antè præstigiator iste dixerat, hoc Christum facere) *Quasi verò si ad se nos euehat, nõ æquè potiamur eius præsentia.* Quid nos decipis Caluine? Subestné his tuis omnibus verbis aliquid aliud, quàm quòd in vsu Eucharistiæ gratiam tanquã effectum quendam corporis Christi in cœlo existentis percipimus, vt spiritualiter alamur? Si nihil aliud subest, cur fraudulenter veteris vocabulis, quæ plus multò significant? Cur simulas te plus huic Sacramento tribuere, quàm alij, qui in ipso contineri Christum negauerint? Nemo enim eorum est (vt sæpe antè dixi) qui non eo modo Christum nobis in Sacramento exhiberi concesserit, hoc ipso quòd gratiam virtute corporis & sanguinis Christi in cœlo existentis, exhiberi in hoc Sacramento concesserit. Si autem aliam quandam vnionem &

8 Sect. 19. communicationem *substantialem* (vt s loqueris) illis verbis tuis subesse atque significari vis; vt omninò propter testimonia Christi, & Patrum, & tua à me citata, velle debes; quænám alia vnio hæc esse potest, nisi secundum indistantiam localem in Eucharistia, vt argumento meo concluſi? Quæso vos atque obtestor, per sacrosanctum ipsum Christi corpus & sanguinem, Caluinistæ, explicate vos ab his verborum technis Caluinisticis & fraudibus, & aperite oculos aliquando tandem, vt perspicere possitis, ne ea quidem posse consistere, quæ concedi debere de efficacia huius Sacramenti, vos ipsi videtis, nisi sententia Ecclesiæ Catholicæ de præsentia Christi secundum locum in hoc Sacramento firmissima consistat. Hoc ego tum ab aliis Caluinistis, tum nominatim à Fortunato etiam atque etiam postulo, qui & ipse in disceptatione sua, quam postea refellemus, pluribus ac disertis verbis confirmauit, hanc ipsam assertionem doctrinæ

Caluinianæ

Caluinianæ (nempe vniri in hoc Sacramento Christum secundum se & non tantùm secundum signum aut effectum) ex qua nos pro sententia Ecclesiæ Catholicæ euidenter argumentati sumus.

Istius enim hæc verba sunt: *Etsi in cœlo*, inquit, *iam Christi corpus est, non in terra: nihilo seciùs tamen in cœna verè præsens est, quia manducantibus verè offertur: & à fide manducantibus verè, immò verius percipitur, quàm panis, tantæ rei Sacramentum, ore corporis apprehendatur.* Fol. 5. a.
Item: *Verè*, inquit, *& realiter; immò verissimè & realissimè, verius & realius, quàm panis & vinum percipiuntur, verum Christi corpus, & verus eius sanguis percipitur.* Fol. 17. a.
Item improbat eorum sententiam: *Qui nihil*, inquit, *nisi figuram & virtutem quandam carnis in hoc tremendo mysterio dispensari docebant.* Fol. 23. a.
Item: *Confitemur*, inquit, *inter cetera, nec figuram tantùm aut virtutem quandam corporis, quod nobis*, inquit, *impingit Gregorius, in hoc Sacramento edi: sed verum illud Christi corpus, quod pro nobis traditum est, & quidem quà traditum est: sed ita, vt sicut ore corporis sanctus panis recipitur & editur, sic crucifixi corpus ore mentis fidelis, cuius cibus est, recipiatur & edatur, à qua non minus verè, immò verius percipitur, quàm panis, tantæ rei Sacramentum, ore corporis percipiatur.* Fol. 26. a.
Dicit autem, me illis impegisse, quòd quædam tantùm virtus corporis Christi in Sacramento accipiatur, quia quodam in loco dixi, mysterium Eucharistiæ in eo ab istis poni; *quòd illud*, inquam, *Christi corpus tanto locorum interuallo à nobis dissitum, è cœlo tamen ad nos vsq; transmittere possit spiritualis gratiæ robur atq; virtutem.* In disput. contra duas Sectas, pag. 73.
Nam & hoc ferè modo loquitur etiam Caluinus (vt est in pallianda turpitudine suæ sententiæ multiplex & varius) cùm alicubi sic dicit: *Sic solem conspicimus, radiis in terram emicantem, ad generandos, fouendos, vegetandos eius fœtus, suam quodammodò substãtiam ad eam traiicere; cur inferior esset Spiritus Christi irradiatio ad communionem corporis & sanguinis eius in nos traducendam?* Lib. 4. Instit. cap. 17. Sect. 12.
Neque tamen affirmaui absolutè, tantum in communicatione virtutis siue effectus corporis Christi ab istis constitui mysterium huius Sacramenti.

Verùm optimè se res habet. Accipio libenter quod Caluinus locis prius à me recitatis asserit, & iste Fortunatus in explicatione doctrinæ Caluinisticæ confirmat; nempe non

modò virtutem seu effectum corporis Christi, atq; adeò corpus Christi secundum aliquem duntaxat effectum (vt censuerunt alij quidam Sacramentarij, quorum sententia istis etiam displicet) sed etiam ipsam substantiam corporis & sanguinis Christi verè nobiscum vniri & à nobis percipi in vsu istius Sacramenti. Hinc enim euidenter sequitur, corpus & sanguinem Christi nobiscum etiam vniri secundum indistantiam localem in Eucharistia, vt hactenus argumento meo cõclusi: Vel certè iactant Caluinistæ tantummodò mysteria ficta & inania, quibus nulla intelligentia subsit, vt etiam ostendi.

Alia formula redarguendi Caluinistas ex his, quæ ipsi etiam concedunt.

POSSVMVS etiam ex his, quæ Sacramentarij concedunt, argumentari præterea pro Catholica sententia hoc modo. Si per vsum externum istius Sacramenti reficitur ac sustentatur in nobis vita gratię, ex certa & peculiari promissione Christi, quæ ad eum ipsum Sacramenti vsum propriè pertineat: consequens est necessariò, vt in vsu ipso externo istius Sacramẽti ore corporis Christum ipsum percipiamus in Sacramento existentem. Sed verum prius. Verum igitur & posterius. Maior propositio probatur. Quia nusquam in tota Scriptura sacra, aut etiam in libris sanctorum Patrum commemoratur alia Christi promissio, quæ de ea re ad vsum ipsum externum huius Sacramenti pertineat, præter illam, quæ exstat apud Ioannem: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus; Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.* Et: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum, &c.* Si igitur in ipso & per ipsum externum vsum Eucharistiæ non manducatur & bibitur ore corporis (aliter enim non propriè & peculiariter per illum vsum externum, sed per actum mentis internum percipitur) Christi caro & sanguis; nulla supereſſet Christi promissio propriè & peculiariter pertinens ad huius Sacramenti vsum externum, ex qua certi redderemur, quòd per eiusmodi vsum reficeretur & sustentaretur in animis nostris spiritualis vita gratiæ. Nam vbinám aliâs exstat talis aliqua promissio? An in illis Christi verbis: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: Hoc facite in meam commemorationem?*

Ioan. 6.

Luca 22. 1. Cor. 11.

tionem? At hîc non dicit Christus, futurum, vt per istud factum, hoc est, per istum vsum externum Eucharistiæ gratiam acquiramus, qua vita nostra spiritualis reficiatur; sed vult piè tunc nos esse passionis eius memores. Etsi autem pia huiusmodi commemoratio valeat conciliare gratiam; quæ sustentet vitam spiritualem; tamen non hoc facit vi promissionis alicuius peculiaris, quæ ad ipsum vsum externum huius Sacramenti pertineat, id est, ex qua peculiariter in ipso & per ipsum externum vsum nobis gratia donetur; sicut donatur in vsu & per vsum Baptismi ex vi peculiaris illius promissionis, quæ in illa comminatione includitur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, &c.* Sed conciliat gratiam pia illa commemoratio passionis Christi ob generalem duntaxat promissionem Dei, qua est gratiam pollicitus iis, qui piis animi motibus, ita vt oportet, gratiam apprehendunt. *Ioan. 3.*

At, inquiunt Caluinistæ, Eucharistiam esse tanquam sigillum, quo voluerit Christus suam promissionem obsignare, id est, nos reddere certos, quòd nostros animos, quando ita, vt oportet, credimus, & memores passionis eius sumus, velit pascere spiritualiter; atque eatenus per vsum Eucharistię spiritualiter nos refici. At istud, nos quidem possumus cum certo fundamento & testimonio Christi dicere, non ipsi Caluinistæ. Nam, vt hoc firmiter asseratur, oportet certum testimonium Christi proferre, quo constet per vsum externum istius Sacramenti conferri ex peculiari promissione gratiam, vt ita demùm intelligamus, ipso symbolo externo Eucharistię voluisse Christum quasi obsignare nobis talem promissionem, id est, nostram fidem de eiusmodi promissione excitare & confirmare: Quemadmodum hoc rectè de Baptismo dicimus, quia testimonium Christi habemus, quod per vsum illum aquę externum, tanquam per instrumentum quoddam Spiritus sancti, renascimur spiritualiter. Tale autem aliquod testimonium Christi de vsu externo Eucharistiæ nos quidem proferimus, cùm affirmamus, ore corporis manducari Christi carnem per ipsum vsum externum Eucharistiæ, ac proinde ad eum vsum propriè pertinere illas Christi promissiones, suprà

Vanè asseri à Caluinistis, diuinã promissionem per Sacramentũ obsignari, nisi cõcedant in illo sumi Christũ ore etiam corporis.

Ioan. 3.

Ioan. 6. prà commemoratas, quæ apud Ioannem exstant, de gratia spirituali obtinenda per manducationem Christi carnis, nisi conscientiæ impuritas impediat. Caluinistæ autem, nisi nobiscum admittant Christi carnem per vsum ipsum externum Eucharistiæ, atq; adeò ore corporis, manducari, non possunt ad eum vsum accommodare illa Christi testimonia & promissiones, quæ apud Ioannem exstant; neq; præterea illis superest vllum aliud testimonium Christi, ex quo appareat per ipsum vsum externum Eucharistiæ nos gratiam consequi, vt antè ostendi. Quare prorsus fundamento firmo caret ipsorum speculatio, cùm iactitant, voluisse Christum promissionem de gratia peculiariter obsignare & confirmare symbolo Eucharistiæ externo. Atq; ita vera & firma est propositio nostri argumenti Maior: nempe Christum contineri & sumi ore corporis in Eucharistia, si per vsum externum huius Sacramenti reficimur spiritualiter ex certa aliqua promissione, quæ ad eum vsum propriè pertineat.

Minor autem propositio eiusdem argumenti: nempe verè nos spiritualiter refici per vsum externum huius Sacramenti ex peculiari aliqua promissione, quę ad eum vsum pertineat; patet primò, ex natura Sacramenti. Id enim commune est omni vero Sacramento, vt habeat annexam aliquam peculiarem Dei promissionem, ex qua gratiam obtineamus, sicut ipsi etiam Caluinistæ & Sectarij omnes concedunt. Secundò id patet ex plurimis testimoniis Patrum suprà recitatis, ac nominatim ex D. Cyrillo. Tertiò ex confessione Caluini, qui non semel asserit, aliquam promissionem ad vsum ipsum huius Sacramenti pertinere. Vt cùm ita scribit: *Significatio huius Sacramenti in promissionibus est sita, quæ quodammodò sunt signo implicitæ.* Item: *Christus*, inquit, *efficaciam Spiritus sui illic* (in signo externo) *profert, qua impleat quod promittit.* Item: *Si per fractionem*, inquit, *panis Dominus participationem sui corporis verè repræsentat; minimè dubium esse debet, quin verè præstet atq; exhibeat.* Hæc & similia quomodo certò & constanter asseri possunt, nisi in ipso & per ipsum symbolum externum, atq; adeò ore corporis carnem Christi sumamus, vt ita ad ipsum externũ symbolum & eius

Cap. 5. Lib. 4. in Ioan. cap. 14.

Lib. 4. Instit. c. 17. Sect. 11.

Sect. 10.

Ibidem.

eius vsum propriè pertineant promissiones, quæ apud Ioannem exstant? Firmum est igitur & hoc nostrum argumentum, quod ex doctrina etiam Caluinistica extruximus. Quare *auferatur iam dubitatio* (vt diui Augustini verbis & auctoritate grauissima contra istos vtar) *Dominum audiamus, non suspiciones coniecturasq; mortalium; Dominum, inquam, audiamus* DE SACRAMENTO *sanctæ mensæ suæ dicentem: Nisi manducaueritis carnem meam, & biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis.* In Sacramento igitur ipso externo atque adeò ore corporis sumitur ad vitam caro & sanguis Christi. Alioqui euanida tantùm speculatio & incerta coniectura ac suspicio (vt Augustinus loquitur) erit illa doctrina Caluinistica de obsignatione promissionis gratiæ per istud Sacramentum, sicut demonstraui.

Lib. 1. de pecc. merit. & remiss. cap. 20.

Ioan. 6.

CAPVT OCTAVVM.

Probatur septimò Christi præsentia ex miraculis.

SEPTIMO. Eadem præsentia Christi in Sacramento comprobatur, vt initio dixi, stupendis miraculis. Quæ certè non minus constat diuinitus patrata esse ad eum finem, vt Catholicorum fides de hac Christi præsentia confirmaretur, quàm constat alia etiam miracula pro Christiana religione in vniuersum facta fuisse ad eum finem, vt Christianæ religioni fides haberetur. Nam sicut in illis communibus pro nostra religione miraculis, non alius finis animaduerti ab hominibus potuit nisi ille qui sequebatur, vt scilicet Christiana religio vera putaretur, & à populis susciperetur: Ita neque in miraculis, quibus fides de præsentia Christi in Eucharistia apud fideles est aliquando confirmata & aucta, nullus alius finis cognosci potuit præter eum ipsum, qui consequutus est, vt scilicet ea fides hominibus comprobaretur. Et quemadmodum ea ratione colligimus, secundum diuinam prouidentiam nullum alium fuisse Dei finem in illis miraculis communibus (indicasset enim illum Deus, ne homines alioqui tam facilè decipi possent) ita rectè similiter colligimus, non alium in peculiaribus

Miracula circa Eucharistiam, ad eum finem diuinitus facta esse, vt fides de præsentia Christi confirmetur.

liaribus istis pro Eucharistia miraculis Deo propositum fuisse finem, nisi istum qui putatus est ab iis, in quibus est eo modo fides de præsentia Christi in Sacramento confirmata & aucta. Item etiam non minus constat multa huius generis miracula fuisse facta Dei virtute, quàm alia pleraque communia, quæ pro veritate in vniuersum Christianæ religionis meritò putantur maximum habuisse & habere pondus.

Porrò eiusmodi miracula pro Eucharistia exstant maxima & antiquissima apud diuum [a] Cyprianum, [b] Nicephorum, [c] Sozomenum, [d] Prosperum, [e] Gregorium, apud quē videre est, quemadmodum isto Sacramento ingentia miracula patrauerit sanctus Benedictus. Item apud Petrum Diaconum in vita eiusdem Gregorij. Postquam hæresis autem contraria incœpit serpere, maxima quoque miracula exstiterunt, vt videre est apud *f* Paschasium & *g* Guidmundum, quibus miraculis ipse etiam Berengarius ad eiurandam hæresim permotus fuit. Item post VVicleffum qui Berengarij hæresim renouauit [h] VValdensis narrat se præsente in Ecclesia sancti Pauli Londini, VVicleffistam quendam ab Episcopo Cantuariensi iussum esse Christi præsentiam confiteri, & adorare Eucharistiam: hunc, cùm facere nollet, respondisse, Araneam digniorem esse veneratione: confestim horribilem ingentisque magnitudinis araneam ex summo templi tecto in os blasphemi descendisse, & vix eam multorum manibus prohiberi potuisse, quò minus ad linguam & fauces vsque penetraret. Neque verò opus est huiusmodi miracula petere ex libris, cùm in prouinciis ipsis & locis penè omnibus exstet ac retineatur in Ecclesia Catholica stupendorum partim veterum, partim recentium miraculorum memoria, quæ hanc veritatem S. Eucharistiæ confirmant. Videatur libellus nuper Coloniæ editus, anno 1584. apud Maternum Colinum, auctore Gulielmo de Gent. Cuius inscriptio est: Exempla illustrium miraculorum circa sacram Eucharistiam.

a *Serm. de lapsis.*
b *Lib. 13. cap. 7.*
c *Lib. 8. cap. 5.*
d *Lib. de prædict. p. 4. c. 6.*
e *Lib. 2. dialog. cap. 24. & lib. 3. cap. 3.*
f *Lib. de corp. & sanguine Domini, c. 14.*
g *Lib. 3. de Sacramento.*
h *Tomo 2. de Sacrament. cap. 63.*

CAPVT

CAPVT NONVM.

Respondetur ad argumenta Sacramentariorum ex Scriptura petita.

ARGVMENTA, quæ hactenus pro assertione Catholica adduxi, maxima & potentissima sanè sunt. Sed nescio an non illud videri possit maius, quòd ad oppugnandam rem tantam, tamque in Ecclesia Catholica confirmatam, non nisi leuissima hactenus argumenta inuenire Sacramentarij hæretici potuerunt. His autem, ne quid desit, breuiter nunc respondebimus. Et primo loco obiiciunt quædam ex Scriptura: quale est, quòd Christus de ipso pane & vino dixit: *Hoc est corpus meum.* Et: *Hic est sanguis meus.* Ergo figurata est locutio. Nam panis & Christi corpus res disparatæ sunt, & similiter vinum & sanguis. Vnum autem disparatorum non potest de altero propriè affirmari, sed tantùm figuratè: vt scilicet in proposito sit sensus, panem esse signum corporis. Argumentũ I. *Matth. 26.*

Respondemus, Christum de eo quidem quod in manus suas accepit, dixisse: *Hoc est corpus meum*, &, *Hic est sanguis meus*; nõ tamen de eo secundum rationem illam propriam & peculiarem, qua id erat panis & vinum, sed secundum rationem substantiæ tum communem, tum etiam indiuiduam vagam, vt id scilicet continebatur illis sensibilibus accidentibus panis & vini. Hac autem ratione consideratum illud, quod Christus in manus accepit, non fuit aliquid disparatum respectu corporis & sanguinis; sed quiddam potiùs quod diuerso tempore indifferenter esse potuit verè ac propriè tum panis & vinũ, tum corpus Christi & sanguis. Et in initio quidẽ illius enunciationis Christi (*Hoc est, &c.*) verè panis & vinum fuit: in fine autem (id quod satis est ad veritatem enunciationis) verè ac propriè fuit Christi corpus & sanguis per admirabilem panis & vini conuersionem in corpus & sanguinem Christi iisdem Christi verbis factam. Ita non figurata, sed propria fuit illa Christi enunciatio. Sic respondet, quod ad rem ipsam attinet, ex Orthodoxa doctrina, & quidem irrefragabiliter D. Responsio.

3.p.q.78.art.5. in fine corporis & ad 2.

Thomas. Quam responsionē infrà magis dilatabimus, [a] quādo agemus contra Fortunatum, etsi per se ipsa satis perspicua est, simpliciter ita posita.

a Lib.3.cap.5. Argum.II.

Obiiciunt SECVNDO, quòd in institutione calicis Christus est vsus figurata locutione apud Lucam: *Hic calix*, inquit, *nouum Testamentum est in meo sanguine.* Vbi & calix figuratè accipitur pro re in ipso contenta; & etiam ei rei non nisi impropriè tribuitur quòd sit nouum Testamentum, quia scilicet Christi testamentum & promissionem de gratia tanquā symbolum quoddam seu signum externum obsignat. Ergo sine incommodo possent quoq; figuratè intelligi illa alia verba: *Hoc est corpus meum, &c.*

Luca 22.

Responsio.

Sed ad hanc leuissimam obiectionem rectè responderi solet, valdè magnum esse discrimen. Primò. Quoniam habemus in Marco & Matthęo expressam declarationem illius figuratę locutionis, quod attinet ad illa verba circa calicem. Nam eandem sententiam Matthæus & Marcus expresserunt claris illis verbis: *Hic est sanguis meus noui Testamenti.* Vt autē hæc eadem sentētia (sicut necesse est) subiecta sit illis aliis verbis: *Hic calix nouum Testamentum est in meo sanguine*: oportet prorsus calicē ibi accipi pro re contenta, quę est Christi sanguis. & cōsequenter de hoc sanguine testamentum seu promissionem non nisi figuratè prædicari, quatenus promissionē videlicet & testamētum cōfirmat, vt explicat ille dicēdi modus Matthæi & Marci in casu nominis obliquo; sanguis *noui Testamenti.* Secundò. Quoniā monet per se ipsa ratio illius figurę in locutione apud Lucam (cùm sit vsitatissima) vt non nisi figuratè id intelligere debeamus. Quēadmodum si dicas, Bibi cyathū vini; nemo dubitare potest, quin cyathus accipiatur metonymicè pro re contenta; idq; propter genus ipsum vsitatissimæ locutionis. Accedit tertiò, quòd aliud est, figuram admittere in minus principali parte orationis, sicut ibi est verbum *calix.* Si autem verbū *sanguis* aut *corpus* acciperetur figuratè pro signo corporis aut sanguinis: aut verbum *est*, pro *significat*: ad figuratā locutionē referremus orationis partes principales, quod minus licet: & tum quidem id licet minimè, cùm nullum suppetit firmum

Matth. 26. Marci 14.

firmum indicium & argumentum figurati sermonis. Nō suppetit autem in proposito, quod attinet ad illa verba: *Hoc est corpus meum*, &, *Hic est sanguis meus*; licet suppetat quidem, quod attinet ad illa, *Hic calix*, *&c.* sicut est declaratum. Est etiam quartò hîc notandum quod D. Lucas, atque etiam Apostolus, qui verbis illis circa calicem eodem modo sunt vsi, non tam ipsa Christi verba, quàm sensum voluerunt referre. Nam cùm verba Christi circa calicē alio modo Matthæus & Marcus, quàm Lucas & Paulus commemorauerint; neq; putandum sit, narrationem Lucæ & Pauli esse certiorem narratione Matthæi & Marci, aut è contrario; omninò credi debet ab istis omnibus sententiam tantùm, non verba ipsa Christi, quod ad calicem attinet, fuisse commemorata: & illis verbis Christum vsum fuisse quæ ex perpetua traditione Ecclesia in consecratione calicis vsurpat: *Hic est calix sanguinis mei*, *&c.* quemadmodum in alio etiam loco probaui. Ita fit, vt illa locutio, quam diximus esse figuratam, quod attinet ad calicem, non fuerit locutio ipsius Christi, sed tantùm Lucæ Euangelistæ & Apostoli. Atque ita minus adhuc illa hæreticorum obiectio valet.

In Tract. de Sacrificio Missæ, cap. 3.

Argumentum III.

TERTIO obiiciunt, alias esse similes locutiones Scripturæ, quæ tamen non propriæ, sed figuratæ sunt. Ex quo genere commemorat illa Caluinus: a *Hoc erit vobis fœdus mecum.* b *Agnus hic erit vobis phase.* c *Petra autem erat Christus.*

Lib. 4. Institut. c. 17. Sect. 22.

a *Gen.* 17.
b *Exod.* 12.
c 1. *Cor.* 10.

Respondeo. Malè citat in duobus prioribus locis Scripturam Caluinus. Non enim legimus nisi ita: *Eritq; pactum meum in carne vestra in fœdus æternum.* Et: *Hæc est religio siue* (vt est in Hebraico) *statutum phase*, id est transitus. Nō igitur dicitur ibi, circumcisionem ipsam esse pactum seu fœdus, sed pactum de circumcisione facienda futurum fuisse in fœdus. Circumcisio autem ipsa solùm dicitur ibi fuisse futura in signum eius fœderis & pacti, vt patet ex illis verbis: *Hoc est pactum meum quod obseruabitis: Circumcidetur ex vobis omne masculinum, & circumcidetis carnem præputij vestri, vt* SIT IN SIGNVM *fœderis inter me & vos.* Sic etiam neq; in illo alio loco affirmatur de ipso agno (vt Caluinus falsariè citauit) quod sit phase, id est, transitus, sed de cæremonia ipsa esus agni affirmatur, quòd sit religio transitus, id est, qua

Responsio.

Exod. 12.

celebrabatur transitus. Illius aũt loci: *Petra autem erat Christus*, dispar ratio est. Nam cùm Christus nõdum esset tunc secundũ humanitatem, necessariò debet intelligi figuratè, quod tunc ipse esset illa petra, quatenus illa petra eum significauit.

Argumentum IIII.

1. *Cor.* 10. *Lib.* 4. *Institut. c.* 17. *Sect.* 22.

Responsio.

QVARTO obiiciunt, quòd Apostolus dicit quoq; *panem esse communicationem corporis Christi*, quod tamen figuratè accipiendum est: *Aliud enim* (inquit Caluinus) *est communicatio, quàm corpus.* Respondeo, Apostolum ibidem satis indicare, se non de pane Eucharistico absolutè & secundum se loqui, sed de eo vt frangitur & communicatur: ita vt sit sensus, communicationem illius panis verè esse communicationem corporis Christi.

Argumentum V.

1. *Cor.* 10. *&* 11.

Responsio.

QVINTO obiiciunt, quòd Apostolus Eucharistiam appellat simpliciter *panem*; non est ergo corpus Christi. Verùm facilè quoque ex eiusdem Scripturæ phrasi ad id respondeo: Eucharistiam vocari nihilominus panem, quia panis videtur, & quia ex pane conficitur, & quia reficit etiam ac nutrit vt panis. Quam phrasim postea cùm de transubstantiatione agemus, docebimus accõmodari sæpe in Scriptura ad res alias.

Argumentum VI.

Ioan. 6.

Responsio. Quo sensu Christus dixerit: Caro non prodest quidquam.

SEXTO opponunt illud: *Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quidquam: Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.* Vbi audimus, carnem ipsam non prodesse, ideoque non esse (vt frustrà Capharnaitæ arbitrabantur) reipsa comedendam, quin immò spiritualiter verba Christi esse accipienda referendaq; ad signum carnis Christi, & ad spiritualem eius communicationem per gratiam.

Respondeo, sensum esse primò; Cogitationem illam carnalem & insipientem Capharnaitarum nihil ad rem pertinuisse, cùm scilicet falsò putarent, Christi carnem, vt notat diuus [a] Augustinus, cõsueto more comedendam esse, sicut carnes eduntur concisæ priùs in macello. Ita enim carnem ibi pro cogitatione carnali secundum vsitatum aliâs Scripturæ morem accepit [b] Tertullianus, [c] Chrysostomus, [d] Cyprianus, [e] Cyrillus Hierosolym. Atq; hæc expositio maximè congruit cum ea sententia, quam Christus opposuit illi stultæ & carnali cogitationi: *Verba*, inquit, *quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.*

a *Tract.* 27. *in Ioan. & in Psalm.* 98.
b *Lib. de resurrect. carnis.*
c *Hom.* 46. *in Ioan.*
d *Serm. de cœna Domini.*
e *Catech.* 4. *Mystag.*
Ioan. 6.

sunt. Quasi diceret; Cogitatio vestra nihil ad rem facit, cùm spiritualis omninò longeque alius fuerit sensus meorum verborum. Vbi certè Christus non significare voluit, sua verba ea ratione spiritualia esse, quia figuratè accipi debeant; sic enim verba Virgilij & Ciceronis essent magis spiritualia, quàm verba Christi, siquidem abundant pluribus & elegantioribus dicēdi figuris; sed significauit omninò Christus ibi mysterium, quod est maximè spirituale & diuinum, propter modum quo Christi caro sub aliena specie comeditur in hoc Sacramento.

Secundò, potest etiam *caro* accipi pro ipsa carne Christi non simpliciter, sed si modo illo, quem Capharnaitæ cogitarunt, sumeretur. Quæ interpretatio in primam ferè redit. Sic Augustinus exposuit: *Caro*, inquit, *non prodest quidquam, sed quomodo illi intellexerunt: carnem quippe sic intellexerunt, quomodo in cadauere dilaniatur, aut in macello venditur.* *Tract. 27. in Ioan.*

Tertiò, non prodest quidem sola caro sine spiritu & fide; neque etiam fide accedente prodest ipsa per se, sed vt instrumentum coniunctæ Christi diuinitatis. Ita etiam exposuit diuus Augustinus, cùm subiunxit: *Non prodest quomodo in macello venditur, sed quomodo spiritu vegetatur.* Item cùm ibidem addit Augustinus: *Sic dictum est; Caro non prodest quidquam, quomodo dictum est, scientia inflat. Et quid est, scientia inflat? Sola sine charitate. Ideò enim adiungit Apostolus; Charitas verò ædificat. Adde ergo scientiæ charitatem, & vtilis erit scientia. Sic etiam nunc caro non prodest quidquam; sed sola caro. Accedat spiritus ad carnem sicut charitas ad scientiam, & prodest plurimum. Nam si caro non prodest, Verbum caro non fieret, vt habitaret in vobis.* Hactenus Augustinus. Est igitur sensus, nō prodesse Christi carnem secundum illam cogitationem Capharnaitarum; neque etiam spirituali modo sub aliena Sacramenti specie, nisi accedat etiam fides & spiritus; ac ne ita quidem per se, sed vt viuifica est facta per cōiunctam diuinitatem, cuius est instrumentum, vt etiam est expositum in Concilio Ephesino. *Ibidem.* *1. Cor. 8.* *In epist. ad Nestorium, & Anath. 11.*

Atque debere quidem aliqua huiusmodi ratione, non autem simpliciter, illam Christi sententiam intelligi, necessariò fateri debent ipsi etiam Sacramentarij. Alioqui ne obtinere quidem ipsi poterunt, quòd prosit è cœlo caro Christi, secundum

dum communicationem illam spiritualem, ad quam isti verba Christi referunt.

Argumentum VII.

SEPTIMO obiiciunt sententiam illam Christi: *Me autem non semper habebitis*, & alias similes, quibus significauit discessurum se fuisse ex mundo. Non igitur illum præsentem vllo modo iam habemus.

Matth. 26.

Responsio.

Respondeo. Vtrumq; prorsus consistere, scilicet vt forma visibili Christus non amplius in hoc mundo, sed tantùm in cœlo sit; & vt sit etiam inuisibili modo & Sacramentali in Eucharistia. Quod manifestè contra istorum infidelitatem ostendi in disputatione contra duas Sectas.

Quomodo Christus absit à mundo.

Pag. 77.

Quamobrem, quod Christus dicit: *Me autem non semper habebitis*; intelligi debet non simpliciter, sed illo modo consueto, quo cum discipulis erat, quãdo id dicebat. Nam & post resurrectionem suam licet reuera aliquo modo cum discipulis suis erat, tamen quia non erat modo prius consueto, scilicet mortali & passibili; non esse se cum illis significabat, cùm aiebat: *Hæc sunt verba quæ locutus sum vobis, cùm adhuc essem vobiscum.* Subaudimus enim hîc: *Iam autem non sum*. Et tamen aliquo alio modo procul dubio præsens etiam secundum suam substantiam tunc erat. Atque hac ratione diuus Augustinus interpretatur illud Christi: *Ad Patrem vado, & iam non videbitis me*, quod Christus ante passionem suam dixit. *Quid est*, inquit Augustinus, *ad Patrem vado, & iam non videbitis me? nisi quomodo sum, cùm vobiscum sum: tunc enim adhuc erat mortalis in similitudine carnis peccati, qui esurire poterat & sitire. Hunc ergo Christum, id est, talem Christum, cùm transiisset de hoc mundo ad Patrem, non erant iam visuri.* Hactenus Augustinus.

Luc. 24.

Tractat. 94. & 95. in Ioan.

Ioan. 16.

Quemadmodum igitur ex Augustini sententia non voluit Christus hîc significare, post passionem suam nullo modo se videndum fuisse à discipulis (viderunt enim & habuerunt præsentem tum etiam cùm iam resurrexisset) sed intellexit tantùm modo consueto & ordinario, quo ab ipsis antè erat visus: Ita in nostro proposito cùm dixit: Me autem non semper habebitis; non simpliciter, sed vno quodam modo intellexit, scilicet visibili & ordinario, sicut antè in mundo versabatur.

Quod

Quod autem Sacramentarij negant, verum corpus alicubi esse posse, vbi non sit visibile, argumentum id est inter cetera illorum tum inscitiæ, tum perfidiæ. Nam Christus verum corpus habebat, cùm subitò *euanuit ab oculis* discipulorum. Nec dubium est, quin possit Deus variis modis impedire, quò minus corpus aliquod, alioqui per se visibile, videri alicubi possit. Porrò autem existimare nõ debent Vbiquetarij se in Scripturæ locis qui sunt de Christi absentia ex hoc mundo similiter excipere posse modum inuisibilem suæ Vbiquitatis, sicut nos excipimus modum inuisibilis præsentiæ Christi in Sacramento. Nos enim pro hac nostra exceptione habemus clara testimonia Christi & totius antiquitatis, vt suprà vidimus. Vbiquetarij verò pro sua exceptione Vbiquitatis tantummodò habent sui capitis somnia, vt aliâs demonstraui.

Luca 24.

In Disput. contra duas sectas, pag. 41. *& sequent. Et in Defensione eiusdem Disput. pag.* 176. *& sequent.*

Octavo obiiciunt Sacramentarij, quòd ipse Christus Dominus ex articulo de futura sua in cœlum ascẽsione videtur Capharnaitis probare voluisse, non fuisse futurum, vt ipsamet eius caro vllo modo hîc præsens comederetur. Nam cùm illi id esse futurum intellexissent, subiunxit Christus ad remouendum scandalum illius opinionis: *Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis Filium hominis ascendẽtem vbi erat prius?* Quasi diceret: tunc certè apparebit, non ita sicut vos putatis, futurum, vt carnem meam præsentem comedatis. Siquidem postquam fuerit sublata in cœlũ, non erit simul in terra præsens vbi comedi possit.

Argumentum VIII.

Ioan. 6.

Verùm negamus Sacramentariis hunc illorũ Christi verborum sensum esse. Quin potius cum Augustino interpretamur, voluisse illum eo modo dicendi remouere tantùm opinionem illam Capharnaiticam de manducationis modo. Itaque sensus est iste: Cùm videritis me integrum ascendentem in cœlum, tunc certè intelligetis minimè esse futurũ, vt corpore meo vescamini tanquam aliis carnibus in macello conciſis. Vel (secundum D. Chrysostomũ) proposito futuro miraculo ascensionis, voluit fidem eius miraculi, de quo tunc agebat, comprobare. Quasi diceret: Cùm etiam sim ascensurus in cœlum, non debetis existimare esse mihi impossibile dare vobis meam carnem ad manducandum. Vel, vt idem eti-

Responsio. *Tract.* 27. *in Ioan.*

Expositio illius loci: Si ergo videritis me ascendentem in cœlum? *Hom.* 46. *in Ioan.*

Ibidem.

am Chrysostomus interpretatur, significauit istis verbis Christus, multò maius illorum scandalũ fuisse futurum, quãdo etiam post ipsius ascensionem in cœlũ oporteret eos credere, in terris quoq; eandem Christi carnem præsentem comedi oportere. Itaq; sensus est; Si cùm adhuc in terra tantùm sum, & non etiam in cœlo, hoc vos scandalizat; quantò magis tunc scandalizabimini, quando ascendero in cœlũ, & nihilominus credendum erit me in terra præsentẽ simul esse, vt mea carne vescamini in Sacramẽto. Quod profectò videtur à Christo Domino etiam de nostris Sacramentariis propheticè dictum esse. Ipsi enim nunc maximè scandalum illud Capharnaiticũ impiè susci piunt, propter Christi ascensionem in cœlum; ex qua inprimis argumentantur, Christum, cùm in cœlum euectus sit, non esse etiam præsentem in Sacramento, neque ore corporis ac reipsa ibi sumi. Omnes verò istæ expositiones Augustini & Chrysostomi rectè cum Christi verbis cõgruunt. Neq; omninò quidquam obstat, quò minus omnes simul sint literales illius loci; sicut sæpe aliâs fit, vt in eundem Scripturę locum plures literales sensus conueniant, quemadmodum luculenter docet D. Augustinus.

Lib. 12. Confes. per plura capita.

Argumentum IX.

NONO obiiciunt quod Apostolus ait, Patres veteris Testamenti *omnes eandem escam spiritualem manducauisse, & eundem potum spiritualem bibisse, bibisse autem de spirituali consequẽte eos petra, quæ erat Christus.* Hinc ita ratiocinantur: Illi Patres non manducauerunt Christum nisi in figura: & tamen eundum cibum vel eundem Christum nobiscum manducauerũt: igitur neq; nos Christum nisi in figura manducamus.

1. *Cor.* 10.

Responsio.

Respondeo. Primùm non ibi Apostolus dicit, Patres illos eandem escam spiritualem manducauisse *nobiscum:* sed *eos* omnes certè manducauisse eandem spiritualem escam. Quanquã cùm Paulus ibi declarat, escam illam esse Christum, qui noster est cibus; rectè sequitur ex Pauli sententia, eũdem cibum illos Patres spiritualiter manducauisse, quo nos iam vtimur. Sed tunc respondeo deinde ad argumenti consequentiã, nullo modo inde sequi, nos Christum mãducare tantùm in figura, si Patres illi in figura tantùm manducauerunt. Consistit enim

nim optimè, vt idem cibus illorum fuerit, qui est nunc noster, & tamen aliter fuerit cibus illorum, & aliter iam noster.

Neq; valet vllo modo consequentia ab identitate rei ad identitatem modi ipsius. Nam & Augustinus Christum vocat *cibum Angelorum*, neque tamen inde sequitur, Christum eodem modo ab Angelis, atq; adeò in Sacramento manducari, sicut manducatur à nobis. Quòd si illa consequentia valeret, pari modo probarent Sacramentarij, Christum in Sacramentis eiusdem prorsus rationis, cuius est Sacramẽtum nostrum Eucharistiæ, fuisse manducatum à Patribus veteris Testamenti: aut nos iam debere illum manducare vsu etiam legis veteris, sicut illi Patres manducabant. Quæ absurda aduersarij minimè admittent. Quamcunque enim statuant ipsi rationem Sacramenti Eucharistiæ; agnoscunt tamen illam longè diuersam esse cæremoniam nunc in noua lege ab illis Sacramentis veteris legis.

In Psalm. 33.

CAPVT DECIMVM.

Respondetur ad testimonia Patrum, quibus abutuntur Sacramentarij.

SECVNDO loco obiiciunt aliquas sententias veterum Patrum, quas perperam ad opinionem Sacramentariam detorquere conãtur. Sed omninò per aliquam obseruationem ex septem, quas hîc subiungemus, quęcunq; eius generis sententiæ paulò obscuriores, commodè explicari poterunt.

Proponuntur septem obseruationes in testimoniis Patrum.

PRIMA obseruatio est. Cùm Patres Eucharistiam vocant signum aut figuram corporis & sanguinis Christi, non hoc ipso asserunt, aut intelligũt, Christi corporis & sanguinis substantiam abesse ab Eucharistia. Aliud enim est, Eucharistiam esse & dici signum corporis & sanguinis Christi: Aliud verò, esse signum corporis & sanguinis absentis. Et est vitium quod Dialectici appellant *ab amplo ad non amplum* in illa consequentia: Eucharistia est signum Christi corporis; Ergo est signum

Christi corporis absentis. Maximè enim erit signum Christi corporis, si sit eius præsentis signum. Nam Christus dicitur *figura substantiæ* Patris æterni; neque tamen inde rectè colliges, substantiam illam diuinam non esse etiam in ipso Christo. Item dicitur *imago Dei*, licet etiam ipse suapte substantia sit Deus. Et *habitu & similitudine* dicitur vt homo: cùm tamen reuera etiam sit homo. Quemadmodum igitur perperam ex his locis Marcion & Apollinaris argumentabãtur, Christum, quia figurâ est vt homo, non esse verum hominem; ita etiam peruersè colligunt Sacramentarij, Eucharistiam quia figura sit corporis & sanguinis Christi, non continere reipsa substantiam corporis & sanguinis Christi. Augustinus certè Christum ipsum secundum humanitatem vocat *Sacramentum Filij Dei*: neque ideò tamen putauit Filium Dei abesse à Christi humanitate. Denique idem Augustinus alibi satis indicat, Eucharistiam esse signum coniunctum cum significata veritate.

Hebr. 1.
Coloss. 1.
Philip. 2.
Li. 83. *qq. q.* 42.
Lib. 3. *de Trin. cap.* 4.

Hinc igitur explicandum est illud Augustini: *Iudam adhibuit Dominus ad conuiuium, in quo corporis & sanguinis sui figuram discipulis commendauit & tradidit.* Vbi procul dubio intellexit Augustinus figuram corporis & sanguinis præsentis, vt in aliis multis locis apertissimè significauit. Ac propterea etiam in alio loco dixit, Christum, *cùm signum & figuram sui corporis daret*; affirmauisse tamen id quod dabat esse suum corpus: quia scilicet in eo signo continebatur res ipsa significata, de qua verè & propriè affirmare Christus poterat, quod esset suum corpus. *Non dubitauit* (inquit Augustinus) *Christus dicere: Hoc est corpus meum, cùm signum daret corporis sui.* Vbi significat quidem Augustinus de signo non secundum se, sed ratione rei contentæ & significatæ, affirmauisse Christum quòd esset suum corpus. Quo etiam pacto ibi disputat Augustinus intelligi posse quod in Deuteronomio, *Sanguis pecoris* dicitur esse *anima eius*: vt intelligatur videlicet sanguis dici anima pecoris non secundum se, sed ratione rei cuius est indicium & signum, nempè ipsius formæ animalis: quam certè constat non esse absentem à sanguine. Claudius tamen de Sainctes, & alij

In Psalm. 3. *sub initium.*
Citatâ suprà, cap. 5.
Lib. contra Adimantum, cap. 12.
Deuter. 12.
Repetit. 3. *c.* 4.

alij nonnulli probabiliter etiam existimant, Augustinum non hoc dixisse ex sententia sua, sed sumpsisse ex opinione Manichæorum: cõtra quos illic disputabat, posse sanguinem dici animam pecoris, non quia sit ipsa pecoris anima, sed quia sit signum illius. Sentiebant enim Manichæi, vt memorat Vincentius Lyrinensis, Christum nõ habuisse verum corpus, sed signum seu figuram quandam corporis. Itaq; videtur Augustinus illic esse vsus exemplo ducto ex hac opinione Manichæorum, cùm ad explicandum contra eosdem, quemadmodum sanguis diceretur anima, quia esset eius signum, dicit Christum non dubitasse dicere; Hoc est corpus meum, cùm signum seu figuram daret corporis sui: nimirum secundum Manichæorum opinionem. Sed licet concedamus, Augustinum ex sententia sua sic dixisse, potiùs facit hic locus pro nobis, si quemadmodum antè fecimus, exponatur secundum nostram primam obseruationem. Quæ sanè obseruatio idcirco etiam certissima est, quia nullus Patrum ex omni antiquitate proferri potest, qui vnquam dixerit, Eucharistiam esse tantummodò signum aut figuram Christi; sed contrà potiùs aliqui id disertè negarunt, vt suprà demonstrauimus.

Lib. aduersus hæreses.

Cap. 5.

Porrò Ruardus Tapper, & alij quidam ex hac eadem obseruatione interpretati sunt locum quendam Tertulliani, vbi ille sic de Christo dicit: *Panem acceptum ac distributum discipulis corpus suum illud fecit, dicendo; Hoc est corpus meum, id est, figura corporis mei.* Hactenus Tertullianus. Sed qui posterius de Eucharistia scripserũt, vt [a] Sainctes, & [b] Alanus, multò meliùs ex ipsa disputatione Tertulliani illud interpretantur. Quod enim addidit: *Id est, figura corporis mei*, non debet referri ad prædicatum illius enunciationis, scilicet ad *corpus*, sed ad subiectum, nempe ad verbum illud, *Hoc*, quod ibi est positum pro pane secundum rationem saltem panis substantialẽ & indiuiduam vagè, vt suprà expositum est. Itaq; sensus Tertulliani est iste: Panem fecit suum corpus, dicendo; *Hoc* (id est, panis qui est figura corporis mei) est corpus meum. Probatur hæc interpretatio, quoniam institutum Tertulliani ibi est consonantiam ostendere figurarum legis veteris, & veritatis noui Testamenti:

Articulo 13.

Lib. 4. contra Marcionem.

a *Repetit. 3. cap. 4.*

b *Lib. 1. de Euchar. cap. 32.*

stamenti: Itemque quomodo figuris illis succesſerit in nouo Teſtamento ipſa veritas. Nam inter cetera ex eo etiam confirmat quòd panem, qui antè, vt ibi dicit, fuerat in veteri lege figura corporis Chriſti, fecit Chriſtus poſtea reuera ſuum corpus. Ac propterea dicit ibidem, Chriſtum non *peponem* aut aliam rem appellaſſe, aut feciſſe ſuum corpus, ſed *panem*, qui, vt dictum eſt, fuerat ſui corporis figura, vt ita veritas figuræ ſuccederet. Cùm verò hîc dicit Tertullianus, panem factum eſſe Chriſti corpus, non intelligit, factum eſſe vt panis manens panis ſit & eſſe affirmaretur Chriſti corpus, ſed intelligit Chriſtum de ſubſtantia, quæ ſub ſpeciebus panis continebatur affirmauiſſe, quòd ſit ſuum corpus; atq; adeò effeciſſe vt ſubſtantia, quæ ſub illis ſpeciebus contineretur, eſſet ſuum corpus, vt ſuprà docui, cùm exponerem quid propriè demonſtrauerit pronomen illud, *Hoc*, in oratione Chriſti.

Secvnda obſeruatio. Quandocunq; Patres videntur aliquid ipſo modo dicendi detrahere de veritate & proprietate præſentiæ, aut etiam ſumptionis corporis & ſanguinis Chriſti in hoc Sacramento; id totum non ad ipſam præſentiam aut ſumptionem referri debet, ſed ad modum ſumptionis, vel præſentiæ: nempe vt intelligamus, non eſſe hîc aut ſumi corpus & ſanguinem Chriſti naturali & ordinario modo, quem alioqui verbum, *eſt*, aut *manducatur*, aut *bibitur*, ſignificat; ſed alio planè extraordinario & miraculoſo; qui ſanè ſi ad vſitatum ſignificandi modum iſtorum verborum, *eſſe*, *manducare*, *bibere*, ſpectemus, non niſi metaphoricè & impropriè per iſta verba ſignificatur.

In Pſalm. 98. Ex hac igitur obſeruatione illud Auguſtini commodè intelligi poterit: *Non hoc corpus*, inquit, *quod videtis, manducaturi eſtis, nec bibituri illum ſanguinem, quem fuſuri ſunt, qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendo: ſpiritualiter intellectum viuificabit vos.* Intelligit nimirum Auguſtinus *corpus* non abſolutè, ſed ſecundum modum ordinarium & viſibilem, quo alioqui corpora exiſtunt & ſumuntur, quando dicuntur manducari. Hoc modo ordinario & carnali negat manducandum fuiſſe corpus Chriſti, & bibendum eius ſanguinem. Non autem id negat de cor-

corpore ipso & sanguine absolutè: quasi nõ verè & realiter in spirituali hoc & diuino Sacramento nobis commendato sumantur.

Quod autem hæc interpretatio necessariò admitti debeat, patet primùm ex eodem Augustino ibidem. Nam id disputat contra carnalem cogitationem Capharnaitarum: *Qui carnaliter* (inquit ibi Augustinus) *putauerunt, quòd præcisurus esset Dominus particulas quasdam de corpore suo, & daturus illis.* Secundò. Quoniam alioqui locus hic Augustini etiam repugnaret ipsis Caluinistis, qui affirmant, corpus ipsum Christi secundum se comedi oportere, licet non nisi modo imaginario Caluinistico, quem vanissimum esse suprà ostendimus. Tertiò. Quia similiter ipsemet Augustinus, vt suprà vidimus, interpretatus est similem illum dicendi modum Christi: *Iam non videbitis me,* id est, ordinario modo, quo iam vobiscum versor. Et sic etiã suprà ex eiusdem Augustini mente illud exposuimus; *Me autẽ non semper habebitis.* Quartò. Quia aliâs etiam in Scriptura de substantia ipsa rei, dici quandoq; videtur absolutè, quod tamen non dicitur de ea, nisi secundum aliquem modum. Ita enim D. Paulus, vbi disputat idem omninò corpus resurrecturũ, dicit tamen, *non quod futurum est seminari.* Vbi etsi videatur dicere absolutè de ipsa substantia corporis, quòd non idẽ sit futurum; loquitur tamen nõ de substantia corporis absolutè, sed quoad qualitatẽ & modum, qui non erit idem post resurrectionem: *Seminatur enim,* inquit, *animale, surget spirituale.*

Tract. 94. & 95. in Ioan.
Ioan. 16.
Matth. 26.
1. Cor. 15.

Ex eadem obseruatione illud etiam Augustini exponi debet, cùm ait, Christum *quodãmodò* se portasse in manibus suis, id est, extraordinario quodam modo, nempe Sacramentali. Nam quòd verè & realiter se in manibus ipse portauerit, cùm diceret: *Hoc est corpus meum*, prius euidentissimè significauit idem Augustinus, sicut suprà docuimus.

In Psalm. 33.
Ibidem.

Simile quiddam ex parte est, quod idem Augustinus dixit: *Secundum quendam modum Sacramentum corporis Christi, corpus Christi est: sicut Sacramentum fidei, fides est.* Etsi enim hîc secundum primam obseruationem sit Augustinus interpretandus, cùm speciebus ipsis tanquam signo attribuat metonymicè appellationem

Epistol. 23.

lationem rei significatæ: tamen verbo illo, *secundum quendam modum*, obiter hîc etiam declarat rationem, qua iuxta hanc secundam obseruationem res ipsa significata, nempe corpus Christi, coniuncta est cum ipso signo, scilicet secũdum quendam modum admirabilem & extraordinarium.

Est etiam similiter illa eiusdem Augustini sententia declaranda, vbi dicit; *Figuratum esse, quod Dominus dixit: Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, &c. Quia flagitium*, inquit, *vel facinus videtur iubere*; & quæ in Scriptura ad flagitium hortari videntur, figuratè accipi debent. Quare dicit Augustinus, figuratè ibi præcipi, *vt suauiter*, perinde ac si comederemus, *recondamus in memoria, quòd caro Christi pro nobis crucifixa est.* Est autem huc omninò accommodanda illa secunda obseruatio. Nam hîc Augustinus non intelligit figuram, quoad rem ipsam significatam in ea locutione, vel quoad sumptionem Christi carnis, quasi illam verè non sumeremus vllo modo: sed ponit figuram tantùm in ea locutione quoad sumptionis modum ordinarium, qui significatur secundum vim ipsam verbi illo vocabulo *comedendi*. Nam & in eo duntaxat modo, si propriè hîc significaretur, esset illud flagitium seu facinus, ad quod videri posset Scriptura hortari, vt ait Augustinus: nimirũ si Christi carnem cum quadam suauitate & gustu sensus carnali sumeremus comedendo more consueto. Pro hoc ergo sumptionis consueto modo dicit Augustinus figuratè hîc præcipi, vt *suauiter*, perinde ac si ordinario modo comederemus, recondamus in memoria, quòd caro Christi pro nobis crucifixa sit; id quod certè à nobis etiam maximè tunc fit, cùm alioquí reuera sumimus ore sub aliena specie Christi corpus in Sacramento.

Lib. 3. de doctr. Christ. cap. 16.

Atque hanc quidem expositionem esse omninò secundum mentem Augustini intelligi potest ex ipso. Disputans enim in alio loco idem Augustinus, quemadmodum ex iis etiam rebus, quæ per se turpitudinem habent, rectè duci possint figuratæ locutiones; sic ad huius rei exemplum adducit hanc eandem Christi locutionem, vt clarissimè tamen explicet, se ibi tantùm intellexisse figuram quoad sumendi modum;

Lib. 2. contra aduersarium legis & proph. cap. 9.

dum;re autem ipsa sumi nihilominus carnem Christi nõ tantùm fide & recordatione,sed ipso etiam ore corporis:*Nos*,inquit, *audiamus & intelligamus duo testamenta in duobus filiis Abrahæ*, duabusq; mulieribus *eius commixtione fœtatis,sicut duos in carne vna Christum & Ecclesiam istis*(Manichæis)*nolentibus sine vlla obscœnitate cognoscimus. Et sicut Mediatorem Dei & hominum, hominem Christum* IESVM,*carnem suam nobis manducandam bibendumq; sanguinem dantem,fideli corde atque* ORE *suscipimus, quamuis horribilius videatur humanam carnem manducare, quàm perimere; & humanum sanguinem potare,quàm fundere.* Hęc ibi Augustinus, qui clarissimè certè metaphoram ponit tantùm in sumptionis modo; quandoquidẽ testatur nihilominus ibi grauissimè, non modò corde, sed etiam ore sumi à nobis ipsum Christum Mediatorem. Ex hoc igitur loco ille alius sic exponẽdus est. Ac prẽterea est hîc notandum,aliam fuisse rationem illius sermonis, quem in concione Christus apud Ioãnem habuit de Eucharistia; aliã verò eius,quo demõstratione facta ad sensum instituit hoc Sacramentũ,inquiens:*Hoc est corpus meum.* In hac enim asseueratione, propriè omninò locutus est,neq; etiam expresit illam metaphoram in sumendi modo,quam Augustinus,non malè, quo ad modum quidem,notauit in illo sermone apud Ioannem. *Ioan. 6.*

TERTIA obseruatio. Cùm verba Sacramentalia Patres transferũt ad spiritualem doctrinæ diuinæ manducationem per fidem;faciunt hoc illi non secundũ sensum verborũ Christi literalem,sed mysticum,qui tamen secundum Patrum sententiã minimè ipse pugnat cum literali de reali manducatione,sed eo potiùs tanquã fundamento nititur. Vt cùm Origenes dixit:*Panis iste,quem Deus corpus suũ fatetur,verbũ est nutritorium animarum.* Certè non vult, nihil aliud esse manducare corpus Christi & illum panẽ, quàm audire Dei verbum; sed exponit sensum mysticum Christi verborum,qui sensus minimè tollit sensum literalem, sed in illo potiùs tanquã in suo fundamẽto subsistit. Alioqui nullũ ex sententia Origenis relinqueretur Sacramentũ Eucharistiæ externũ,quod ex illis Christi verbis iuxta literalẽ sensum probari posset. Itaq; alio loco ipse Origenes clarissimè sensum literalẽ cum hoc mystico coniunxit, *In caput 26. Matthæi.*

Homil.16.in Numer.

eiq; vt fundamentum suppoſuit, inquiens: *Bibere dicimur ſanguinem Chriſti, & ritu Sacramentorũ, & cùm ſermones eius recipimus.* Eodẽ referri poteſt quidam alius locus Clementis Alexãdrini, cùm explicans verba Chriſti circa calicẽ, ita inquit: *Verbum quod pro multis effundetur, ſanctum lætitiæ fluentum allegoricè ſignificat.*

Lib. 2. pædag. cap. 2.

QVARTA obſeruatio. Cùm Patres dicunt, in ipſo etiam vſu Sacramenti manducari oportere ſpiritualiter corpus Chriſti per fidẽ; minimè idcircò intelligunt, nõ debere ibi etiã ipſum corpus Chriſti mãducari realiter ore corporis in Sacramẽto; ſed docere tantùm volunt, realem manducationẽ tunc demũ eſſe fructuoſam, quando cum ea ſpiritualis quoq; mãducatio cõiungitur. Huc illud Auguſtini pertinet: *Vt quid paras dentes & ventrem? crede & manducaſti.* Et illud eiuſdẽ: *Videte fratres, panem cœleſtem ſpiritualiter manducate, innocentiam ad altare apportate.* Et illud Cypriani: *Hæc quoties agimus, non dentes ad mordendum acuimus, ſed fide ſyncera panem ſanctum frangimus & partimur.* Sic & alia ſimilia.

Tract. 25. in Ioannem.
Tract. 26. in Ioan.
Serm. de cœna Domini.

QVINTA obſeruatio. Cùm Patres aiunt, corpus Chriſti eſſe cibum ſpiritualem, nõ corporalem; ſolùm volunt ſignificare, non eſſe cibum quo nutriatur corpus noſtrũ more conſueto, ſed quo ſpiritualiter anima reficitur. Nihilominus hic ipſe cibus ſpiritualis, ex Patrum ſentẽtia, ore etiã corporis ſumitur in Sacramento, vt ita ſumptus reficiat animã ſpiritualiter. Ita igitur intelligi debet illud Ambroſij: *In Sacramẽto Chriſtus eſt, q. corpus eſt Chriſti. Nõ ergo corporalis eſca, ſed ſpiritualis eſt.* Et illud Theophylacti: *Animalis homo ſpiritualem cibum carnis Domini non intelligit.* Et ſi quę ſunt apud Patres ſimilia. Diuus aũt Ireneus cùm ſcribit: *Corpus noſtrũ carne & ſanguine Domini nutriri*; non ita hoc intelligit, quaſi per carnem & ſanguinem Chriſti, tanquã per corporalẽ alium cibum & potũ, nutriatur, ſed ſignificat vegetari quodammodò noſtrũ corpus per Chriſti carnem, quatenus beneficio illius nunc in Sacramento ſumptæ cõſequetur poſtea immortalitatem, & quia fortè vires aliquas Sacramẽtum iſtud mirabiliter ei addit, vt ſuprà etiã attigimus, & declarauit etiã Martyr Roffenſis. Vel certè ſignificat etiam Irenęus, corpus noſtrũ nutriri per corpus & ſanguinem Chriſti ſecũdum accidentia Euchariſtiæ, quibus ipſum Chriſti corpus & ſanguis intimè ſubeſt.

De iis qui initiantur myſteriis, cap. 9.
In cap. 6. Ioan.
Lib. 5. cap. 2.
Lib. 4. de Euch. contra Oecolamp.

SEXTA

SEXTA obseruatio. Cùm videntur Patres significare, ab his solis mãducari corpus Christi in Sacramento, qui sunt in gratia; non loquuntur de manducatione reali, quasi nõ etiam ore corporis indignè ab impiis manducetur vt est in Sacramento; sed solùm de manducatione spirituali & interna, qua scilicet ipsum etiam per se corpus Christi, tãquam spiritualis cibus, palato mẽtis verè percipiatur. Huc spectat illud Augustini: *Non dicendum, eum manducare corpus Christi, qui in corpore non est Christi*; Id est, nõ ita manducat, vt eius manducationis beneficio *liberetur ab æterno igne.* Hoc enim ibi disputat Augustinus. Eodem modo intelligendum est illud Origenis: *Verbum factum est caro, verusq; cibus, quem qui comederit, omninò viuet in æternum: quem nullus malus potest edere.* Loquitur de spirituali mãducatione, qua ipse Christus secũdum se percipiatur animæ palato, sitq; animæ cibus; vt diximus. Nam quòd possit alioqui Christus, vt est in Sacramẽto, realiter mãducari ore corporis ab indignis, tum aliorum Patrum, tum etiam ipsius Origenis testimonio suprà manifestè probauimus. Ita etiam intelligendæ sunt aliæ similes sententiæ Patrum, si quæ tales occurrãt. Quod autem ait Christus: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum*; intelligi debet, quantum est quidẽ ex vi ipsius Sacramenti, nisi impuritas conscientiæ effectum Sacramenti impediat, atq; adeò si corpus Christi in Sacramẽto comedatur etiam spiritualiter. Nec alio modo intelligendi sunt Patres, cùm de effectu istius Sacramenti similiter atq; Christus loquuntur. Nam & Baptismo quoq; Christus & Patres tribuunt vim regenerandi spiritualiter: & tamen fieri potest, vt quis verum Baptismum suscipiens non regeneretur spiritualiter, si videlicet improbitas animi impediat; vt agnoscit etiam Caluinus.

Lib. 21 de ciuit. cap 25.

In cap. 15. Matth.

Cap. 5.

Ioan. 6.

Ioan. 3.

SEPTIMA obseruatio. Cùm quædam Patres de corpore Christi, vt est in hoc Sacramẽto, scribunt, quæ ipsi quidẽ corpori secundum se non cõpetunt (vt quod atteratur dentibus, quod frangatur, quod dentes illi infigantur, &c.) tantùm abest, vt propterea velint significare, verũ ipsum corpus Christi nõ esse in Sacramento, sed solùm signum eius; vt maximè potiùs hac ratione indicẽt illud reuera in Sacramento cõtineri.

In secunda defensione doctrinæ de Sacram. contra VVestphalum, sub finem.

Nam propterea hæc de corpore Christi dicunt, quia non minus illud intimè coniunctũ est accidentibus Euchariſtiæ, quę franguntur & lacerantur, & figũtur dentibus, quàm est coniuncta alia quæuis ſubſtantia accidentibus ſuis, ſecundũ quæ verè ac propriè frangitur & laceratur. Quòd ſi non hanc coniunctionem vellent eo modo loquendi ſignificare; nõ niſi admodùm ineptè ad commendandam fidem huius myſterij ita loquerentur, vt ſuprà etiam notaui. Quantulũ enim myſteriũ eſt, nudum ſignum corporis Chriſti dẽtibus atteri & frangi? Significant igitur iſto modo dicẽdi Patres, corpus Chriſti eſſe intimè coniunctũ illi rei, quæ frangitur & atteritur dentibus, non minus quàm ſi ipſum etiam attereretur & frangeretur. Atq; hoc ipſo ſenſu Berengarius Romę iuſſus eſt huiuſcemodi verbis eiurare Sacramentariam hæreſim, & profiteri realem Chriſti præſentiam in Sacramento: quia ſcilicet maximè hic loquendi modus coniunctionem corporis Chriſti cum ſpeciebus Euchariſtiæ ſignificat.

Cap. 5.

De conſecrat. d. 2. Canone; Ego Berengarius.

Deniq; obſeruandum hoc loco eſt, quod prudẽter ab aliis etiã Scriptoribus Catholicis annotatũ eſt. Non mirũ eſſe, ſi in hac quæſtione de Euchariſtia occurrant aliquæ ſententię obſcuriores Patrum, cùm etiam in aliis quæſtionibus contra Arianos, & cõtra Pelagianos, ipſi etiam Patres veteres ſæpe laborauerint, vt partim ſuas, partim aliorum vetuſtiorum Patrum ſentẽtias ab hæreticis obiectas defenderent à ſenſu hæretico Ariano vel Pelagiano. Conſiderari enim debet, morẽ fuiſſe Patrum, vt de rebus fidei, cùm nondum eſſent apertè ſatis cõtrouerſiæ ab hæreticis motæ, ſecurius & ſimplicius in Eccleſia Catholica ſcriberent & loquerentur; quòd nimirum putarent, ſe non niſi Catholicè ab omnibus intellligi. Qua de re elegantiſsimus locus exſtat apud diuum Auguſtinum lib. 1. contra Iulianum, vbi hac ipſa obſeruatione, circa morem veterum, excuſat Auguſtinus diuum Chryſoſtomum cõtra calumnias Pelagianorũ, qui ipſum in quæſtione de peccato originali pro ſe citabant. Quò etiam pertinet id quod ſuprà notaui de cautela à Patribus adhiberi ſolita, ne myſterium hoc ſacroſanctũ Euchariſtiæ exponerẽt irridendum infidelibus, ſi nimis

nimis claris verbis explicassent illud ꝓ concione & in scriptis popularibus. Deniq; sententiolis, quas hinc inde Sacramentarij ad confirmationem sui erroris perperam colligunt, opponenda est moles illorum argumentorum, quibus suprà manifestè conuicimus, Christum de sententia omnium sanctorum Patrum in Eucharistia realiter contineri. *Cap. 5. & 6.*

CAPVT VNDECIMVM.

Respondetur ad argumenta, quæ Sacramentarij ex ratione ducunt.

TERTIO loco vtuntur Sacramentarij in re tanta quibusdam etiam ratiunculis leuissimis. Primò obiiciunt; Non esse possibile vt Christus hac ratione totus contineatur in parua quantitate hostiæ, & adsit simul diuersissimis in locis. Respondeo. Nullam esse in hac re implicationem contradictionis, ac proinde rem esse possibilem Deo, apud quem *omnia possibilia sunt*, vt Gabriel Angelus & Christus testantur. Caussa est, quia præsentia corporis vnius in loco, atque etiam modus præsentiæ secundum commensurationem & exæquationem cum loco, quiddam posterius est, quàm veritas ipsa, & vnitas corporis, cùm sit illius accidens. Ita fit, vt non hoc ipso, quòd multiplicetur præsentia corporis in loco, vel varietur modus præsentiæ, debeat tolli vnitas & veritas corporis; sed potest sine contradictione nihilominus hæc consistere per potentiam Dei absolutam, vt latiùs defendi in disputatione contra fundamenta Sacramentariorum & Vbiquetariorum. Accedit, quòd ipsi etiam Sacramentarij animaduertere iam videntur suum in hoc articulo de omnipotentia Dei, errorem; nam incipiunt sententiam suam ita explicare, quasi non sentiant, rem hanc esse absolutè Deo impossibilem, sed ex hypothesi, id est, posito, quòd immutabiliter Deus (vt ipsi falsò putant) voluit vt Christi corpus non esset vllo modo præsens, nisi in vno aliquo loco. Ita enim Sacramentariam sententiam interpretatus est nuper quidam Caluinista Geneuēsis, nomine Palatinus Kednadon, in lib. de vnione personali duarum in Christo naturarum. Argumentū. I. Responsio. *Matth. 19. Luc. 1.* *Pag. 63. & sequent.* *Pag. 95. & 96.*

Argumentum II. Obiiciunt autem secundò; Christum similem per omnia nobis fuisse, excepto peccato, omnesque proprietates siue attributa corporis humani assumpsisse: corporis autem humani naturalem proprietatem esse, vt non sit vllo modo præsens nisi in vno loco. Sed hoc etiam facillimè expeditur. Fateor enim proprietatem corporis esse, vt sit tantum in vno loco, quantum est quidem ex vi naturali corporis. Quam proprietatem etiam Christus assumpsit & retinet. Nam per vim quidem naturalem sui corporis non est, nec fuit vnquam vno tempore, nisi in vno aliquo loco. Hoc tamen non impedit, quò minus supra naturam corporis Christo competat, vt sit simul in pluribus locis: alioqui similiter probaretur, illum ne iam quidem esse immortalem & impassibilem, cùm proprietas corporis humani sit, quantum est quidem ex vi naturali illius, mori & pati posse.

Responsio.

Argumentum III. Tertio, vrgent huiusmodi quoddam argumentum: Sermo ille Christi fuit Sacramentalis: Sacramenta autem sunt signa quædam: Igitur secundum analogiam doctrinæ Sacramentalis, existimare debemus, non in ipso Christi corpore & sanguine, sed tantùm in eius signo istud Sacramentum esse constitutum. Quæ forma argumentandi si valeret, similiter probarent isti, Baptismi Sacramentum non in aqua, sed in aquæ aliquo signo institutum esse. Fuit enim & ille Christi sermo Sacramentalis: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* Et: *Baptizantes eos, &c.* Respondendum ergo est, ex eo quod sermo ille fuerit Sacramentalis, rectè quidem consequi, vt Eucharistiæ Sacramẽtum esse debeat alicuius effectus spiritualis signum; sed hoc tamen non impedire, quò minus hæc Eucharistiæ significatio subsistat in vera re. Hanc autem rem, secundum ipsius Christi sententiam, dicimus continere etiam præsens ipsum corpus & sanguinem Christi: sicut in re, in qua est significatio Baptismi, continetur vera natura aquæ.

Responsio.

Ioan. 3.

Matth. 28.

Argumentum IIII. Postremò, negant esse vtile, immò pernicioſum fuisse futurum dicunt, vt Christi carnem præsentem apud nos haberemus. Nam & Apostolus monet, vt *quæramus quæ sursum sunt, non quæ super terram.* Et etiam ea de re in celebratione Eucharistiæ

Colos. 3.

stiæ à ministro monemur. Et Christus ipse dixit: *Si non abiero, paracletus non veniet ad vos*; Noluitq; nos suæ carnis præsentiæ affixos esse. Verùm hoc totum isti vanissimè obiiciũt. Dubium enim non est, quin Christi præsentia sub aliena Sacramenti specie plurimum ad excitandam in nostris animis sanctam quandam erga Christum reuerentiam, atque adeò summum pietatis studium, valeat, vt suprà exposuimus. Quòd autem ea, quæ sursum sunt, quærere, & sursum corda attollere, in celebratione huius mysterij iubemur, id eò pertinet, vt cuius nam rei pignus nobis in hoc Sacramento diuinitùs donetur, intelligamus; nempè vitæ æternæ, quam degemus cum Christo in cœlis, & quam nobis in omni re propositam habere debemus: Non autem id eò spectat, vt putemus, sicut cogitant Sacramẽtarij ridiculè, Christum non esse etiam in terra præsentem sub aliena specie Sacramenti. Denique Christus solùm de præsentia consueta sub forma propria visibili illud ad discipulos locutus est: *Si non abiero, &c.* De præsentia verò inuisibili, in Sacramento quoque illud etiam rectissimè intelligi potest: *Ego vobiscum sum vsq; ad consummationem seculi*; vt etiam intellexerunt Patres in generali Concilio Viennensi.

Ioan. 16.

Responsio.

Matth. 28.

Lib. 3. Clementinarum, titulo, de reliquiis & veneratione Sanctor. cap. Si Dominum.

Quin sit igitur præsens Christi corpus & sanguis in hoc sanctissimo Sacramento, dubium nullum esse debet.

DE TRANSVBSTANTIATIONE PANIS ET VINI IN CORPVS ET SANGVINEM CHRISTI.

CAPVT PRIMVM.

Quis sit controuersiæ status.

ALTERA quęstio erat de modo seu de via, qua Christus sistitur præsens in hoc Sacramento; Vtrum scilicet hoc fiat per conuersionem substantiæ panis & vini in illius corpus & sanguinem? Sectarij omnes negant: Ecclesia verò Catholica affirmat; Atque ita sub anathemate definitum est in Concilio Tridentino. Vbi docetur, fieri hîc conuersionem totius substantiæ panis in Christi corpus, & totius substantię vini in Christi sanguinem, remanentibus tantùm panis & vini accidentibus; quæ est ratio seu descriptio transubstantiationis, sicut Ecclesia hanc conuersionem appellat.

Sess. 13. cap. 4. & can. 2.

Quid sit transubstantiatio.

Porrò in hac asseueratione aduersarios habemus non modò Sacramentarios, qui cùm præsentiam Christi negent, cõsequenter etiam dogma de transubstantiatione reiiciunt, sed etiam Lutheranos omnes Cõfessionistas, qui contẽdunt, substantiam panis & vini manere & esse vnà cum corpore Christi & sanguine in hoc Sacramento.

Neque hi solùm, sed etiam antiquiores quidam hæretici sic senserunt. Nam Valeranus quidam, vt refert VValdensis, paulò post Berengarium opinatus est, adesse simul substantiam panis & vini, & quidem non modò naturâ, sed etiam supposito, siue hypostasi sua propria distinctã à Christi corpore & sanguine. Hanc sententiam non ita multò pòst quidam Ioannes Parys, vt idẽ VValdensis refert, confutauit, propterea quod ponebat substantiam panis & vini habere hîc suas proprias hypostases. Itaque ipse Ioannes Parys commentus est, adesse quidem substantiam panis & vini, sed sustentari & assumi

Tomo 2. de Sacram. cap. 65. & sequent.

mi hypostaticè à diuino Verbo, id est, à persona Christi, mediante ipsius corpore & sanguine. Quare hinc iste declarabat fieri, vt panis ipse & vinum verè & propriè diceretur esse corpus & sanguis Christi; sicut Deus seu Verbum diuinum propter vnionem hypostaticam duarum naturarum in Christo verè & rectè dicitur homo.

Panem non esse vnitum hypostaticè cum corpore Christi.

Sed commentum istud, de hypostatica vnione panis & vini cũ corpore & sanguine Christi in Eucharistia, ab omnibus explosum & irrisum fuit: nec vllos habuit deinde sectatores. Primò, quoniam merum fuit somnium, quod nullo neq; Scripturæ, neq; Ecclesiæ veteris testimonio, vel in speciẽ quidem probari potuit. Deinde, quoniã nullo modo verisimile est, toties Verbum diuinum assumere substantiam panis hypostaticè, & iterum deserere, quoties Eucharistia conficitur, & illæ externæ species corrumpuntur. Tertiò, quoniam tunc Verbũ diuinum non quomodocunq; naturam aliquam hypostaticè assumeret, sed naturam prius sustẽtatam proprio alioqui suo supposito & naturali hypostasi, quam ideò oporteret corrũpi. Panis enim & vinum, antequam fiant Eucharistia, dubium nullum est, quin vt naturam, sic etiam hypostasim naturalem panis & vini habeant. Vt autem natura, quæ in propria hypostasi sustentetur, assumatur hypostaticè à Verbo, multi putant rem esse impossibilem; vel certè res esset non consentanea, cũ oporteret aliquid ad eam rem in natura destruere. Deniq; nec illud satis intelligitur, quod ille Ioannes dicebat, assumi hypostaticè substantiam panis & vini, mediãte ipso corpore Christi & sanguine. Maximè cùm multi cõtendant, fieri non posse, vt natura aliqua creata perfectionem habeat ad assumendam hypostaticè diuersam aliam naturam. Opinio illa igitur ab omnibus, vt dixi, etiam hæreticis est deserta.

Quare Lutherani non nisi opinionẽ illam alteram Valerani sunt secuti, nempè adesse in Sacramẽto substantiam panis & vini, supposito etiam suo proprio distinctam à corpore & sanguine Christi. Docent tamen corpus & sanguinem in pane esse Sacramentali quadã (vt dicunt) & singulari cõiunctione, nõ minus coniunctè & intimè, quàm ignẽ in candente ferro:

propter quam opinionem communi vocabulo appellantur isti Paniſtæ, vel Panitæ.

Inconſtantia Lutheranorũ, circa tranſubſtantiation.

Et eſt in hac iſtorũ opinione, animaduertenda etiã Lutherana vel incõſtantia, vel aſtutia. Etenim Lutherus ſimpliciter antè ſcripſerat, Chriſtum, cùm dixit: *Hoc eſt corpus meum*; Et: *Hic eſt ſanguis meus*, mutaſſe panem in ſuum corpus, & vinum in ſanguinem. Item in ſermone quodam de Euchariſtia: *Non eſt ibi*, inquit, *panis & vinum, ſed ſpecies tantùm panis & vini*. Præterea in Cõfeſsione Auguſtana, ſicut Germanicè oblata primùm fuit Carolo Quinto Auguſtæ; aut ſenſerũt iſti, aut ſentire ſe ſimularunt, Chriſtum in Euchariſtia præſentem adeſſe per tranſubſtantiationem. Nam, vt teſtãtur Andreas Fabricius & Lindanus, in illo autographo Germanico habebatur *ſub ſpeciebus* panis & vini adeſſe in cœna Dominica Chriſti corpus & ſanguinem. Quo modo loquendi, ſcilicet *ſub ſpeciebus* Catholici ſignificare ſolent (vt iſti minimè ignorabant) modum etiam & viam huius Chriſti præſentiæ, nimirùm per tranſubſtantiationem, externis tantũ ſpeciebus panis & vini remanentibus. Quo factum eſt, vt & Catholici articulum illum, tanquã cum Catholica doctrina conſentientem, tunc admiſerint, ſolumq; poſtulauerint paulò clariorem tranſubſtantiationis aſſertionem, ſicut videre eſt apud Fabricium. Quin etiam aliqui ex ipſis hæreticis, iſtorum Confeſsioniſtarum aduerſariis, planè intellexerũt admiſiſſe eos in illo articulo Catholicorum dogma de tranſubſtantiatione. Nã Heshuſius idcircò dicit, ſe articulum illũ damnare: & Hieronymus etiam Zanchius Caluiniſta ſimiliter intellexit aſtruere ibi Confeſsioniſtas dogma noſtrum de tranſubſtantiatione. Accedit, quòd nõ ſine cauſſa iſti poſtea in aliquibus illius Confeſsionis editionibus modum illum loquendi, *ſub ſpeciebus panis & vini* ſuſtulerunt, & pro eo ſubſtituerunt, *cum pane & vino* adeſſe corpus & ſanguinem Chriſti. Quanquam exſtant etiã nonnullæ Confeſsionis eiuſdem editiones, in quibus prior ille dicendi modus retinetur.

Lib. de abroganda Miſſa priu.

In Harm. Confeſs. Auguſtan.

In Apolog. ad Germ.

Lib. de præſentia corp. Chriſti in cœna.

In ſuis Miſcellaneis, fol. 278.

Fraus Melãchthonis.

Fuit verò in hoc genere ſumma etiã impudentia Melanchthonis, qui Confeſsionem illam, Anno 30. Imperatori exhibitam, ſic anno ſequenti, addita etiam eius Apologia, Latinè edidit,

didit, vt in articulo quidem 10. Cõfeſsionis, nullã mentionem fecerit panis & vini; In Apologia verò affirmauerit, Catholicos Doctores in eo decimo articulo approbaſſe doctrinam Confeſsionis, in qua dicatur, *cum pane & vino* (ſic enim falſariè recitat Melanchthon) *exhiberi corpus & ſanguinem Chriſti.* Quod adeò verum non eſt, vt cùm in articulo 10. Confeſsionis non ſatis clarè doctrinam de tranſubſtantiatione iſti poſuiſſent, petiuerint Catholici, vt illam clariùs ibi profiterentur; ſicut patet ex reſponſione Catholicorũ reddita nomine Imperatoris ad illum articulum, quam cõmemorat Andreas Fabricius.

Sed omiſſa iſtorum vel inconſtantia, vel impudentia, vel aſtutia, demonſtrabimus aduerſus illos, & etiam contra Sacramentarios, aſſertionem Catholicã, primò, ex illis ipſis Chriſti verbis, quibus antè probauimus corporis & ſanguinis Chriſti præſentiam: *Hoc eſt corpus meum*; Et: *Hic eſt ſanguis meus.* Secundò, ex cõſenſu ſanctorum Patrum, vbi refutabimus commenta omnia vanarum interpretationum, quas aduerſarij adhibent. Tertiò, ex fine quodam Euchariſtiæ, & ex duabus illius præcipuis figuris. Quartò, ex Eccleſiæ definitione in aliquot Conciliis. Poſtea reſpondebimus ad obiectiones Sectariorum. *Matth. 26.*

CAPVT SECVNDVM.

Probatur tranſubſtantiatio ex illis verbis Chriſti: Hoc eſt corpus meum; &: Hic eſt ſanguis meus.

EX Christi verbis formo tale argumentũ. Quidquid ſubſtantiæ continebatur ſub ſpeciebus panis & vini, finita prolatione illorum Chriſti verborum; & quidquid nunc etiam ibi continetur, quando à Sacerdote prolata ſunt eadem verba: id totum verè & propriè tunc fuit, & nunc etiam eſt corpus & ſanguis Chriſti. Sed nihil ſubſtantiæ panis, & ſimiliter nihil ſubſtantiæ vini, tunc fuit aut nunc eſt verè & propriè corpus aut ſanguis Chriſti, cùm finitur illa prolatio verborum. Ergo nihil ſubſtantiæ panis & vini continebatur tunc, aut nunc continetur ſub ſpeciebus panis & vini. Quod ſi nihil ibi ſubſtantiæ

Formula probandi tranſubſtantiationem, ex Chriſti verbis.

panis aut vini continetur, cùm tamen substantia panis & vini ibi antè fuerit; consequitur, panem esse conuersum in Christi corpus, remanentibus solis accidentibus, & similiter vinum in sanguinem.

Huius nostri argumenti maior seu prior propositio certissima est, tribus constitutis, quę necessariò concedi debent. PRIMVM est, enunciationem illam: *Hoc est corpus meum*, (idem intellige de sanguine) verificari propriè in vltimo instanti prolationis; sicut oportet omnes alias enunciationes tunc maximè veras esse. SECVNDVM est, veram hanc esse enunciationem pro eo instanti, non figuratè, sed omninò propriè. Quod suprà satis est à nobis cõtra Sacramentarios probatum. *Lib. 1.* TERTIVM, quod diligentissimè notari debet, est, hanc esse vim illius pronominis demonstratiui, *Hoc*, vt, si ad rem aliquam applicetur, quæ secundum conditionem suam non soleat aliquam aliam substantiam diuersam à sua continere, sicut continet dolium (verbi gratia) aut marsupium; demonstret omninò totum quidquid est substantiæ sub illis externis accidentibus rei quæ sensu percipiuntur: demonstret, inquam, id totum saltem sub ratione substantiæ communi & indiuidua vagè, per ordinem ad accidentia illa quæ sentiuntur, sicut in proposito accidere suprà declarauimus. *Lib. 1. cap. 9.* Fit enim per illud pronomen vsitata demonstratio ad sensum. Quò fit, vt si secundum consuetudinem non soleat sub talibus externis accidentibus latere substantia alterius rei præter eam, quæ proximè & immediatè continetur ipsis externis accidentibus; totum quidquid est huius substantiæ (sub aliqua tandem ratione) & nihil aliud pronomen illud demonstret. Iam verò certum est, panem non esse sicut marsupium, aut dolium; sed ex consuetudine exhibere tantùm sensibus illam substantiam totam, quæ proximè & immediatè subest illis externis accidentibus panis. Ita fit, vt Christus dicens accepto pane: *Hoc est corpus meum*; totam substantiam (secundum rationem quidem substantiæ in communi, & in confuso cogitatam, non autem secundum propriam & distinctam rationem panis) sub illis accidentibus panis contentam demonstrauerit,

strauerit, affirmauerit que, quòd ea sit suum corpus: id quod verissimum fuit in fine prolationis eorum verborum. Ac similiter idipsum ex Christi institutione quotidie etiam nunc verè affirmatur. Quemadmodùm cùm aliquis de quauis alia re, quæ secundum conditionem suam non soleat continere aliquid aliud diuersum, affirmat quidpiam simili demonstratione ad sensum facta; totam substantiam demonstrat, quæ sub rei accidentibus subest, & de tota affirmat: cùm non sit ratio cur pronomen demonstratiuum *Hoc*, indicet partem substantiæ rei, & non totam; aut cur indicet aliquam rem aliam, quando simpliciter quidem ad rem ipsam sine vlla limitatione aut determinatione illud pronomẽ applicatur. Quod si secus quis faceret; minimè verum loqui censeretur, sed planè haberetur impostor. Exempli caussa: Verè dixeris, accepto marsupio in quo sit aurea pecunia: *Hoc est aurum*; quia cùm marsupium sit res, quæ ex conditione sua soleat cõtinere aliquam aliam substantiam præter suam illam coriaceam vel sericam, quæ immediatè subest accidentibus sensibilibus marsupij; licitum est eo modo loquendi demonstrare non quidquid est substantiæ sub illis accidentibus marsupij, sed pecuniam auream in marsupio, & de illa verè affirmare, quòd sit aurum. Si verò in pane includeres aurum, & accepto eiusmodi pane diceres simpliciter: *Hoc est aurum*; falsò & præter consuetudinem loqui iudicareris. Quare? Quia cùm panis non sit res, quæ soleat in se aliam substantiam diuersam continere; videreris de tota substantia, quæ proximè subest accidentibus panis, affirmare quòd sit aurum: cumque Deus non sis, qui possis virtute verborum tuorum efficere, vt substantia tota, quæ est sub panis accidentibus, fiat ac sit aurum; falsum dicere putareris. Vera est igitur maior nostri argumenti propositio: Nempè totum id quod fuit & nunc est sub accidentibus panis, finita consecratione esse corpus Christi: quia de eo toto id Christus propriè affirmauit, iuxta vim quam habet pronomen illud demonstratiuum *Hoc*, applicatum ad rem & substantiam, quæ fuit panis.

Minor etiam propositio eiusdem argumenti probatur

manifestè. Quoniam impossibile est, vnum esse verè & propriè aliud, nisi vtrumq; sit idem, saltem suppositò & hypostasi, si non etiam secundum naturã & formam. Hæc enim identitas, vel omninò, vel certè secundum suppositum, significatur per affirmationem enunciationis, cùm dicimus; Hoc est illud. At nihil substantiæ panis est idem suppositò, & multò minus formâ & naturâ cum corpore Christi. Ergo nihil substantiæ panis est verè & propriè corpus Christi. Et hæc fuit argumenti nostri Minor: Sequitur ergo conclusio: quam certè vel hoc argumento satis apparet ex ipsis etiam Christi verbis, & non tantùm auctoritate Ecclesiæ, constare.

Sed occurrunt Lutherani duabus viis huic argumento; Quanquam vtram ex illis duabus viis magis ipsi probent, nõ satis declarant. Vna est, cùm dicunt (sicut Kemnitius ex Lutheri sententia docet) enunciationem illam & affirmationem Christi: *Hoc est corpus meum*, non esse omninò propriè accipiendam, vt verba sonant, sed significare, *Hoc continet corpus meum*, vel, *est simul cum corpore meo*. Ac probat Lutherus, hunc affirmationis sensum à nobis etiã debere hîc admitti, nisi velimus accidentia quoq; panis fuisse transaccidentata (vt inquit etiam Kemnitius) in Christi corpus. Remanserunt enim in illa re demonstrata à Christo ipsæ species externæ accidentium panis, de quibus certè non propriè Christus affirmauit, quòd essent corpus suum, sed quòd cõtinerent tantum corpus, vel essent simul cum corpore. Itaque secundum hanc viam primò negarent isti maiorem propositionem illius argumenti nostri.

In exam. cap. 4. & can. 2. sess. 13.

Lib. de captiuit. Babylon.

Refutatur primus modus, quo nituntur Lutherani soluere argumẽtum exstructũ ex Christi verbis.

Sed hæc prima via planè deducit Panistas Lutheranos ad castra Sacramentariorum. Nam non retinet proprietatem Christi sermonis: qua semel reiecta non possumus esse certi ex illis Christi verbis de præsentia eius corporis in Sacramento. Si enim verbũ illud seu copula, *Est*, in enunciatione Christi impropriè interpreteris, vt non significet identitatem subiecti & prædicati; nulla restat ratio colligẽdi certò ex illa oratione, quòd Christi corpus sit ibi, vbi demonstratur esse præsens illud, quod in subiecto illius enunciationis ponitur, & indica-

indicatur pronomine illo, *Hoc*. Si enim non est sensus, hoc reuera esse corpus, sed continere corpus vel esse cum corpore; quare nõ etiam obtrudant nobis Sacramentarij sensum suum improprium; Hoc est; id est, hoc significat corpus? Aut vnde constabit, minus hanc figuratam locutionem Sacramentariam, quæ præsentiam corporis non requirit, habere hîc locum, quàm illam alterã Lutheri, *hoc est*, id est, *hoc continet*? Certè non hoc probabunt Lutherani, etiamsi retineant proprietatem sensus in enunciationis prædicato quod est *corpus*. Hanc enim proprietatem retinent etiam Sacramentarij, dum dicunt, sensum etiam esse, Hoc significat corpus. Nam verum Christi corpus significari dicunt, licet absens. Certum est igitur proprietatem in ipsa copula, seu verbo, *est*, retineri debere, vt ita ex identitate subiecti, quod ibi præsens demonstratur, & prædicati quod est *corpus*, concludatur ibi esse præsens Christi corpus. Quare cùm ab hac proprietate Lutherani recedunt; etiam recedunt à firma & certa confessione præsentiæ Christi corporis. Neque verò argumentatio illa Lutheri de accidentibus cõtra nos quidquam valet. Accidentia enim non propriè demõstrantur per pronomen illud, *Hoc*, sed substantia sub accidentibus. Quare, vt secundùm sensum verborum vsitatum & proprium, res ibi demonstrata dicatur esse corpus Christi, non est opus, vt illa accidentia transeant seu trãsaccidententur (vt Kemnitius loquitur) in Christi corpus: satis est, si transeat in illud panis substantia.

Secunda via, quam Kemnitius, & ante illum etiam Lutherus ostendit, ad occurrendũ illi nostro argumento, est: Quòd possit etiam verè & propriè Christi corpus affirmari de ipsa substantia panis, vt panis est; quemadmodùm, inquit, Christus homo verè & propriè est Deus; sed sicut in ista enunciatione: Christus secundum humanitatem (sic enim intelligit iste Vbiquetarius) est Deus, non est, inquit, exigenda hæc affirmatio ad Metaphysicam Aristotelis, ita neq; cùm dicitur, panis est corpus Christi, oportet ibi intelligere eandem rationem affirmationis, quæ est in aliis vsitatis enunciationibus, de quibus egit Aristoteles, cùm docuit, rationem affirmatio-

Luth. in epistola quadam de transubstant. Recitatur à Schmidelino in confut. disput. nostræ cõtra duas Sectas, pag. 11. *Vide etiã defensionem nostram, pag.* 113. *& seq.*

mationis consistere in identitate prædicati & subiecti. In spiritualibus enim, inquit, vt aliquid de aliquo affirmemus, satis est singularis aliqua vtriusque vnio & coniunctio. Quod aliquibus etiam exemplis confirmare nititur. Nam Christus cùm insufflans in discipulos dixit: *Accipite Spiritum sanctum*, flatum ipsum significauit esse Spiritum sanctum; non quidem propter identitatem, quasi flatus fuerit transubstantiatus in Spiritum sanctum, sed propter singularem coniunctionem. Similiter Baptista columbam, quæ super Christum apparuit, significauit esse Spiritum sanctum, cùm dixit: *Vidi Spiritum descendentem sicut columbam.* Item species illæ angelicæ, in quibus olim apparebat Deus, dicebantur propter peculiarem coniunctionē ipse Deus. Et cùm progrederetur arca Domini, simili modo dicebat Moyses: *Surge Domine, & dissipentur inimici tui, &c.* Denique propter peculiarem modum coniunctionis duarum naturarum in Christo, non autem propter earum identitatem, Christus homo secundum humanitatem (vt isti existimāt) dicitur & est Deus. Simili igitur modo, propter admirabilem coniunctionem panis & corporis Christi in Sacramento, vult Kemnitius propriè esse & dici panem corpus Christi sine identitate. Atque id etiam rursus confirmat exemplo, vt inquit, vulgari. Nam monstrato vini dolio, dicere solemus, Hoc est vinum, quod mittit amicus: Et monstrato marsupio, En pecuniam, quam tibi debeo. Neque tamen significare volumus identitatem dolij & vini, aut marsupij & pecuniæ; sed tantùm peculiarem coniunctionem.

Ioan. 20.

Ioan. 1.

Numer. 10.

Refutatur secundus respōdendi modus.

Hæc autem via nihilo magis quàm prior commoda est istis ad euadendum. PRIMO. Quoniam sine sensu, sine notione communi ipsorum verborum affirmari dicunt alterum de altero, scilicet corpus de pane; quod est planè puerile, vt alio loco manifestè ostendi, quando refutaui simile cōmentum istorum circa affirmationem illam, qua dicūt, Christum non modò secundum hypostasim humanitatis suæ, sed etiam secūdum ipsam humanitatem suam, esse & dici Deum. Communissima enim notitia, quæ subest vocabulo affirmationis, est identitas prædicati & subiecti, saltem secundum suppo-

In Defensione disput. contra duas Sectas, pag. 113. *& sequent.*

ſuppoſitum, ſi non etiam ſecundum formam. Quare fingere, affirmationē aliquam vnius de altero, quæ ſit vera & propria, neque tamen habeat ſubiectam huiuſmodi identitatem, eſt pueriliter vocem ſine re prorſus vſurpare. Oſtendi autem alio loco, quemadmodum in ſpiritualibus etiā myſteriis, notionibus nominum communiſsimis oporteat nos vti, etiamſi rationem ipſam propriam myſteriorum non penitus, quod ad ſpeciem quidem & modum ſingularem attinet, introſpiciamus. Quam ad rem locum etiam citaui Auguſtini, vbi ille præclarè ex hoc fundamento docet, vti nos conceptu & notione vſitata numeri ternarij, quando ipſas perſonas diuinas dicimus tres eſſe.

In illa diſput. pag. 21. *&* 22. *Et in defenſiōe illius, pag.* 100.

Lib. 8. *de Trin. cap.* 5.

Quod autem iſti dicunt ſatis cōſiſtere proprietatem affirmationis vnius de altero, ſi aliqua vtriuſq; ſingularis coniunctio per affirmationē ſignificetur, euidentibus aliquot argumētis aliâs refutaui. Inter cetera verō obiecī, quòd ſi id ita eſt, nihil erit tam falſum & pugnans cum fidei myſteriis, quod nō eadem ratione affirmari poſsit. Hæc enim propoſitio in ſanctiſsimæ Trinitatis myſterio, ſecundum eam doctrinā Lutheranam eſſet vera: Pater eſt Filius. Quia Pater & Filius ſingulariſsima quadam coniunctione ſunt vnum quiddā; iuxta illud: *Ego & Pater vnum ſumus.* Et: *Ego in Patre, & Pater in me eſt.* Item erit etiam vera enunciatio hęc: Spiritus ſanctus eſt Pater & Filius. Nam & *hi tres vnum ſunt.* Item hęc: Humanitas in Chriſto eſt diuinitas. Quoniam iſtæ duæ naturæ ſingulariter in Chriſto cōiunctæ ſunt. Item hæc: Anima rationalis in Chriſto & in aliis hominibus eſt corpus mortale. Nam *anima rationalis & corpus,* inquit Athanaſius, *ſunt vnus homo* per ſingularem coniunctionem. Omitto cetera argumenta, quibus euidenter demonſtraui illam doctrinam Lutheri eſſe falſam.

In illa defenſione, pag. 113. *& ſeq.* Abſurda doctrinæ Lutheranæ, de modo quo Chriſti corp⁹ affirmatur de pane.

Ioan. 10.

Ioan. 14.

1. *Ioan.* 5.

In Symbolo.

Secvndo. Contra illam iſtorum euaſionem obiiciendum eſt. Quod ſi illa valeret, nihil prorſus valuiſſent argumenta veterum Patrum & Conciliorum, cùm aduerſus Neſtorium argumētabantur, hominem Chriſtum eſſe idem ſuppoſito ſeu perſonâ cum diuino Verbo, eò quòd in Scriptura homo ille Chriſtus dicatur verè & propriè Deus ſeu Verbum.

Similiter enim Nestorius potuisset respondere, eiusmodi affirmatione non identitatem Christi & Verbi secundum suppositum, sed singularem cõiunctionem suppositi Christi hominis, & suppositi Verbi significari.

TERTIO. Obstat istis, quòd Christus iis pronominibus vsus est, quæ in fine prolationis verborum, non ad panem & vinum, sed ad corpus & sanguinem Christi potuerunt verè & rectè referri. Ex quo intelligitur, nõ affirmasse illum de pane & de vino secundum propriam & distinctam rationem panis & vini suum corpus & sanguinem, sed de substantia illis accidentibus contenta, secundum rationem substantię in communi & in confuso cogitatam, quæ postea in fine prolationis erat futura corpus & sanguis. Dixit enim, non, *Hic* est corpus meum, id est, panis est corpus; sed, *Hoc*: Neque etiam dixit: *Hoc*, id est, vinum est sanguis; Sed: *Hic* est sanguis meus.

QVARTO. Neque exempla sunt ad propositum, quæ Kemnitius affert: Nam Christus non dixit, flatum esse ipsum Spiritum sanctum: sed cùm flaret, dixit, vt *acciperent* secundum gratiam Spiritum sanctum, cuius esset ille flatus aliquo modo symbolum. Similiter Baptista non dixit Spiritum sanctum esse columbam, sed solùm intellexit columbam symbolum esse Spiritus sancti, vt patet ex illis eius verbis: *Vidi Spiritum sanctum descendentem* QVASI *columbam*. Atque etiam species Angelicæ non nisi impropriè Deus, quem repræsentabant, dicebantur. Neque arca dicta propriè est vnquam Deus; sed ideò Deus exsurgere dicebatur cum exsurgebat & progrediebatur arca, quia pergebat Deus ad prę sentiam arcę patrare mirabiles effectus.

Quod verò Kemnitius in exemplum affert dolium & marsupium, facit etiam ineptè. Nam cùm dicimus, Hoc est vinum, quod mittit amicus; Vel, hæc est pecunia quæ debetur, non demõstramus propriè per ea pronomina dolium ipsum aut marsupium, atque adeò neque substantiam immediatè & proximè contentam accidentibus dolij & marsupij, de qua eo sensu quo interpretatur iste (scilicet secundum coniunctionem tantùm) affirmemus, quòd sit vinum & pecunia:

nia: Sed demonstramus substantiam vini & pecuniæ in dolio & marsupio inclusam. Cuius ratio est, quoniam, vt antè notauimus, admittit eiusmodi demonstrationem conditio earum rerum, quæ præter suam ipsarum substantiam res alias continent. Panis autem non est ex genere istarum rerum: atque ita si illo in manus accepto demonstratio aliqua fit; tota substantia monstratur, quæ subest immediatè panis accidentibus. Quemadmodum igitur in illis exemplis, à Kemnitio adductis, propriè & secundum identitatem illud, quod in dolio & in marsupio demonstratur, est vinum & pecunia, ita etiam propriè & secundum identitatem est corpus Christi, quidquid substantiæ proximè & immediatè subest accidentibus panis.

Sed probat præterea Kemnitius per pronomen illud, *Hoc*, non fieri hîc affirmationem identicam, sed de ipsa propria & determinata substantia panis affirmari corpus Christi, illo modo, quo ipse Kemnitius dicit, videlicet, vt solùm significetur coniunctio vtriusque. Nam Pontificij, inquit, tradunt substantiam panis non desinere, neque transubstantiari, nisi in fine prolationis verborum, ita quidem, vt primum non esse prolationis, sit primum esse corporis Christi sub illis speciebus. Igitur cùm in principio dicitur, *Hoc*, non demonstratur tunc per istud pronomen nisi substantia panis, quæ sola tunc est præsens.

Respondeo. Demonstrari tunc quidem substantiam præsentem contentam sub illis accidentibus, vt ostendit optimè diuus Thomas, non tamen secundum propriam rationem panis, sed præcisè secundum substantiæ rationem communem & indiuiduam vagè per ordinem ad illa accidentia: qua quidem præcisè ratione substantia illa est ex se indifferens, vt sit & panis (sicut est initio prolationis verborum) & corpus CHRISTI, sicut est reuera in fine prolationis: atque eatenus verè & propriè corpus esse CHRISTI affirmatur in sensu identico, quem satis est verificari in termino totius enunciationis: Sicut etiam suprà de hoc respondimus Sacramentariis, Quare manet illa probatio nostra ex ipsis Christi verbis

3.p.q.78. art.5.

Cap.9. ad argum.1.

verbis firma. Et confirmatur præterea ex eo, quòd verba Christi ita exponenda sunt, vt commodissimè possit intelligi, quemadmodum per ea verba Christi corpus factum fuerit idoneum ad comedendum. Id verò commodissimè intelligitur, si ipsum Christi corpus loco substantiæ panis subsit proximè & immediatè (vt probatum est) panis accidentibus, sub quibus nimirum à nobis verè edatur, sicut solet substantia panis. Quòd autem à Christo factum sit, vt corpus ipsius à nobis edi & sumi possit; patet ex ipsa consequentia verborum. Nam: *Accipite*, inquit, *& comedite, Hoc est corpus meum.*

Matth. 26.

CAPVT TERTIVM.

Probatur secundò transubstantiatio testimoniis Patrum.

SECVNDO probatur assertio hæc Catholica ex sententia antiquorum Patrum, qui hanc fuisse Christi verborum vim intellexerunt, vt non remaneret ibi substantia panis. Etsi enim vocabulo ipso *transubstantiationis*, quod in Concilio primùm Lateranensi, sub Innocentio III. circa annum 1200. vsurpatum est, Patres antiqui non vsi fuerint; tamen vsi sunt ad idem mysterium explicandum verbis tantundem planè significantibus. Etenim dicunt, (vt statim audiemus) panem & vinum mirabili DEI virtute *conuerti* in corpus & sanguinem CHRISTI, *mutari, transmutari, & transire* in illud, item *transelementari, &c.*

In examine sess. 13.

Sed nos, inquit hîc Kemnitius, *mutationem Sacramentalem in his Patrum dictis intelligimus. Quòd scilicet cùm antè esset tantùm communis panis & vulgare vinum, accedente verbo Christi non solùm panis & vinum, sed simul etiam ibi in Eucharistia corpus & sanguis Christi adsit, exhibeatur & sumatur.* His itaque verbis Kemnitius suam & suorum Confessionistarum sententiam de testimoniis veterum pro transubstantiatione interpretatur. Nec dissimiliter quoque Caluinus & Sacramentarij exponunt, seu potiùs corrum-

Caluinus lib. 4. Instit. ca. 17. sect. 14.

corrumpunt testimonia Patrum. Nam hi etiam dicunt, Patres intellexisse tantùm eiusmodi mutationem Sacramentalem, qua solùm fiat, vt panis qui antè non erat Eucharistia, nec valebat nisi ad sustentationem corporis, postea sit Sacramẽtum Eucharistiæ, id est, vt tanquam signum corporis Christi (tametsi absentis) peculiari benedictione sacratum, valeat etiam ad salutem animæ.

Fortunatus in sua disceptat. pag. 30. & alij passim.

Nos verò fatemur etiam, mutationem ex sententia Patrũ hîc fieri Sacramentalem, id est, per quam Sacramentum constituatur Eucharistiæ: Sed ex ipsis verbis Patrum, quæ recitabimus, euidenter aduersus istorum cõmentum ostendemus, eiusmodi mutationem Sacramentalem intellexisse Patres, qua fiat non solùm vt panis peculiari benedictione sit signum corporis Christi absentis, vel, vt panis sit simul cum corpore Christi, sed vt substantialiter mutetur in corpus Christi, & iam non ibi sit panis.

Ac primùm quidem D. Ambrosius non obiter aut paucis, sed ex instituto ac multis rationibus & exemplis probat, non esse ibi, quod natura formauit, sed quod benedictio consecrauit. Ita enim scribit: *Fortè dicas, aliud video; quomodo tu mihi asseris quod corpus Christi accipiam? Probemus igitur*, inquit, *non hoc esse quod* NATVRA *formauit, sed quod benedictio consecrauit; maioremq; vim esse benedictionis, quàm naturæ, quia benedictione etiam ipsa* NATVRA *mutatur.* Tum adductis multis exemplis aliarũ mirabilium conuersionum; vt virgæ in serpentem, & serpentis rursus in virgam ministerio Moysis. Item fluuialis aquæ in sanguinem, & petræ in aquam; ita concludit: *Quod si tantùm valuit humana benedictio vt naturam conuerteret, quid dicimus de ipsa consecratione diuina, vbi verba Saluatoris operantur? Nam Sacramentum istud quod accipis, Christi sermone conficitur. Quod si tantum valuit sermo Heliæ, vt ignem de cœlo deponeret, non valebit sermo Christi, vt species mutet elementorum? De totius mundi operibus legisti, quia ipse dixit & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt. Sermo ergo Christi qui potuit de nihilo facere quod nõ erat, non potest ea quæ sunt in id mutare quod non erat? non enim minus est nouas rebus dare, quàm mutare naturas. Nunquid naturæ vsus præcessit, cùm* IESVS *ex Maria nasceretur? si ordinem quærimus: viro mixta fœmina generare*

Lib. de iis qui myst. initi. c. 9.

consueuerat. Liquet ergo quòd præter naturæ ordinem Virgo generauit: & hoc quod conficimus corpus ex Virgine est. Quid hîc quæris naturæ ordinem in Christi corpore, cùm præter naturam sit ipse IESVS *partus ex Virgine? Ipse clamat Dominus* IESVS, *Hoc est corpus meum. Ante benedictionem verborum cœlestium alia species nominatur; post consecrationem corpus Christi significatur. Ipse dixit sanguinem suum. Ante consecrationem aliud dicitur; post consecrationem sanguis nuncupatur. Et tu dicis, Amen, id est, verum est. Quod os loquitur, mens interna fateatur.*

Hactenus ex Ambrosio hæc recitare volui, tum quoniam grauissimum & clarissimum est hoc testimoniũ pro tota doctrina Catholica de præsentia corporis Christi in Eucharistia, & de transubstantiatione, & de efficacia verborum consecrationis, quam alioqui aduersarij sacrilegè vocare solent magiam, tum etiam vt clarissima luce sermonis D. Ambrosij dissicerem tenebras & figmenta illius interpretationis Kemnitij & Caluini, & aliorum de mutatione illa sua Sacramentali, quę verè non est transmutatio rei quæ antè erat, sed coniunctio panis cum corpore Christi, aut nuda vsurpatio signi. Ambrosius autem substantiæ panis mutationem euidenter ponit. Qui sanè loquitur hac de re eodem prorsus modo in aliquot etiam aliis locis.

Lib. 4. de Sacr. c. 4. & 5. & lib. 6. cap. 1. De consecr. d. 2. can. Omnia. In Exam. sess. 13. c. 4. & can. 2. Con. Trid.

Atque etiam illustris illa sententia est, quæ ex eodem Ambrosio refertur à Gratiano. *Licet figura,* inquit, *panis videatur, nihil tamen aliud quàm corpus Christi & sanguis post consecrationem credendum est.* Quam sententiam neque Kemnitius diffitetur esse diui Ambrosij: immò citat pro illa locum ex lib. 4. Ambrosij de Sacramentis, cap. 5. Quanquam ibi quidem his ipsis verbis Ambrosius non vtitur: licet multa & ibi, & in illo toto lib. 4. passim dicat, ex quibus ea sententia planè ad mentem Ambrosij deduci possit.

Sed respondet Kemnitius ad eam Ambrosij sententiam, rectè dixisse Ambrosium, nihil aliud quàm corpus Christi & sanguinem in Eucharistia credendum esse, quoniam panis, inquit Kemnitius, ipso sensu videtur, quod autem videtur, non creditur. Sed certè vel hoc exemplo satis ostendit Kemnitius, se vanissimum esse sanctorum Patrum interpretem. Clarissi-

Kemnitij corruptela circa locum Ambrosij.

mum

mum est enim, verborum Ambrosij sensum esse, quòd tantùm Christi corpus credi debeat, non quia panis ibi clarè videatur, sed quia non sit ibi panis, etiamsi panis videatur.

Hoc apparet manifestè si attendamus ad difficultatem seu dubitationem humanæ rationis, cui D. Ambrosius ibi voluit occurrere. Dubitatio enim hæc non est, vtrum illud etiam credi per fidem oporteat, quod sensu quoque percipitur esse, & verè est; Sed vtrum putandum sit, ibi panem reuera esse, cùm panis sensui appareat. Respondet enim & occurrit diuus Ambrosius tacitæ illi obiectioni, quam in alio loco proposuerat his verbis: *Fortè dicas: Ego aliud video, quomodo tu mihi asseris quòd corpus Christi accipiam?* Item respondet ad obiectionem, quam lib. 4. de Sacramentis, cap. 5. (quem locum citat hîc Kemnitius) insinuauit his verbis: *Potens est sermo Christi omnia conuertere, & ipse nobis testificatur, quòd corpus suum & sanguinem accipiamus. Nunquid debemus de eius testificatione dubitare?*

Lib. de iis qui mysterijs initi. cap. 9.

Denique hanc vanissimam interpretationem Kemnitij redarguit euidentissimè particula illa aduersatiua, qua (sicut omnes recitant) vsus est Ambrosius in illa sententia, de qua agimus: *Licet*, inquit, figura panis videatur, &c. Si enim voluisset illud dicere quod Kemnitius interpretatur, non debuisset dicere; *Licet* figura panis videatur; sed potius isto modo; *quandoquidem* panis videtur, & quæ videntur non opus est credere; nihil aliud quàm corpus Christi credendum est. Atqui Ambrosius ex eo quod panis videtur, minimè colligit, panē credi non debere; sed quasi respondens ad obiectionem, quòd scilicet panis videatur; negat quidquam aliud quàm Christi corpus credi debere: idque propterea, quòd reuera non sit ibi panis, tametsi videatur esse.

Nunc pergo ad alios Patres. Sanctus Augustinus sic dicit: *Ante verba Christi, quod offertur, panis dicitur: vbi Christi verba deprompta fuerint, iam non panis dicitur, sed corpus appellatur.* Item alibi: *Corpus*, inquit, *Christi & sanguis, virtute Spiritus sancti, ex panis & vini substantia efficitur.* Item: *Sicut ipse Christus est, qui baptizat, ita ipse est, qui per Spiritum sanctum hanc substantiam* (panis) *efficit carnem, & transit vinum in sanguinem.* Item: *Fideliter fatemur, ante consecrationem panem esse*

Serm. 28. de verbis Domin. Apud Gratiā. de conſ. d. 2. cā. Vtrum ſub figura. Quem citat etiā Mag. ſent. lib. 4. d. 10. & paſſim quoq; ipſi Sectarij.

esse & vinũ, quod natura formauit: post consecrationem verò carnem Christi & sanguinem esse, quod benedictio consecrauit. Item: Noster, inquit, panis & calix certa consecratione mysticus sit nobis, non nascitur. Vbi ex ipsa Augustini disputatione apparet, eum significare velle, Eucharistiam consecratam alterius esse naturę & generis panem, quàm sit ille naturalis, qui è terra nascitur, atque adeò nihil aliud secundum substantiam esse, quàm corpus Christi.

Lib. 20. contra Faustum, ca. 13.

Epist. ad Heliodor.

Hieronymus item eandem transubstantiationem intelligit, cùm ita scribit: *Apostolico gradui succedentes* (Sacerdotes) *Christi corpus sacro ore conficiunt.* Item: *Ad Presbyterorum preces corpus Christi sanguisq; conficitur.* Item: *A frumento*, inquit, *& vino, de quo corpus Christi & sanguis conficitur.*

Epist. ad Euag.

In ca. 31. Ierem.

Lib. 4. Dialog. cap. 58.

Item Gregorius Magnus cùm dixit: *In ipsa immolationis hora ad Sacerdotis vocem cœlos aperiri, &c.*

Serm. de cœna Domini.

Item Cyprianus: *Panis iste*, inquit, *non effigie, sed natura mutatus omnipotentia Verbi factus est caro.*

Hom. 5. de Paschate.

Emissenus: *Sicut*, inquit, *quicunq; ad fidem Christi veniens, ante verba Baptismi adhuc est in vinculo peccati veteris; ita verò commemoratis mox exuitur omni fece peccati; ita quando verbis cœlestibus benedicendæ creaturæ sacris altaribus imponuntur, antequam consecrentur, substantia illic est panis & vini: Post verba autem Christi corpus & sanguis eius est. Nec dubitet quisquam creaturas nutu potentiæ & præsentiæ maiestatis in Dominici corporis transire posse* NATVRAM, *cùm ipsum hominem videat artificio cœlestis misericordiæ Christi corpus effectum.* Hoc certè testimonium clarissimum est. Ibidem quoque dixit Emissenus: *Inuisibilem Sacerdotem visibiles creaturas in* SVBSTANTIAM *corporis & sanguinis sui secreta potestate conuertere.*

Catech. 4. mystag.

Nec minus clarè Cyrillus Hierosolymitanus: *Aquam*, inquit, *mutauit in vinum in cœna Galilææ sola voluntate; & non erit dignus cui credatur quòd vinum in sanguinem transmutârit? Si enim ad nuptias corporis inuitatus stupendum miraculum operatus est, cur non multò magis corpus & sanguinem suum filiis sponsi dedisse confitebimur? Nempè*, inquit, *sub specie panis datur tibi corpus; sub specie vini sanguis Christi: etiamsi sensus tibi aliud renunciet, fides tamẽ te confirmet. Pro certissimo habe, panem hunc, qui videtur à nobis, non esse panem, etiamsi gustus panem esse sentiat: & vinum quod à nobis conspicitur, tametsi sensui gustus vinum esse videatur,*

videatur, non tamen vinum, sed sanguinem esse Christi. An fortè Kemnitius similiter hîc interpretabitur, velle tantùm Cyrillum, non opus esse vt panis etiam credatur, si quidem sensu ipso ibi esse percipitur? Certè nihil euidentius est, quàm hoc testimonio D. Cyrilli non modò Christi præsentiam in Sacramento, sed etiam modum præsentiæ confirmari; nempe per conuersionem panis in corpus, qua fiat, vt non maneat ibi panis, licet panis videatur: sicut locutus est etiam suprà Ambrosius.

Item Gregorius Nissenus: *Dei Verbo*, inquit, *sanctificatum panem, in Dei Verbi corpus credo transmutari.* Et rursus: *Christus*, inquit, *se per carnem inserit omnibus credentibus; commistus & contemperatus corporibus illorum; vt vnione cum eo quod est immortale, sit etiam homo particeps incorruptionis. Hæc autem dat virtute benedictionis, in illum* TRANSELEMENTATA *eorum quæ apparent natura.* *In orat. catech. cap. 37.*

Item Cyrillus Alexandrinus perspicuè dixit: *Oblata in veritatem propriæ carnis à Christo conuerti.* *In epist. ad Calosyrium, quem locũ citat quoque D. Thom. super caput 22. Lucæ.*

Et Chrysostomus: *Qui hæc*, inquit, *in Altari sanctificat & transmutat, ipse Christus est, qui olim in cœna operatus est.* *Hom. 83. in Matth.*

Damascenus: *Quemadmodum*, inquit, *naturaliter panis per cibum, & vinum & aqua per potum in comedentis ac bibentis corpus & sanguinem immutantur, corpusq; alterum fiunt, atq; à priori ipsius corpore diuersum: Sic propositionis panis, ac vinum & aqua, per Spiritus sancti inuocationem & aduẽtum, mirabili modo in Christi corpus & sanguinẽ vertuntur, nec sunt duo* (id est, non sunt amplius ibi duæ substantiæ, altera panis & altera corporis) *sed vnum & idem.* *Lib. 4. c. 14.*

Theophylactus: *Attende*, inquit, *quod panis qui à nobis in mysteriis manducatur, non est tantùm figuratio quædam carnis Domini, sed ipsa caro Domini. Non enim dixit; Panis quem ego dabo, figura est carnis; sed, caro mea est. Transformatur enim panis arcanis verbis per mysticam benedictionem & accessionem Spiritus sancti, in carnem Domini.* Sed redeamus ad Latinos. *In ca. 6. Ioan.*

Gaudentius Episcopus Brixiensis, qui D. Ambrosio putatur æqualis, sic inquit: *Dominus qui producit de terra panem; de pane rursus quia potest & promisit, effecit propriũ corpus: Et qui de aqua vinum fecit, de vino etiam facit sanguinem suum.* *In tract. de Paschate.*

In Psalm. 21. Item B. Remigius Episcopus Rhemensis: *Panis*, inquit, *& vinum à Christiana veritate dicuntur, non quòd naturam panis & vini post consecrationem retineant, sed quòd nutriant.*

Lib. de myster. Missæ. Beda: *Ibi*, inquit, *forma panis videtur, vbi substantia panis non est.*

Epi. de corp. & sanguine Dom. Diuus Anselmus disertè scripsit: *Panem in Christi corpus migrare.*

Serm. de cœna Domini. Et pulchrè diuus Bernardus: *Hostia*, inquit, *quam vides, iam non est panis, sed caro mea: Similiter liquor iste quem vides, iam non est vinum, sed sanguis meus. Quemadmodum illic species cernuntur, quarum res vel substantiæ ibi esse non creduntur, sic res veraciter & substantialiter creditur cuius species non cernitur. Videtur enim species panis & vini; creditur autem substãtia corporis & sanguinis Christi: & tamen species non cernitur.*

Lib. contra Hẽ rician. & Petrobus. Item Petrus Cluniacensis, Bernardo æqualis, sic in eandem ferè sententiam Bernardi dicit: *Quid mirum, si omnipotentis misericordia Dei in Altaris Sacramento panis & vini species humanis sensibus reseruet, vt appareat in ipso Sacramento panis & vinum quod non est, & lateat oculos carnis caro & sanguis, quod est.*

Eadem fuit sententia circa idem tempus Hugonis, & deinde Magistri sententiarum, & omnium Theologorum. Tum etiam qui paulò antè contra Berengarium pugnarunt, idem luculenter confirmant: nempè Landfrancus, Guidmundus, & Algerus, & alij, de quibus suprà diximus. Atque etiam est huc accommodandum, quod Patres veteres passim scripserunt: Panem *fieri* corpus Christi, vel ex pane *fieri* aut *confici* corpus Christi. Si quid enim verè dicitur fieri aliud; neque tamen illud aliud hypostaticè sibi coniungit (sicut fecit Verbum diuinum, cùm caro factum est) necesse est certè, vt id in aliud sit commutatum. At constat, panem non sibi vniuisse hypostaticè corpus Christi. Igitur cùm Patres dicunt, illum esse factum corpus Christi; mutatum esse in Christi corpus intelligunt.

Lib. 1. cap. 2.

Lib. 4. contra Marcion. Loquitur autem ita Tertullianus. *Nam accipiens*, inquit, *panem, corpus suum illud fecit dicendo: Hoc est corpus meum.* Similiter, præter Ambrosium, Hieronymum, & Augustinum suprà citatos, loquitur etiam Origenes. Atque idem dicendi modus

Lib. 8. contra Celsum.

exstat

exstat in Liturgiis diui Iacobi, & Clemẽtis, & Chrysostomi, & Basilij, cũ in iis oratur Deus, vt panem *efficiat* corpus Christi, & vinum sanguinem. Deniq; huc pertinent quoque multa testimonia veterum Patrum suprà citata pro Christi præsentia reali in Eucharistia, ex quibus etiam veritas transubstantiationis manifestè apparet. *Lib. 1. cap. 5.*

Atque hæc cùm fuerit sententia Patrum, satis iam intelligi potest vanitas & impudentia Caluini, qui scripsit transubstantiationis dogma *destitui vetustatis patrocinio, nec solùm melioribus seculis, sed etiam cùm iam esset admodum inquinata doctrinæ puritas, ignoratum in Ecclesia fuisse.* Cuius mendacij vanitatem, vt refelleremus, non modò aliorum vetustiorum, sed etiam Bernardi & eius æqualium testimonia paulò antè recitauimus. Neque minus impudens Lutheri mendacium fuit, qui etiam scripsit, ante annos primùm trecentos fuisse istud dogma in Ecclesiam inuectum: *Cùm cœpit*, inquit, *simulata Philosophia Aristotelis in Ecclesia grassari.* Sed obstructum est iam os loquentium mendacia. *Lib. 4. instit. c. 17. Sect. 14.* *Lib. de captiu. Babyl.*

CAPVT QVARTVM.

Probatur tertiò transubstantiatio ex Eucharistiæ figuris & fine.

TERTIO confirmatur assertio Catholica ex fine quodam Eucharistiæ, atque etiam ex duabus eius figuris principalibus, in quibus exstitit admirabilis quoque mutatio substantiæ. Etenim Deus, vt veteres Patres intellexerunt, ad eum etiam finem instituit Eucharistiam, vt esset quasi memoria mirabilium suorum. Itaque ad hoc etiam Sacramentum Patres accomodant illud ex Psalmo: *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus: Escam dedit timentibus se.* Quidquid autem fuit olim diuinitùs factum admirabiliter, id habuit aliquam singularem rerum mutationem: vt animaduertere licet maximè in iis signis, quæ edidit Moyses, quemadmodum Ambrosius latè prosequitur. Immò etiam Christus ipse *manifestare gloriam* *Psalm. 110.* *Lib. de iis qui init. cap. 9.* *Ioan. 2.*

suam in Cana Galileæ cœpit mutando aquam in vinum. Quare consentaneum est, vt quod idem Christus vltimo suæ vitæ tempore mirabiliter ad memoriam Dei mirabilium instituit, habuerit quoque singularem rei mutationem.

Loco cit. Porrò figuræ illæ duæ, fuerunt Manna, & aquæ fluentes de petra, vt Ambrosius etiam significat. In his autem duabus rebus mirabiles item mutationes ipsius substantiæ acciderunt. Nam manna in varias ciborum substantias, vt quisque optabat, conuertebatur. Sic enim dicitur Sapientiæ 16. *Panem de cœlo præstitit illi sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem. Substantiam enim tuam & dulcedinem tuam illis ostendebas, & deseruiens vniuscuiusque voluntati ad quodcunque volebat conuertebatur.* Quod ipsum asseruit quoque Augustinus. Item aquarum ille fluxus ex conuersione exstitit ipsius petræ in aquas, vt Dauid testatur. *Et conuertit*, inquit, *petram in stagna aquarum, & rupem in fontes aquarum.* Quod etiam affirmat diuus Gregorius Nissenus: *Miraculi*, inquit, *non obliuiscar illius, quo dura & solida lapidis natura, in aquarum conuersa mollitiem, potus sitientibus facta est.* Argumentatur autem ex his figuris Ambrosius, & diuus Cyrillus Alexandrinus. Et totum hoc argumentum ex Sandero & aliis Scriptoribus repetit fusiùs Claudius de Sainctes.

Lib. 3. de Trin. cap. 1.
Psalm. 113.
In vita Moysis.
Lib. de iis qui init. cap. 9.
Lib. 4. in Ioan. cap. 13.
Repetit. 7. c. 3.

CAPVT QVINTVM.

Probatur quartò transubstantiatio ex Ecclesiæ definitione.

QVARTO probatur transubstantiatio ex definitione Ecclesiæ. Primùm in quatuor Conciliis contra Berengarium, scilicet Vercellensi, Turonensi & Romano duplici, de quibus suprà dictum est. Deinde in Lateranensi sub Innocentio III. quod meritò solet appellari magnum. Fuit enim plus quàm 1200. Patrum ex vtraque Ecclesia Græca & Latina; eique inter ceteros interfuerunt Patriarchę Constantinopolitanus & Hierosolymitanus, & 70. Archiepiscopi Metropolitani; quibus

Lib. 1. cap.

bus tamen omnibus sapientiores sunt, scilicet, nostri Sectarij Panistæ. Igitur in canone 1. eius Concilij, vbi de variis articulis fides Orthodoxa explicatur, ita dicitur: *Verum Christi corpus & sanguis in Sacramento altaris, sub speciebus panis & vini veraciter continetur: transubstantiatis pane in corpus, & vino in sanguinem, potestate diuina.* Tum etiam postquam in canone 2. reiicitur opinio quædam Abbatis Ioachimi pugnans cum vno quodam articulo fidei ibi explicatæ; sic aduersus omnes hæreses generatim, quæ cum illa fide explicata in can. 1. pugnent, subiungitur: *Excommunicamus & anathematizamus omnem hæresim extollentem se aduersus hanc sanctam, Orthodoxam & Catholicam fidem, quam & superiùs exposuimus.*

Quæ ex illo Concilio recitaui, vt manifestissimum Kemnitij mendacium appareat. Scripsit enim is exam. can. 2. sess. 13. Concil. Trident. vbi transubstantiationis veritas sub anathemate definitur; *Tridentina hæc anathemata* (refero eius verba) *adeò esse recentia, vt ne Innocentij quidem ætate in rerum natura fuerint.* Et tamen Concilium sub Innocentio III. congregatum grauissimis verbis damnat & excommunicat hæresim omnem cum ea fide pugnantem, in qua fuit etiam vnus articulus de transubstantiatione. Kemnitij mẽdacium.

Idem postea definitum est in Constantiensi Concilio: Vbi inter ceteros articulos VVicleffi fuerunt etiam illi duo damnati, nempe, *in Eucharistia manere panem & vinum.* Et; *accidentia non esse ibi sine suo subiecto.* Item in Florentino in decreto vnionis, vbi docetur, *ipsorum verborum virtute substantia panis in corpus Christi, & vini in sanguinem conuerti.* Hæc enim sunt Concilij verba. Quare mentitus est rursus more suo Kemnitius, cùm loco citato dicit: *Ne Florentini quidem Concilij tempore fuisse doctrinam de transubstantiatione communi Ecclesiæ sensu approbatam. Nam inter alios,* inquit, *articulos, in quibus tunc dissidebat Ecclesia Græca à Latina, quarto loco positum est de diuina transubstantiatione. Et cùm literæ vnionis conficiendæ essent, expressæ articulus ille exceptus est, ipso etiam Romano Pontifice concedente.* Mendacium est: nam in articulo 4. nihil hac de re habetur. In articulo autem octauo fassi sunt Græci transmutationem hîc fieri, tantumq; fuit controuersia, num per ipsa *Sess. 8. Artic. 1. & 2.*

Alterum mendacium Kemnitij.

verba consecrationis, an verò per aliam quandam precationem, sicut Græci volebant, fieret eiusmodi transmutatio.

Denique in Concilio Tridentino sessione 13. can. 2. ista etiam veritas definita est, vbi habetur, fieri conuersionem totius substantiæ panis in corpus Christi, & totius substantiæ vini in sanguinem. Id quod planè sensit antiquitas, sicut apparet ex allegatis suprà testimoniis. Ac in alio nos loco contra Kemnitij prætextus manifestissimè conuicimus, aut nullos vnquam hæreticos fuisse, aut illos etiam esse hæreticos, qui hodie nolunt acquiescere sententiæ atque definitioni Concilij Tridentini. Lector argumentationem nostram, qua sumus vsi ad hanc rem, expendat.

In libro Analysis fidei Catholicæ, pag. 416. & seq.

CAPVT SEXTVM.

Respondetur ad argumenta ex Scripturis ducta contra transubstantiationem.

Argumẽtum I.

1. *Cor.* 10.

Responsio.

Ioan. 6.

De cons. d. 2. *can. Omnia. Et apud Magistrũ sent. lib.* 4. *d.* 11.

SED CONTRA probant Panistæ & Sacramentarij manere in Eucharistia substantiam panis & vini, quoniam Apostolus vocat Eucharistiam *panem* etiam post benedictionem. Respõdemus, Christum ipsum, Apostolum, & sanctos Patres clarè nobis interpretari, quis & qualis sit ille panis Eucharistiæ post consecrationem. Nam *panis*, inquit Christus, *quem ego dabo, caro mea est*. Et: *Hoc est corpus meum*. Et præclarè quoque diuus Ambrosius: *Panem istum*, inquit, *quem sumimus in mysterio, illum vtiq; intelligo, qui manu Spiritus sancti formatus est in vtero Virginis, & igne passionis coctus in ara crucis.*

1. *Cor.* 10.

Ibidem.

Quin etiam ipse Apostolus Paulus talem esse hunc panem apertè significat, cùm inquit, nos *omnes de vno pane participare* cùm Christi corpus percipimus. Nisi enim hic panis vnicus sit ipsum Christi corpus, quod vbique percipitur vnum & idem, non participaremus omnes de vnico pane, sed de alio atque alio; sicut in aliis atque aliis locis ad Eucharistiæ confectionem alius atque alius panis vsurpatur. Item declarat hoc Apostolus, cùm dicit: *Panis quem frangimus, nónne cõmunicatio*

catio corporis Christi est? Quasi dicat, distributionem & communicationem huius panis, non alterius rei (secundum substantiam quidem) communicationem esse, quàm ipsiusmet corporis Christi. Huc adde sententias plurimas Patrum suprà citatas, quibus illi affirmãt, eum panem Eucharistiæ reuera esse ipsum corpus Christi. *Cap 3. & lib. 1. cap. 5.*

Vocatur autem Eucharistia panis secundũ vsitatam Scripturæ phrasim triplici potissimùm ratione. Primò, quoniam Eucharistia vt panis reficit. Secundò, quia panis videtur. Tertiò, quia ex pane confecta est. Sic Manna, quamuis panis non fuerit, tamen propter similitudinem vocatur panis. Sic etiam sæpe panis dicitur quicunque alius cibus, propter vim quam habet nutriendi instar panis. Sic etiam Angeli vocantur viri, quoniam viri videlicet propter speciem externam videbãtur. Sic denique serpens, quem fecit Moyses, vocatur virga, quoniam ex virga factus fuerat. Et sunt alia plurima in Scriptura exempla huiusmodi locutionum. Cur Eucharistia panis vocetur. *Psalm. 77. & Sapient. 16.* *Genes. 18.* *Exodi 7.*

Sed valeret, inquit Kemnitius, ista interpretatio, si æquè certò constaret, panem hunc aliud non esse, quàm ipsum corpus Christi: atque constat virgam illam non fuisse nisi serpentem. Nobis verò, vt antè ex ipsis Christi verbis probatum est, omninò certissimè constat, panem hunc corpus Christi esse: atque adeò non nisi impropriè secundum phrases dictas panem appellari. Quæ interpretatio si nondum placeat Sectariis, probandum ipsis est, hoc, quod dicimus, ex Scriptura nõ constare, quod hactenus non fecerunt, neque facere vnquam poterunt. Itaque caussa cadunt, cùm sint ipsi in hac controuersia, sicut & in aliis omnibus Ecclesiæ accusatores, ad quos proinde maximè pertinet munus probandi & conuincendi.

Deinde vrgent quod Christus de ipso pane dixit: *Hoc est corpus meum*, & id deinde dedit. Ergo ibi remanet panis. Sed ad hoc suprà Sacramentariis respondimus, non de pane, vt de pane, id Christum affirmasse; ac proinde nec panem dedisse discipulis cùm illis dedit Eucharistiam, sed corpus suum verum. Argum. II. Responsio. *Lib. 1. cap. 9. ad argum. 1.*

CAPVT

CAPVT SEPTIMVM.

Respondetur ad ea quæ obiiciuntur ex Patribus.

SECVNDO loco conantur etiam isti opinionem & errorem suum confirmare auctoritate Patum, quos volunt non aliam mutationem hîc intellexisse, nisi qualem ipsi comminiscuntur; vt maneat vera substantia panis, tantumq; fiat signum sacrum corporis Christi; vel certè illi corpus Christi adiungatur. Ac

Argumẽtum I. primò Kemnitius locum profert ex Magistro Sententiarum in 4. d. 11. vbi dicit Kemnitius: *Magistrum expresè affirmare, nondum fuisse suo tempore in Ecclesia definitum, qualis sit illa mutatio & conuersio, de qua loquuntur veteres: Vtrum scilicet sit substantialis, vel formalis, vel alterius generis.*

Responsio. Sed primùm, ibi Magister non dicit hoc non fuisse definitum, sed *definire*, inquit, *ipse non sufficio*. Dicit autem hoc postquam multis testimoniis antè in præcedente distinctione cõfirmauerat, panem in corpus Christi omninò conuerti, neq; manere ibi substantiam ipsius panis. Quare quæstio illa, quam se satis determinare non posse dicit, nõ est nisi de genere ipso seu specie mutationis, ad quam reuocari debeat illa conuersio & mutatio substantiæ panis in corpus Christi, etiamsi alioqui constabat talem eam esse, vt non maneat ibi substantia panis. Itaque quærit Magister, vtrum sit mutatio formalis vel substantialis instar aliarum, aut cuius generis omninò. Quod rectè dixit se distinctè & clarè explicare non posse. Nam hæc mutatio prorsus dissimilis est aliis omnibus mutationibus. Nec de illa, quod ad genus suum, seu modum attinet, plus possumus ferè cognoscere aut dicere, quàm quòd sit prorsus singularis.

Hanc verò fuisse omninò mentem Magistri, neque illum quidquam dubitasse, quin ibi non maneat panis substantia, probandum est aduersus impudentiam ac mendacium Kemnitij ex ipsius Magistri verbis. Nam d. 10. præcedenti ita inquit: *Satis responsum est hæreticis, qui negant verum corpus Christi in altari esse, Et panẽ in corpus mystica consecratione conuerti:* Item d. ipsa 11.

cùm

cùm commemorasset errorem quorūdam, qui (sicut iam Panistæ) putarunt manere substantiam panis, & simul ibi esse corpus Christi, & ea ratione dici illam substātiam fieri istam, quia vbi est hæc, est & illa; subiungit Magister censuram suam his verbis: *Sed quod non sit ibi,* inquit, *alia substantia nisi corpus Christi & sanguis, ex prædictis & subditis* (testimoniis veterum Patrum) *apertè ostenditur.* Adduxerat enim veterum testimonia de conuersione panis in corpus Christi, ante in d. 10. contra illos hæreticos. Atque ibi etiam subiungit quædam ex Ambrosio & Gregorio ad idem probandum. Quamobrem dicit, ostendi id etiam apertè ex subditis (nempe testimoniis) quæ subiungit.

Deinde conatur Kemnitius ostendere eam conuersionem intellexisse Patres, quam ipsi Sectarij ponunt: Talem videlicet vt maneat nihilominus substantia panis: quoniam aliqui veteres omninò significant manere in Eucharistia illud idem quod antè erat. Nam Ambrosius sic dicit: *Si tanta vis fuit in sermone Christi, vt inciperent esse, quæ non erant, quantò magis operatorius erit vt sint quæ erant, & in aliud conuertantur?* Alibi quoq; Eucharistiam vocat *creaturā solennem & notam.* Ergo manet in illa panis. Argum. II.

Lib. 4. de Sacram. cap. 5.

Ibidem cap. 3.

Itē Gelasius: *Sacra,* inquit, *quæ sumimus diuina res sunt; propter quod per eadem efficimur diuinæ consortes naturæ; & tamen non esse desinit substantia vel natura panis & vini.* Item Theodoretus: *Signa,* inquit, *quæ vidētur, appellatione sui corporis honorauit, non naturam quidem mutans, sed naturæ gratiam adiiciens.* Et rursus: *Signa,* inquit, *mystica post significationem nō recedunt à sua natura. Manent enim in priori substantia & figura & forma, vt videri & tangi possint sicut & prius.* Item Ioānes Constantinopolitanus: *Panis,* inquit, *dignus habitus est Dominici corporis appellatione, etiamsi natura panis in illo permansit.* Deniq; Rupertus Abbas negat hîc *mutari substantiam panis.* Quibus testimoniis etiam Caluinistæ abuti solent.

In fragmēto de duabus Christi naturis contra Nestor. & Eutych.

Dialogo 1.

Dialogo 2.

In epist. ad Casarium Monachum.

In cap. 6. Ioan.

Respondeo, quod ad priorem locum Ambrosij attinet, reperiri quidem nunc illa verba lib. 4. de Sacram. cap. 5. Sed tamen grauissimus auctor Landfrancus olim testatus est, in quibusdam Ambrosij codicibus locum illum Ambrosij non nisi hoc modo legi: *Si tanta vis est in sermone Domini* IESV, *vt inci-*

Lib. de Sacramento circa medium.

perent esse quæ non erant; quantò magis operatorius est, vt quæ erant in aliud commutentur; Sicut etiam in libro de iis qui mysteriis initiantur, Ambrosius loquitur. Sed vt maximè demus illa alia verba, quæ nunc legimus, esse Ambrosij, sensus est; sermonem Christi multò magis operatorium esse, vt quæ erant, id est, panis & vinum, partim sint & maneant, nempe secundum accidentia & proprietates panis & vini; partim in aliud conuertantur, atque adeò desinant esse, videlicet secundum rationem propriam substantiæ panis & vini, sicut apertissimè in aliis locis hoc ipsum Ambrosius affirmauit, id quod suprà ex ipsius verbis ostendimus. Alij respondent, sensum esse, sermone Christi fieri, vt substantia, quæ antè erat, secundum genericam quidem & indiuiduam vagam substantiæ rationem maneat; in aliud autem conuertatur & desinat esse secundum propriam & determinatam rationem panis: Ita scilicet, vt substantia eadem (non identitate aliqua reali, sed identitate rationis, secundum substantiæ genus & indiuiduationem vagam per ordinem ad illa accidentia) quæ antè fuit panis, sit postea corpus Christi. Quod in re nihil aliud est, quàm esse postea sub accidentibus illis substantiam, quæ est corpus & sanguis Christi; cùm antè sub illis esset substantia quæ fuit panis & vinum. Vtraque responsio bona est, & prior videtur etiam satis expedita, quam & Landfrancus indicauit, cùm dixit, *impossibile esse, vt quod in aliud conuertitur, non desinat esse secundum eam partem qua conuertitur.* Et clarius cùm postea addidit, iuxta illam sententiam Ambrosij, *esse quidem secundum visibilem speciem quæ erant: commutari verò secundum inuisibilem essentiam in naturam verum quæ antè non erant.* Illa verò alia verba diui Ambrosij; nihil istis suffragantur: *Creaturam* enim *solennem & notam* vocat Eucharistiam propter manifesta accidentia panis & vini quæ remanent. Ac certè intolerabilis impudentia Sectariorum est, quòd audeant in hac quæstione pro se citare Ambrosium, cùm nihil sit euidentius, quàm transubstantiationem à diuo Ambrosio multis tum argumentis, tum exemplis asseri, vt perspicuum est ex verbis eius, quæ suprà recitaui.

Cap. 9.

Cap. 5.

Lib. de Sacramento.

Cap 5.

De Ge-

De Gelasio verò inprimis sciendum est, non fuisse hunc eum Gelasium qui fuit ante annos mille Romanus Pontifex doctissimus, sicut rectè ostendit [a] Melchior Canus, & [b] Claudius de Sainctes: Sed fuit alius quidam Gelasius Cæsarienſis. Id probatur, quoniam laudat iste Gelasius valdè Eusebium Cæsarienſem, cuius tamen libros penè omnes Gelasius Romanus Pontifex damnauit. Item in Catalogo librorum Gelasij Romani, à nemine commemoratur fragmentum illud contra Eutychium & Nestorium. Itaq; falsò Kemnitius & alij Sectarij gloriantur à Romano etiam Pontifice fuisse negatam transubstantiationem. Deinde ad testimonium ipsum illius Gelasij, atq; etiam ad testimonium Theodoreti, rectè dici potest primò, naturam & substantiam panis ac vini ab eis appellatas esse proprietates panis & vini, idque maximè ob facultatem quæ in illis est eadem efficiendi, quæ vinum & panis efficere poterant. Huiusmodi enim proprietates rerum quasi quædam naturæ & substantiæ illarum sunt externæ.

a *Lib. 6. de locis Theolog. ca. vltimo.*
b *Repetit. 8. cap. 4.*

Resp onsio ad locum Gelasij & Theodoreti.

Quod autem auctores illi rectè ita possint exponi, patet primò, quoniam vterq; in illis locis satis apertè fatetur panis & vini transmutationem. Gelasius enim ibidem dicit, *panem & vinum in diuina transire, Spiritu sancto perficiente substantiam*, scilicet corporis & sanguinis Domini. Theodoretus quoq; in Dialogo 1. scribit, Christum voluisse, vt hic *non attenderetur ad naturam eorum quæ videntur, sed vt crederemus mutationi* (refero eius verba) *quæ hîc fit ex gratia.* Item Dialogo 2. Postquam dixit, vt antè citauimus, manere panem & vinum in priori substantia & figura: Hæc verba subiunxit; *Intelliguntur autem* (symbola Eucharistiæ) *ea esse, quæ facta sunt, & creduntur & adorantur, vt quæ illa sunt quæ creduntur.* Si Eucharistia, ex Theodoreti sententia, est adoranda; certè non est panis secundum substantiam propriè dictam ex sententia Theodoreti, sed Christus ipse.

Secundò idem probatur, quoniam ad institutum suarum disputationum satis his auctoribus fuit in eo sensu dicere, quòd maneat natura panis & vini, nempe secundum panis & vini proprietates. Voluerunt enim exemplo Eucharistiæ

stiæ confirmare, quemadmodum in Christi persona sint inconfusæ & distinctæ duæ naturæ. Hoc autem, vt paulò pòst etiam dicemus, satis exemplo Eucharistiæ declaratur hoc ipso, quòd proprietates certè panis & vini manent ibi reipsa distinctæ à corpore & sanguine Christi, neque cum eo confusæ. In exemplis enim non requiritur similitudo ex omni parte.

Tertiò idem probatur, quia non est inusitatum aliâs proprietatem seu affectionem rei alicuius, naturam rei seu substantiam appellare. Sic enim & Philosophi de naturis rerum suos libros quandoque inscribunt, in quibus tamen propriè agunt de rerum operationibus & proprietatibus. Sic & Apostolus affectionem ipsam carnis *carnem* appellauit: *Caro*, inquit, *& sanguis regnum Dei non possidebunt.*

Quod si auctores illos nolint Panistæ nobiscum ita interpretari, vt certè possent, dabimus aliud breue & simplex & sine vllo incommodo responsum. Enimuerò antequam quæstio ista de transubstantiatione in Ecclesia palàm agitaretur, minimè mirum est, si vnus aut alter, aut etiam aliqui ex veteribus minus considerate & rectè hac de re senserint & scripserint: maximè cùm non tractarent ex instituto ipsam quæstionem. Accedit quod Theodoretus ille de aliis quibusdam erroribus in Concilio Ephesino notatus fuit, tametsi postea resipuerit. Neque etiam Gelasius ille fuit auctor satis clarus. Non igitur debent nobis paucorum eiusmodi testimonia, vtcunque ea exponantur, præiudicare, cùm habeamus pro veritate transubstantiationis nubem grauissimorum aliorum testium, quorum sententias suprà recitauimus. Rectè enim Vincentius Lyrinensis præcipit, vt *si in ipsa vetustate discrepantes sententias reperiamus, sequamur sententiam communiorem plurium & illustriorum Doctorum.*

Lib. cõtra prophanas hæres. monit.

Similiter ad testimonium illius Ioannis Constantinopolitani respondeo, illud vel exponendum eodem modo, vel reiiciendum esse. Falsissimum enim est, quòd ille Ioannes fuerit D. Ioannes Chrysostomus, sicut quidam hæretici volũt. Nam Chrysostomus euidentissimè alioqui asseruit transmutationem

nem ipsius panis, hom. 83. in Matth. sicut suprà recitaui, & etiam in hom. de Encæniis. Qua de re legatur Franciscus Turrianus, qui apertè conuincit, alium fuisse Ioannem illum, non autem Chrysostomum. *Lib. 1. de Euch. cap. 18.*

Quod verò ad Rupertum Abbatem attinet, nihil hîc auctor peculiare de transmutatione ista docere voluit: sed errorem quendam suum, qui pugnat etiam cum Philosophia, huc similiter, sicut etiam ad alias rerum mutationes accommodauit. Est enim arbitratus, eandem esse substantiam panis, vini, corporis, sanguinis, & aliarum eiusmodi rerum, tantumq; eas differre accidentibus: ac proinde censuit, cùm panis & vinum in corpus & sanguinem reuera transmutatur, non mutari ibi rei substantiam. Quare testimonium illud Ruperti ex parte quidem potius est pro nobis: siquidem sensit ita reipsa mutari hîc panem in corpus Christi, sicut mutari solet vna res in alteram, quando iuxta veram Philosophiam mutatur substantialiter.

TERTIO obiicit Kemnitius ex Patribus eas sententias in quibus illi interdum asserunt Eucharistiam constare duabus rebus. Vt cùm ait Irenæus: *Eucharistia duabus rebus constat: Terrena & cœlesti.* Et Augustinus: *Hoc est*, inquit, *quod modis omnibus probare contendimus, sacrificium Ecclesiæ duobus constare, visibili elementorum specie, & inuisibili Christi carne & sanguine.* Quod autem ibi per *speciem* elementorum intelligat Augustinus, ipsam etiam naturam & veritatem elementorum, probare nititur Kemnitius, quoniam subiungit statim Augustinus: *Sicut Christi*, inquit, *persona constituitur ex Deo & homine, cùm ipse sit verus Deus & verus homo, quia omnis res illarum naturam rerum & veritatem in se continet, ex quibus conficitur: Conficitur autem sacrificium Ecclesiæ duobus, Sacramento, & re Sacramenti, id est, corpore Christi.* Item Hesychius: *Carnes*, inquit, *cum panibus comedi præcepit, vt intelligeremus illud ab eo mysterium dici quod simul panis & caro est.* Huc adde alias eiusmodi sententias, in quibus Patres simpliciter dicunt in Eucharistia videri panem. Vt Augustinus: *Quod videtur*, inquit, *in Altari, panis est, quod etiam oculi renunciant. Quod autem fides postulat, panis est corpus Christi, & calix sanguis.* Argumentum III. *Lib. 4. c. 32. De consec. d. 2. can. Hoc est.* *Lib. 20. in Leuit. c. 8.* *Apud Bedam. 1. Cor. 10.*

testimonio Emisseni euidenter collegimus. Non autem ponitur ab illis similitudo in hoc, quòd ibi maneat eadem substantia hominis. Nam quatenus manet idem homo, non sanè mutatur, sed quatenus in eo aliquid desinit esse & aduenit ei quiddam aliud. Quare similitudo illa potius fauet Catholicæ sententiæ de transubstantiatione.

CAPVT OCTAVVM.

Respondetur ad argumenta petita ex ratione.

Argumentum 1.

TERTIO loco respondendum est ad quasdam ratiunculas, quibus Panistæ & Sacramentarij vtuntur. Prima est, quòd sensus iudicat esse panem. Item, quòd omnes ibi proprietates & operationes panis percipiuntur. Ergo sentiendum est, esse ibi panem. Sic enim & Christus ipse probauit suis discipulis veritatem sui corporis ex proprietatibus illius: *Palpate*, inquit, *& videte, &c.* Sic & Patres contra hæreticos Christum habuisse verum corpus probauerunt, quoniam in eo proprietates corporis sentirentur.

Luc. 24.

Responsio.

Respondeo, Ex sensu rectè aliquid tunc probari cùm reuelatio fidei, cui potius credendum est, non corrigit sensum; aliud nimirum docendo intellectum. Hic autem prorsus aliud docet: sicut ex verbis Christi, & ex tota antiquitate probauimus. Ita, non sensui, sed Christi verbis potius credendum est, quemadmodum veteres Patres suprà citati nos admonuerunt. Neque est illud simile, quod de probandi modo & Christi & Patrum in quæstione de veritate corporis Christi obiicitur. Nam ibi fides non reuelauit aliud. Esset autem simile, si quis ex proprietatibus naturalibus, quæ in Christo sentiebantur, voluisset probare, Christi naturam humanã habuisse proprium suppositum sicut habent alij homines. Tunc enim similiter atq; iam respondimus, dici deberet, fidē aliud docere, & propterea illi potiùs quã sensibus innitēdũ esse. Neq; ideò tamen hîc sensus fallitur circa propriũ obiectũ: quamuis & hoc potest aliquando quidem per accidens contingere.

Cap. 2. *&* 3.

contingere. Proprium enim obiectum sensus non est ipsa substantia, sed externa accidentia, quæ manent hîc quidem sicut à sensu percipiuntur. Refutauit autem isto ferè modo D. Thomas hoc idem argumentum hæreticorum. *3. p. q. 85. ar. 5. ad 3.*

Argumentum II.

SECVNDO argumentantur, Rationem accidentium esse, vt insint subiecto. Quare non posse illa manere sine suo subiecto.

Responsio.

Responderi solet, & rectè: non esse rationem accidentium, vt actu insint, sed vt inesse possint; vel quod idem est, vt insint aptitudine, quod etiam illis accidentibus in Eucharistia conuenit. Quod autem actu possint separari à subiecto, Philosophi etiam aliqui tradiderunt, nempè Platonici & Pythagorici, vt videre est apud Auerroem. Id etiam affirmauit Auicebrō. Quin etiam nonnulli Patres senserunt, Deum produxisse & conseruasse lumen sine subiecto, antequam sol esset creatus. Ita Basilius, Damascenus, Procopius & etiam Iustinus in explicatione fidei. Cur autem diuinitùs factum sit, vt hîc accidentia remanerent, explicat rectè D. Thomas.

Auerr. in epitome Metaphys. tract. 2. Auicebr. in lib. fontis vitæ, tract. 2. Basil. hom. 6. in Examer. Dam. lib. 2. c. 7. Procop. in ca. 1. Geneseos. D. Thom. 3. p. q. 85. art. 5.

Argumentum III.

TERTIO obiiciunt, tolli à nobis huius Sacramenti significationem, cùm in eo negamus remanere substantiam panis. Significat enim, vt inquit Augustinus, ita ex multis fidelibus constitui vnum corpus Ecclesiæ mysticum, sicut vnus panis conficitur ex multis granis. Quod si panis ipse hîc non manet, non manebit ista significatio.

Tract. 26. in Ioan.

Responsio.

Respondeo, Primùm significatio huius Sacramenti præcipua & essentialis non est illa: sed ea potius, qua per nutrimentum externum significatur interna animi refectio spiritualis, quæ fit à corpore Christi. Hæc verò significatio omninò etiam in re nunc præsente manet, cùm maneat quoque in speciebus virtus nutriendi. Deinde illa vnitas corporis Ecclesiæ mystici, non significatur per hoc Sacramentū nisi quatenus panis quidem ex multis granis antè fuit factus: Hoc autem nobis figura & proprietates panis, quæ remanent, repræsentant. Nam neque ipsi Paniſtæ aut Caluiniſtæ, panem illum, ex quo constat ipsorum Eucharistia, tum primùm in præsentia ex multis granis pinsunt & faciunt, cùm communi-

nicare volunt, aut continuò panem illum faciunt, ex quo constat secundum ipsos Eucharistia. Quamuis igitur substantia panis non maneat; tamen verum nihilominus est, panem illum, ex quo confecta est Eucharistia, fuisse factum ex multis granis. Et de hoc ipso accidentia, quæ substantiam illam præteriti panis repræsentant, nos admonent. Ita fit, vt constet nobis etiam illa vnitatis significatio sine remanente substantia panis. Atque hoc est, quod sibi D. Thomas voluit, cùm respondens ad hoc ipsum argumentum hæreticorum dixit, sufficere species ipsas ad illam vnitatis significationem, quoniam *per accidentia*, inquit, *cognoscitur substantia*.

3. p. q. 85. art. 5. ad 3.

Maneat igitur firma assertio Catholica, scilicet substantiam panis & vini in Eucharistia minimè remanere.

PRAEFATIO IN LIBRVM TERTIVM.

QVinque fermè sunt anni, quòd disputatione quadam non admodum longa, refutaui illa fundamenta, quæ perperam Caluiniani & Vbiquetarij in vnione Verbi diuini cum humana Christi natura constituunt, vt stabiliant errores suos de præsentia Christi, quibus & à veritate plurimùm, & extremè etiam inter se ipsi dissident. Atque ad ea quidem quæ contra fundamenta vbiquitatis disserui, Schmidelinus, Vbiquetarij commenti propugnator, respondere principiò conatus est: Sed cùm ad extremum intelligeret, aliud se contendendo non efficere, quàm vt & ipsius inscitia, & error vbiquitatis, clariùs ab omnibus conspiceretur, consilio non malo malam caussam deserẽdam putauit. Ex Caluinianis admirabar neminem prodire, qui rationem sui dogmatis defenderet; maximè cũ istos ego elatiores & audaciores esse, quàm doctiores iudicare soleam, adeò vt cum his comparati Lutherani,

quorum tamen insignis ignorantia sine magna etiam eruditione deprehendi potest, nonnihil sapere, & minus aliquantò vanitatis suis inscriptis ostendere, mihi videantur. Tandem post quadriennalem ferè meditationem Fortunatus quidã, Caluinianæ Sectæ in schola Neustadiana infelix minister, partem illam disputationis meæ, quæ aduersus Sacramentarium errorem eius q3 fundamentum pugnat, suscepit confutandam. Etsi autem is totus ineptus est, tamen ne mihi exemplum D. Augustini obiicere posset, qui quendam alium Fortunatum hæreticum, atquè indoctũ ac istum, nõ ita contempsit, vt cum eo disceptare de religione nollet; & quia quæcunq3 defensio veritatis, præcipuè in tanta quæstione, vtilis est; respondebo quàm potero breuissimè ad istius de Eucharistia disceptationem. Erunt autem quinque responsionis capita; totidẽ enim video esse membra infortunatæ illius disceptationis. In 1. cap. agemus de statu quæstionis, seu de dissidio Ubiquetariorum & Caluinianorum inter se & à nobis, & de fundamentis quæ vtriq3 in persona Christi ponunt. In 2. defendemus argumenta quibus

Libro cui titulus est, contra Fortunatum quendam Manichæorũ Presbyterum, Tom. 6. operum Augustin.

quibus in alia disputatione probauimus, posse verum aliquod corpus vno tempore esse simul diuersis in locis. In 3. docebimus, non ideò corpus Christi in vno tantùm loco iam esse præsens, quia præsentia in vno loco sit corporis proprietas. In 4. propugnabimus quoq; argumenta, quibus realis præsentia Christi in sanctissimo Sacramento absolutè demonstratur. In 5. respondebimus ad argumẽta Caluinistica, quæ aduersus eam præsentiam Fortunatus ad extremum obiicit ex suorũ Magistrorum libris collecta. Ac vt certiùs Fortunati disputationẽ confutem, apponam illius sentẽtias verbis eius asscriptas, ne cauillari possit, id me in eius disceptatione facere, quod fecit ipse in disputatione mea, dum admodùm pauca ex meis fideliter retulit; atq; etiam, vt Lector de illo potiùs, quàm de me, conqueratur, si quid vel incommodius, vel obscurius in istius disceptatione est positum. Est enim Fortunatus iste sic aliquando intricatus, vt nec se ipse satis intellexisse videatur.

LIBER TERTIVS CONTRA FORTVNATVM.

CAPVT PRIMVM.

De dissidio Sacramentariorum & Vbiquetariorum inter se & ab Ecclesia in quæstione de præsentia Christi.

SENTENTIAM Ecclesię Catholicę & errores Sacramentariorum & Vbiquistarum de præsentia Christi, his verbis in disputatione illa mea breuiter initiò proposui: Quæstio est, inquam, non tantùm inter Catholicos & Sectarios, sed multò etiam maximè inter Sectarios ipsos controuersa, vbi præsens existat IESVS Christus Dominus noster vt homo? Qui Sacramentarij hæretici vulgò vocantur, in cœlis tantum ipsum adesse contendunt: Contrà Vbiquetarij horum hostes adesse vbique. Ecclesiæ Christi verissima inuictaq; confessio inter hos extremos errores media est. Sentit enim neque in cœlis tantùm, neq; verò vbique, sed in cœlis & in diuinissimo Sacramento Dominum nostrum IESVM Christum adesse humanitate sua præsentem. Hìc displicuit Fortunato, quòd sententiam Catholicam dixerim esse mediam inter hæresim Sacramentariam & Vbiquetariam.

Pag. 1.

FORTVNATVS *pag. 4. b Cap. 9. fol. 172.*

Hìc, inquit, *multis modis Gregorius noster sternutauit. Primò enim negant Vbiquetarij in bella sua Apologia: se Christi Corpus vbiq; ponere, aut generalē vbiquitatem tradere: quod si verum esset, locum non haberet media Gregorij confessio: labascente extremo. Sed quia Vbiquetarij, pro eo, quo præditi sunt, candore, quiduis aiunt, aut negant: idcircò hoc transeat. Generalem enim eos vbiquitatem tradere, in præfatione demonstrauimus.*

GREGORIVS. Venio in spem, Fortunate, fore, vt caussam contra te in hac omni disceptatione obtineam, quando quidem primum mihi à te obiectum crimen tu ipse diluis. Erasné igitur otiosus,

sus, vt mihi frustrà inconstantiam vbiquetariæ doctrinæ, & omnibus notam, & à me multis in locis patefactam opponeres? Quid? An aliquem putabas credidisse nuper patronis vbiquitatis, cum incredibiliter vel miserabiliter potiùs in Apologia dicerent, vbiquitatem ab Vbiquetariis nunquam fuisse defensam. Sed trãseat hoc, vt inquis. Audiamus si quid porrò habes, quod possis obiicere probabilius.

Vide defensionem disputationis contra fundamenta duarum Sectarum, aduersus Schmidel.

Sed nec extremo, inquis, *isto stante, sola Pontificiorum confessio media est. Sunt enim ex Lutheranis plurimi: qui nec in cœlo tantùm, nec vbiq; etiam: sed in cœlo & Eucharistia seu pane Eucharistico, Christum vero suo corpore ponunt.*

FORTVNATVS pag. 4. b

Nihilo magis hoc est cõtra me. Nec enim ego scripsi, nullos Lutheranos profiteri hac de re confessionem vllo modo mediam inter vestrum errorem Caluinisticum, & alterum illum Vbiquisticum. Sed affirmaui certè, confessionem Orthodoxam Ecclesiæ Catholicę esse mediam inter vtrumq; errorem, tanquam inter duo extrema. Exspecto igitur ex te aliquid quod sit ad propositum.

GREGORIVS.

Denique, inquit, *nec Pontificiorum, nec Lutheranorum istorum confessio media est: cùm contradictio, teste Magistro, quem Gregorius nouit, medium non admittat. Si loca inter se, vt Gregorius noster ad præstinguendum simplicioribus oculos, fecit, comparentur: vt vnus scilicet locus & omnia simpliciter loca opponantur: fateor, vnum & omnia duo extrema esse, inter quæ medium est, quædam loca: sed si de vnico & indiuiduo vereq; humano corpore sermo sit: decq; eo enuncietur quod in loco siue vno tantùm, siue pluribus, siue omnibus sit: ibi nego extrema dari, quæ medium recipiant. Caussa est: quia duæ singulares enunciationes, quarum altera ait, altera negat, contradicentibus ἰσοδυναμοῦσαι sunt, & vim contradicendi habent. Enunciato igitur isti, Corpus Christi simul & semel in vno tantùm loco est, tum illud cõtradicit, Corpus Christi simul & semel vbique est: tum istud, Corpus Christi simul et semel in multis seu pluribus*

FORTVNATVS pag. 4. b

Aristotel. 1. post. textu 5.

ribus locis est: quia vniuersè hoc, sub quo duo illa enunciata continẽtur, illi contradicit, Corpus Christi simul & semel non est in vno tantùm loco. Non satis igitur circumspectus Gregorius fuit: quòd extremum pro medio arripuit.

GREGORIVS. Ego verò, Fortunate, ostendam, minimè te satis circumspexisse, qua ratione sententia quæpiam rectè dici possit inter alias media. Dupliciter igitur aliqua sententia spectari potest. Vno modo, ex parte ipsius assensus; hoc est, vt in assensu siue conceptu mentis affirmante vel negante consistit. Altero modo, ex parte sui obiecti; hoc est, vt affirmat vel negat aliquid de hac aut illa re. Priori modo, nempe ex parte ipsius conceptus, nulla sententia, à sententiis aliis per affirmationem vel negationem discrepans, potest esse inter illas media. Cuius ratio est, quia necesse est, vt quod est inter duo aliqua medium, minus distet à quolibet, quàm ipsa duo distant inter se. Nullus autem conceptus mentis qui ab aliis per affirmationem aut negationem discrepet, distat minus ab vno, quàm ab alio: etenim à quolibet distat summè & extremè, vtpotè per distantiam contradictionis, quæ est omnium distantiarum maxima & summa. Posteriori autem modo, scilicet ex parte obiecti, potest omninò aliqua sententia, ab aliis duabus per affirmationem aut negationem discrepans, esse ac dici media inter illas. Ratio est, quoniam potest obiectum sententię vnius, minus distare ab obiectis aliarum, quàm ipsa obiecta aliarum inter se; quod ipsum est esse mediam aliquam sententiam ex parte quidem obiecti.

Quomodo vna sententia possit aut non possit dici media inter alias.

Iam verò cùm in disputatione mea ipse asserui, Catholicam sententiam de præsentia Christi esse mediam inter vestrum errorem Sacramentarium, & errorem Vbiquetariorum; posteriori modo locutus sum de sentẽtia Catholica, scilicet ex parte obiecti. Quæ autem tu contrà affers ex tuo magistro Aristotele non intellecto, solùm efficiunt, nullam sententiam, quæ ab aliis sententiis per affirmationem aut negationem (id est, cõtradictoriè) discrepet, esse mediam inter illas, ex parte quidem ipsorum conceptuum mentis.

Rectè

Rectè verò me feciſſe quòd ſententiam Catholicam inter Sacramentarium & Vbiquetarium errorem mediam poſuerim ex parte obiecti, duplici modo demonſtro. Primo, quia reuera ſic media eſt. Nam (quod tu ipſe, neſciens quã vim haberet, cõfeſſus es) quædam loca, nempe cœlũ & locus Euchariſtiæ, de quibus tanquam de obiecto affirmat Eccleſia, quòd in ipſis ſit tantùm corpus Chriſti, medium quiddã ſunt inter omnia loca, in quibus Vbiquiſtæ idẽ corpus Chriſti collocãt, & inter vnicum locum, nempe cœlum, in quo ſolo vos Sacramẽtarij illud includitis: Plus enim inter ſe differũt, vnicus locus, & omnia loca; quàm vel vnicus locus, vel omnia loca differunt, à quibuſdam locis. Ita fit, vt etiã ipſa ſententia Catholica, quæ eſt de Chriſti prẽſentia in quibuſdam locis, media ſit ex parte obiecti inter veſtram hæreſim, quæ eſt de præſentia eiuſdẽ in vnico loco, & hęreſim Vbiquetariam, quę eſt de omnibus locis. Ex parte autẽ conceptus mentis, quatenus ſentẽtia Catholica affirmat in cœlo & in Euchariſtia tantummodò Chriſtũ adeſſe, quod negat error Sacramentarius includens eum duntaxat in cœlo & error Vbiquetarius ponẽs eum vbique locorum; omnes iſtæ ſententiæ contradictoriè atq; adeò extremè inter ſe ſine medio diſtãt. Secundo rectè locutũ fuiſſe me confirmo exemplo veterum Patrum eruditiſsimorum, [a] Ambroſij, [b] Baſilij, [c] Gregorij Naz. qui ſimili modo, nempe ex parte obiecti affirmarunt, ſententiã Eccleſiæ Catholicæ de Vnitate naturæ & Trinitate perſonarũ in diuinitate, mediam eſſe inter ſententiam Iudæorum, qui per defectum in vno extremo vnicam naturam & vnicam perſonam in diuinitate admiſerunt, & ſententiam Gentilium, qui in alio extremo per exceſſum plurimos Deos, qui & perſonis & naturis differrẽt, commenti ſunt. Quid igitur Fortunate? tam impudẽſné eris vt audeas dicere, iſtos Patres ſimpliciorum oculos (vt de me inquis) præſtinguere voluiſſe, cum iſto modo ex parte obiecti ſententiam Eccleſię mediam eſſe docuerunt? Velis igitur nolis, quamdiu recedens ab Eccleſiæ ſententia, quæ in media & regia via veritatis eſt, Caluiniſta fueris, tamdiu extremiſta quoque Sacramentarius manebis.

a *Lib. 1. de fide cap. 1. & 2.*
b *Oratione contra Sabel. & Arr.*
c *Orat. de Natali Domini.*

Porrò, quemadmodum iſte neſciuit hactenus, in quonám extremo Sacramentaria aſſertio verſaretur, ſic etiam quodnám illius fundamentum Architecti impietatis Sacramentariæ poſuerint, ignorauiſſe videtur. Nam cùm dixiſſem, illud potiſsimè ab eis eſſe cõſtitutum in ratione hypoſtaticæ vnionis duarum in Chriſto naturarum, qua verum corpus humanum, ſuisq; prędituм naturalibus proprietatibus à Verbo diuino aſſumptum eſt, hunc in modum obiicit:

Pag. 1.

FORTVNATVS *fol.* 5. *a*

Nec potiſsimum, inquit, *nec aliquod in ipſa hypoſtatica vnione cauſſæ noſtræ præſidiũ collocamus: ſed apertiſsimis, iisq; plurimis Scripturarum teſtimoniis, ipſis etiam inprimis Inſtitutionis verbis eam defendimus: rationibus ſimul à natura omnium Sacramentorum, & veri corporis, ac corporis quidem humani, ductis; Non ab hypoſtatica igitur vnione, ſed à veri corporis natura rationem ducimus.*

GREGORIVS.

Si à natura etiam veri corporis humani pro veſtra ſentẽtia rationem ducitis, vt inquis: Ergo in hypoſtatica vnione præſidium ſentẽtiæ veſtræ collocatis, vt ego in diſputatione mea dixerã. Hęc enim verba mea fuerunt: Sacramentarij, inquam, hoc modo argumentantur. Natura humana ſic diuino Verbo hypoſtaticè vnita eſt, vt nihilominus ex vero corpore cõſtet, veriq́ue adeò corporis proprietates & naturalia attributa retineat: Igitur, vt cetera omnia corpora, ſic etiam corpus Chriſti vno aliquo in loco contentum eſt, neque extra illum vſquam eſt vllo modo præſens.

Pag. 1.

Agnoſcisne veſtrum argumentum? Sed fortè tam imperitus es, vt à me quoq; doceri debeas, quomodo fuerit argumẽtatus tuus Caluinus. Audi igitur ſingulare illud (vt appellas) non Dei, ſed Dæmonis organum: *Placuit*, inquit, *Chriſtum fratribus per omnia ſimilẽ fieri excepto peccato. Qualis eſt noſtra caro? Nónne quæ certa ſua dimenſione conſtat, quæ loco cõtinetur, quæ tangitur, quæ videtur? Et cur, inquiunt, non faciat Deus, vt caro eadem plura diuerſaq; loca occupet? Inſane, quid à Dei potentia poſtulas, vt faciat ſimul eſſe & non eſſe carnem?* Et paucis interpoſitis: *Ea verò*, inquit, *eſt carnis conditio, vt vno certo loco, vt ſua dimenſione conſtet.* EA CONDITIONE *carnem*

Lib. 4. *Inſtit. cap.* 17. *ſect.* 24.

INDVIT

INDVIT *Christus. Cui, teste Augustino, incorruptionẽ quidem & gloriam dedit, naturam & veritatem non abstulit.* Vidésne, Fortunate, argumentantem Caluinum ex modo & cõditione vnionis hypostaticæ? Aut igitur mentitus es, cùm negas vestros hoc vti argumento, aut certè (quod vtinã tibi perpetuò contingat) fundamentorũ doctrinę Caluinianę homo Caluinista es oblitus. Repetit autem id argumẽtum Caluinus in illo eodem capite non rarius, quàm decies & septies, vt bona fide aliquoties numerauí: neq; Caluinus solus, sed alij quoq; Sacramẽtarij illud inculcant argumentum. Quod cùm ita sit, tu ipse, Fortunate, iudica, an nõ mihi videri potueritis, & aliquod, & potissimũ rationis præsidium in eo fundamento collocare velle? Nam quod Scripturis quoq; vos vti dicis; id quàm perperam faciatis, suo loco docui, & infrà etiam docebo.

Tigurini in Apologia contra Schmidel.
Beza contra eundem, &c.

Simul verò, inquit, *etiam falsum est, quòd scribit nos statuere, Corpus Christi ita vno loco contineri, vt extra illum nusquam vllo modo præsens sit: Etsi enim in cœlo iam Christi corpus est, non in terra, nihilo seciùs tamẽ in cœna verè præsens est: quia manducantibus verè offertur, & à fide manducãtibus verè, immò verius percipitur, quàm panis, tanta rei Sacramentum, ore corporis apprehendatur.*

FORTVNATVS fol. 5. a

Quasi verò non intelligeres tu, Fortunate, de qualinám Christi præsentia ego loquar, cùm dico negare vos Christum præsentem esse extra cœlum alicubi vllo modo. Nempe loquor de præsentia corporali & reali in propria vel sub aliena specie. Hanc Christi præsentiam in Sacramento à vobis negari, testis erit hæc tota nostra disceptatio: de hac enim omnis inter nos est quæstio: nisi quod ad tegendam impietatem erroris vestri, frustrà soletis iactare præsentiam illam vestram secundum manducationem fidei, de qua suprà dixi, & infrà etiam agemus.

GREGORIVS.

Lib. 1. cap. 7.

Dixeram etiam, argumentum illud, quod ex veritate carnis à Verbo diuino assumptæ, contra Christi realem præsentiam in Eucharistia, Sacramentarij ducunt, duplici ratione ab eis confirmari. Vna ratio est, inquam, quia ne per potentiam

Pag. 52.

tiam quidem Dei absolutam fieri posse putant, vt vnum aliquod corpus amplius, quàm in vno loco sit præsens. Altera est, quia si maximè id fieri posset, tamen vnum ex naturalibus corporis attributis est præsentia in vno tantùm loco. His duobus principiis sumptis; atque huc adhibita Orthodoxa de hypostatica vnione doctrina, cõcludunt, Christum, quia & vnicum prorsus verum ac naturale corpus humanum habet, & vniuersa corporis humani attributa, humanasque omnes affectiones, excepto peccato, vnà cum natura humana susceperit; vnico tantùm in loco esse præsentem, nimirum in cœlo, vbi sine controuersia consedit ad dexteram maiestatis. Quid verò Fortunatus? Nempe neque hanc duplicem confirmationem argumenti intellexit, qua tamen diserte vtitur Caluinus verbis paulò antè recitatis. Quare sic in me inuehitur:

Lib. 4. Instit. c. 17. sect. 24.

FORTVNATVS *fol. 5. b*

Quid, inquit, *Gregori? Nónne argumentum illud, quod ex vnione hypostatica nos exstruere dicis, cum altera ratione concurrit? rationem hanc ais esse; præsentiam in vno tantùm loco vnum ex naturalibus corporis attributis esse: argumẽtum verò, cuius firmitatẽ ratione ista nobis persuadeamus, natura humana sic diuino Verbo hypostaticè vnita est, vt nihilominus ex vero corpore constet, veriq; adeò corporis proprietates & naturalia attributa retineat. Gregorius es, an Helucus?*

GREGORIVS. Næ tu, Fortunate, obtuso admodũ intellectu es. Nec dum didicisti, rationem, qua confirmatur consequentia argumenti, in ipsum omninò argumẽtum, id est, in eius consequentiã, tanquam probationem nimirum eius debere concurrere? Quid in hac argumenti confirmatione obscurum est? Accipe clarissimè. Argumentum Caluini tui est huiusmodi. Christus veram carnem humanam & naturalibus suis proprietatibus affectam induit; Ergo Christi caro vnico tantùm loco continetur. Hanc consequentiam cõfirmat dupliciter. Primò, quia vera caro vna & eadem non magis esse potest in pluribus locis simul, quàm simul esse caro & non caro, hoc est, non potest omninò. Secundò, quia vna ex proprietatibus naturali-

Lib. 4. Instit. c. 17. sect. 24.

bus

bus carnis, quas Christus cum carne sumpsit, est existentia in vnico tantùm loco. Quem hîc concursum vel alterius, vel vtriusque rationis cum argumento feciſſe me somnias, quem non ipse Caluinus fecerit? Nempe, quia vos ipsi, quæ dicitis non intelligitis; ne tunc quidem ea cognoscitis cùm à nobis, vt commodius refutari possint, paulò clarius explicãtur. Rele-ge rursus ac expende verba quæ ex Caluino recitaui, & pu-debit te tuæ hallucinationis.

Deinceps ostendi in mea disputatione, in vtraque confir-matione argumenti ab istis peccari. Nam docui primùm ali-quot argumentis, posse omninò per potentiam DEI absolu-tam vnum verum corpus esse præsens in pluribus locis simul: & deinde etiam demonstraui, minimè sequi, corpus Christi in vno tantùm iam esse loco, si omnes corporis proprietates na-turales vnà cum humana natura ille sumpsit. Prius verò quàm hæc probare aggrederer, perfidiam Sacramentariorum ver-bis diui Cyrilli Alexandrini nonnihil exagitaui, quòd, quia modum non intelligunt, quo possit verum Christi corpus in Eucharistia præsens esse diuersis in locis; de potentia DEI dubitant, & ex perfidia, Capharnaitarum more interro-gant, QVOMODO possit id fieri, atque adeò negant id fieri posse, vt Caluinum negantem audiuimus. Ad hoc autem iste sic respondet.

pag. 53. Lib. 4. in Ioan. cap. 13.

Interrogatio, inquit, *ista* QVOMODO, *aliquando pia admiratio est, cum discendi studio coniuncta, & Patribus, præ-sertim cum hæreticis depugnantibus, & Sanctis, in veteri & no-uo Testamento, immò Christo ipsi familiaris. Ita enim Augu-stinus: Potest*, inquit, *alicui talis cogitatio oboriri, &c. quomo-do ergo panis est corpus eius? Et parens illius Ambrosius: Hoc igi-tur assueramus: Quomodo potest, qui panis est, corpus Christi esse?*] *Sic Abraham, sic Gedeon, sic Virgo Deipara hac voce Quo-modo vsa est: & rectè, non Iudaicè vsa est. Quoad enim Deus non patefacit, se aliquid secus, ac naturæ leges ferunt facturum: quærere licet Quomodo: quia quæsto ista nõ cum impia indigna-tione & execratione, sed cum pia admiratione coniuncta est.*

FORTVNATVS fol. 5. b & 6. a

Serm. ad In-fant.

Lib. 4. de Sacr. c. 4.

GREGORIVS. Quid? visné profiteri, Fortunate, te & Caluinianos tuos non cum execratione, sed cum pia admiratione & discendi studio, more Sanctorum quos memoras, ex nobis quærere, QVOMODO possit vnum & idem Christi corpus in pluribus locis simul adesse? Nisi mentiaris, certè respondebis, vos nullo studio teneri hoc discendi; neque id tanquam mysterium aliquod admirari, sed execrari vt dogma commentitium; nec de hoc, quasi dubitetis, doceri velle, sed esse omninò persuasos rem eam esse impossibilem. Hoc enim Caluinus tuus asseuerat, vt superiùs audiuimus: Hoc tu in hac ipsa disceptatione (vt videbimus) frequentissimè dicis: Huius vestræ sententiæ testis est & conscientia vestra, & totus orbis, qui vos eo ipso nomine hæreticos esse iure optimo censet. Quod cùm ita sit, cur ad excusandum vestrum QVOMODO, quòd cum execratione est, & sine studio discendi, exemplum memoras B. Virginis, & Abrahæ, & Gedeonis, & aliorum Sanctorum, qui, vt tu ipse agnoscis, non nisi ex pia admiratione & addiscendi studio quæsiuerunt, QVOMODO? Quantò nos rectius vestrum QVOMODO cum Capharnaitarum QVOMODO, quod similiter ac vestrum cum indignatione & infidelitate fuit, comparamus? Verùm hîc vt Capharnaitam æquè ineptum atque incredulum te esse prodas, ita subiungis:

FORTVNATVS fol. 6. a *Aliud igitur*, inquis, *Quomodo est: quod indignatio & execratio quædam est, cuiusmodi Capharnaitarum fuit, de quo Cyrillus loquitur, qui Christo de carnis suæ prædicatione præcipienti, non credebant, sed extremè eum, vt testatur Augustinus, auersabantur & execrabantur, velut facinus & flagitium mãdantem. Cùm igitur nos non Christi verba, nec quod Christus tradidit & mandauit, sed quod vos de vestro extra Scripturam infertis, in dubium vocemus; & de eo quæramus, [Quomodo] nõ impium illud Capharnaitarum, sed pium sanctorum Patrum [Quomodo] vsurpamus.*

Lib. 3. de doctr. Christ. c. 15.

GREGORIVS. Non vides, homo excæcatissime, te pugnantia inter se & cum tua etiam ipsius mente atque cogitatione, dicere? Ais, vos non de eo quod Christus tradidit, sed de eo quod nos extra

tra Scripturam asseramus, quærere, QVOMODO? Non igitur cum pia admiratione, sed cum execratione est vestrum QVOMODO: siquidem execramini nostrum dogma; tantùm abest vt piè illud admiremini. At tu ipse etiam dixisti, illud Patrum, QVOMODO, esse cum pia admiratione & sine execratione; igitur aut sine mente loqueris, aut certè mentiris, cùm cõcludis, vos non nisi pium sanctorum Patrum QVOMODO vsurpare.

Concluſi iam clarè (vt vides) te vel mentis inopem, vel mendacem esse. Accipe nunc alium æquè manifestum syllogismum, quo partim ex his quę tu ipse posuisti, partim ex ipsa veritate demonstrabo, te etiam esse Capharnaitam, hoc est, Capharnaiticum esse vestrum QVOMODO in hac cõtrouersia. Ita igitur argumentor: Capharnaiticum QVOMODO est illud, quod est cum indignatione & execratione mysterij verbis Christi testati; Vestrum QVOMODO est huiusmodi, cùm quæritis, quî possit Christi corpus dari reipsa præsens in Eucharistia, atque adeò in tot diuersis locis ad comedendum; Ergo vestrum QVOMODO est Capharnaiticum. Consequentia est bona. Maior propositio patet tum ex Euangelio Ioannis, cap. 6. tum ex testimonio Augustini à te citato, tum ex confessione tua hoc loco. Minor propositio habet duas partes. Altera est, quòd vestrum QVOMODO est cum indignatione & execratione: & hoc iam antè vestrę conscientiæ testimonio probaui: Siquidem de ea re quæritis QVOMODO, quam esse impossibilem & commentitiam estis persuasi. Altera pars est, quòd ea indignatio vestra sit de mysterio verbis Christi testato. Et hoc etiam euidentissimè suprà probaui ex verbis illis Christi, quibus nulla ad hanc rem testificandam clariora esse poterunt: *Hoc est corpus meum*, Matth. 26. Marci 14. Luc. 26. 1. Cor. 11. Verum igitur est etiã syllogismi consequens, videlicet vos cum vestro execrabili & indignabundo QVOMODO esse verissimos, vel potius perfidissimos Capharnaitas. Quid enim, obsecro, vos iuuat, quòd vos quidem negatis, Corpus Christi in ipsa Eucharistia præsens verbis illis Christi significari? Non magis certè, quàm iuuit ad excusationem

Lib. 1. cap. 3.

nem perfidiæ Capharnaitas, quòd ipsi quidē similiter, vt iam vos, non existimarunt rem esse possibilem & confirmatam diuinitùs, vt corpus Christi realiter præsens manducaretur. Satis enim ad illorum iustam damnationem fuit, quòd reliqui omnes fideles, præter ipsos, id esse possibile & diuinum mysterium existimarunt. Ita etiam, vt vos Sacramentarios censeamus esse damnatos hæreticos & Capharnaitarum posteros, satis nunc esse debet, quòd reliqui omnes fideles, præter vos solos, hoc est, quod Christi Ecclesia (per cuius os Christus loquitur) illud mysterium verbis Christi diuinitùs fuisse testatum asseuerat, vt in hac controuersia manifestè monstramus. Quinám enim vnquam hæretici veri fuerunt, qui seipsi quoque hæreticos esse, & contra Christi sententiam contendere fatentur? Legat, obsecro, pius Lector formulam breuem, quam in Analysi fidei tradidi ad conuincendum manifestè omnes hodiè Sectarios de hæresi: & maneat interim, istos cum suo QVOMODO esse Capharnaitas.

Parte 1. *pag.* 51. *&* 52. *&par.* 8. *pag.* 417. *& sequent.*

CAPVT SECVNDVM.

Defenduntur argumenta, quibus probatum est, posse vnum corpus simul præsens esse in pluribus locis.

ARGVMENTORVM quibus antè sum vsus, vt ostenderem vnum corpus posse simul esse in diuersis locis, ea vis fuit, vt planè effecerim, posse vnum corpus non tantummodò per qualemcunque indistantiam substantiæ suæ quantitate affectæ, sed etiam locali modo, hoc est, commensuratiuè (vt vocant) in pluribus simul locis præsens esse. Et tamen meum quidem institutum præcipuè fuit id conuincere de præsentia certè vnius corporis secundum substantiæ suæ quantæ indistantiam, eo modo quo affirmat Ecclesia Catholica Christi corpus adesse in pluribus locis præsens sub speciebus panis & vini in Eucharistia. Docet enim Ecclesia, corpus Christi quantitate sua affectum adesse in illis speciebus verè præsens, non tamen per modum quantitatis seu quantitatiuè, ita scilicet vt partes corporis

Christi corpus quomodo sit præsens in pluribus locis.

poris Christi partibus illarum specierum & locorum ipsorum commensurentur; sed per modum substantiæ, sic nempe vt totum corpus sit in totis speciebus, & totum in qualibet earum parte. Atque isto in primis præsentiæ modo Sacramentarij contra Ecclesiam Catholicam cõtendunt, nec esse posse, neque esse Christi corpus præsens in pluribus locis ratione Eucharistiæ. Itaque id Ecclesiæ dogma affirmat hic Fortunatus esse monstrosum:

FORTVNATVS fol. 6. b

Quia, inquit, *ex Scripturis non habetur: quia naturam veri corporis abolet, quæ sicut absq; trina dimensione, ita quoque absq; circumscriptione loci, quæ trinam dimensionem, sicut rationem τὸ γελασικὸν, comitatur, non consistit, quia contradictionem implicat. Quid enim aliud dicit, qui corpus Christi sub speciebus sua quantitate quidem præditum esse dicit, non tamen quantitatiuè, hoc est, non vt quantum, sed vt simplex quiddam, & non quantum ibi esse dicit, quàm si alborem siue candorem alicubi esse dicat, sed per nigroris non candoris modum.*

GREGORIVS.

Immò, Fortunate, ex Scriptura id Ecclesiæ dogma habetur, neque naturam veri corporis abolet, neq; implicat vllam contradictionem. Quæ omnia tu quoque facilè intelligeres, si & oculos mentis apertos haberes, vt Scripturæ lucem conspiceres, & aliquid de discrimine prædicamenti *Quantitatis* & prædicamenti *Situs* & *Vbi* probè didicisses.

Asseritur modus quo Christus est in Sacramento.

I. Ex Scriptura dico colligi id dogma isto modo: Si ipsum corpus Christi sua quantitate prędituin, est reipsa præsens sub speciebus panis & vini in Eucharistia; omninò est in illis non commensuratiuè, sed totum in illis totis, & totum in qualibet illarum parte; at Scriptura docet verissimum esse illud prius, vt manifestè ex verbis: *Hoc est corpus meum*, Et: *Hic est sanguis meus*; suprà demonstrauimus; igitur ex Scriptura etiam habemus, verissimum esse posterius. Connexum siue maior propositio patet; quia necesse est, vt vel commensuratiuè, vel non commensuratiuè sit: & nullo modo potest esse commensuratiuè, cùm manifestè implicet contradictionem, vt corpus quantum maius, sit in quanto minori commensuratiuè; esset enim

Matth. 26.

Lib. 1.

in illo adæquatè & non adæquatè. Supereſt igitur vt ſit ibi Chriſtus non commenſuratiuè.

II. Quòd autem id dogma naturam veri corporis non aboleat, duplici ratione manifeſtè probatur. Primò, quia non fit iſto modo, vt circumſcriptio & commenſuratio in loco, quatenus naturalis proprietas veri corporis eſt, à corpore Chriſtiſeparetur, ſicut tu, Fortunate, exiſtimas: Sed ſolùm hac ratione diuinitùs fit, vt ſupra naturam corporis, & eius proprietatis naturalis, quidam alius modus exiſtẽdi alicubi, corpori Chriſti competat. Circumſcriptio enim & commenſuratio in loco, non qualicunq; modo, ſed quatenus eſt quidem ex vi & natura corporis, proprietas eſt naturalis corporis ſicut τὸ γελαστικὸν hominis. Hanc proprietatem corpus Chriſti adhuc retinet. Nam nuſquam eſt nõ commenſuratiuè, ex vi quidem & natura ſui corporis, ſed vi atque potentia diuina ſupra hanc naturam ſui corporis. Hoc modo non magis aboletur veritas corporis Chriſti, quã aboletur propterea quòd iam vi diuina eſt impaſsibile; cũ tamen alioqui pati poſſe, proprietas etiam corporis phyſici ſublunaris (quale Chriſtus habet) ſit, quantũ eſt quidem ex vi atq; natura ſua. Secundò, id etiam ea ratione probo, quia ne aboleretur quidem neceſſariò veritas corporis Chriſti, etiamſi circũſcriptio ab illo ſepararetur, quatenus proprietas corporis eſt: atque ita multò minus iam aboletur, quando hoc nõ fit, vt eſt explicatum. Circumſcriptio enim in loco nõ eſt intrinſecũ & eſſentiale quiddã vero & quanto corpori, cùm ſit quiddã poſterius; genera enim prędicamentorũ *Vbi* & *Situs*, quibus circũſcriptio in loco continetur, poſteriora ſunt ex natura rei quàm genus prędicamenti *Subſtantiæ* & prædicamenti *Quantitatis*, quibus continetur corpus quãtum. Poteſt aũt ſine contradictione omne prius conſeruari per DEI potẽtiam abſolutam ſine eo quod eſt extra illius eſſentiam & eo poſterius. Non poteſt quidem ab eſſentia & veritate corporis quanti ſeparari ordo quidam & aptitudo & potentia ad circumſcriptionem in loco; eò quòd hæc eſt illi intima & (vt Metaphyſici loquũtur) tranſcendentalis: ſed poteſt tamen ab eo ſeparari circũſcriptio actu. Quemadmodum τὸ γελαστικὸν (quod

(quod tu exemplum profers) δυνάμει, siue secundum aptitudinem non potest separari ab humana natura ratione prædita: sed actu tamen nihil obstat, quò minus possit separari per DEI potentiam absolutam.

III. Atq; ex his satis etiam liquet, neque implicare id dogma vllam contradictionem. Debes enim, Fortunate, intelligere, duplicem esse modum quantitatis. Alterum intimum & essentialem ipsi, qui consistit in hoc vt per eam partes substantiæ corporeæ minimè sint inter se confusæ, sed aliæ extra alias in ipso quidem corpore; vt collum extra humeros, caput extra collum, &c. Iuxta hunc modum dicere, aliquod corpus quantum alicubi esse non per modum quantitatis, implicatio contradictionis esset. Sed hoc nos non dicimus. Asserimus enim, corpus Christi in Eucharistia secundū se quidem esse sua quantitate extensum, & habere alias extra alias partes. Alter modus quantitatis est ei accidentalis & extrinsecus, qui consistit in quadam coextensione quanti cū loco. Iuxta hunc modum nos dicimus, corpus Christi quantum esse in Eucharistia non per modum quantitatis videlicet accidentalem. Hoc aūt minimè contradictionem implicat. Cur enim non queat diuinitùs separari à re modus rei accidentalis & extrinsecus? Eodem modo de candore siue albore dico: nempe quamuis nequeat albor esse sine suo modo essentiali alboris, qui consistit in eo, vt possit ex se disgregare visum; posse tamen diuinitùs esse sine modo alboris aliquo accidentali; vt sine extensione, verbi gratia, si à quātitate videlicet diuinitùs separaretur, à qua accipit accidentaliter extēsionem. Et quemadmodū sine contradictione modus aliquis non essentialis, sed accidentalis rei separari à re potest, ita etiam modus non quidem essentialis, sed accidentalis vnius rei potest diuinitùs alteri rei tribui, & quasi accommodari, vt eo quidem affecta sit, etsi non vt sibi ex natura debito, sed tanquam aduentitio. Nam cùm accidens sit extra essentiam rei, fieri non potest vt magis additio quàm detractio accidentis essentiam rei immutet. Duplex modus quantitatis.

Quod cùm ita sit, nullam etiam contradictionē implicat id quod simul docemus, corpus Christi quantū esse in Euchari-

ſtia per modum ſubſtantiæ; nempe ita vt tota eius quantitas ſit in tota quantitate Euchariſtiæ, & in qualibet eius parte. Hic enim modus non eſt eſſentialis, ſed accidentalis ſubſtantiæ. Quare poteſt diuinitùs quantitati communicari itidem accidentariè, & vt quiddam aduentitium. Atque eadem ratione poſſet modus aliquis accidentarius nigroris communicari diuinitùs candori, vt eſſet ei aduentitius. Quænám enim eſſet in hac re implicatio contradictionis?

Quid poſsit fieri per potentiam diuinam.

Hæc omnia diuinitùs poſſe fieri, vt melius capiat Fortunatus, hac ratione rurſus probo & explano: Id omne Deus poteſt facere, quod ſine repugnantia & contradictione poteſt intelligi: nam id omne eſt ens, & omne ens poteſt à DEO effici, cùm ſit is præditus potentia infinita; & id eſt quod dixit Angelus, non eſſe impoſsibile apud DEVM omne verbum, id eſt, omne quod poſsit intelligi. At vt eſſentia rei alicuius ſit detracto vel variato quocunque illius accidente, quod ſit ea poſterius & extra illam, ſine contradictione poteſt intelligi: nõ enim eſſentia etiã non erit, hoc ipſo quod non ſit aut quod aliter ſit id, quod neq; eſt ipſa neq; intrinſecum ipſi. Igitur poteſt diuinitùs fieri vt quæuis eſſentia ſit abſq; quocunq; illius accidente, ac etiam vt alio quodam modo accidentali ſit affecta. Hæc certè clariſsima ſunt; & tamen ea fortè Sacramẽtarij pertinacia excæcati & inſcitia impediti, non intelligent. Sed progrediamur nunc ad argumenta quibus contra iſtos probaui poſſe diuinitùs vnum corpus in pluribus locis ſiſti.

Luca 1.

I. Primum argumentum petiui ad eam rem ex ſacra Scriptura. Nam duo Scriptura docet. Alterum; Ex quo Chriſtus videntibus Apoſtolis in cœlum aſſumptus eſt, nullo temporis momẽto vel abfuiſſe, vel abfuturum eſſe à cœlo, donec iterum aduenìat iudicaturus mundum. Alterum; Fuiſſe tamen interim eum aliquando præſentem in terra vel prope terram. Ex quibus manifeſtè conſequitur, aliquando fuiſſe Chriſtum ſimul in cœlo & in terra, vel prope terram: ac proinde poſſe id fieri, quandoquidem aliquando eſt factum.

Primum probaui his teſtimoniis: Pſalmo, 109. *Sede à dextris meis*, DONEC *ponam inimicos tuos, ſcabellum pedum tuorum*, id eſt, vſque

vsque in finem; interprete Apostolo 1. Cor. 15. Et ad Hebr. 8. *Consedit in dextera magnitudinis in cœlis.* Et ad Ephes. 1. CONSTITVENS *eum ad dexteram suam in cœlestibus.* Quæ vocabula CONSTITVENDI & CONSIDENDI, firmitatem quandam & stabilitatem mansionis declarant. Et ad Coloss. 3. *Quæ sursum sunt quærite, vbi Christus* EST *ad dexteram* DEI *sedens, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* An vllum igitur momentum temporis in hac vita fuisse vel futurum esse censebimus, quo frustrà Christus sursum in cœlo, iuxta hãc Apostoli adhortationem, animo atque mente à nobis quæratur? Atqui frustrà aliquando Christus in cœlo quæri potuisset, si postquam Christus in cœlum conscendit, aliquando cœlum fuit à Christo vacuum. Quod certè plurimùm abhorret à communi sensu & cogitatione fidelium. Adde huc etiam testimonium illud diui Petri de Christo: Quem oportet, inquit, cœlũ susci pere (Beza Caluinianus vertit è Græco, *capere*) VSQVE in tempora restitutionis omnium. *Actor. 3.* Adde denique testimonium veterum Patrum, qui similiter asserunt, Christum postquam in cœlos ascendit, continenter in cœlis esse quousq; ad iudicium veniat. Augustinus: DONEC *seculum*, inquit, *finiatur, sursum est Dominus.* *Tract. 30. in Ioan.* Chrysostomus: NECESSE *est*, inquit, *vsq; ad tempora restitutionis omnium, cœlum Christum accipere.* *Chrysost. hom. 9. in act.* Sic & alij passim.

Secundum etiam illud, nempe Christum nihilominus fuisse interim quandoque in terra vel prope terram, atque adeò simul in cœlo & in terra, probaui etiam his testimoniis 1. ad Cor. 15. *Nouissimè autem omnium* VISVS *est*, ET *mihi*; nempe præsens, neque minus verè & realiter, quàm ceteris Apostolis; vt ipse quoque esse posset æquè idoneus testis Dominicæ resurrectionis atque illi; id quod eo loco Apostolus agebat, vt confirmat etiam diuus Chrysostomus. Et Actor. 22. Sic ad eundem Apostolum in eam sententiam loquitur Ananias: *Deus præordinauit te, vt cognoscere voluntatem eius, &* VIDERES *iustum* (Christum) *& audires verbum ex ore eius.* QVIA eris TESTIS *illius ad omnes homines eorum quæ* VIDISTI *&* AVDISTI. Et Actor. 9. *Dominus* IESVS *misit me*, inquit, *qui apparuit tibi in via qua veniebas.* Atque etiam Christus ipse, Actor. 23. *Sequenti autem* *Homil. 38. in 1. Cor.*

nocte ASSISTENS *ei Dominus ait: Constans esto. Sicut enim testificatus es de me in Hierusalem, sic te oportet & Romæ* TESTIFICARI. Ad hoc argumentum quod fusiùs in illa disputatione confirmaui, nihil certò & constanter respondet Fortunatus.

Primò dicit, non rectè me probasse, quòd nullo temporis momento post ascẽsionem ante diem nouissimum Christus à cœlo abfuerit vel abfuturus sit.

FORTVNATVS *fol. 7. a*

Tantùm, inquit, *sequitur, Christum vero suo corpore sursum iam in cœlo esse ordinario modo, quod autem non in aëre, vel terra, relicto aliquantisper cœlo, extra ordinem se patefacere queat, hoc verò inde non euincitur.*

GREGORIVS.

Potesné igitur, Fortunate, animum tuum inducere, vt planè credas, aliquo temporis spatio Christum omnino reliquisse cœlum? Non enim quid absolutè fieri potuerit, sed quid factum aut non factum sit, quærimus. Ego absolutè fieri potuisse fateor; sed factum esse, vt aliquo tempore cœlum sine Christo fuerit, postquam is eò ascendit, persuadere mihi non possum. Intelligo enim, ac puto etiam te (quamuis dissimules) intelligere, id & à Scriptura sacra in locis à me citatis plurimùm abhorrere, & à communi sensu fidelium, qui, iuxta Pauli adhortationem, quam suprà memoraui, persuasi sunt, nullum vnquam temporis momentum fuisse aut futurum esse, quo non potuerit aut possit Christus sursum in cœlis à fidelibus mẽtibus pia cogitatione & inflammato animi desiderio inueniri. Quam tu probationem meam callidè præteriuisti. Sed inquis:

FORTVNATVS *fol. 7. a*

Sequitur, Christum inde à profectione in cœlos continenter sedisse, sessurumq; esse vsq; ad diem nouissimum, nec vllo momento motum esse, vel motum iri, si ita firma, vt vult Gregorius, hæc Christi sedes est. Gloria igitur & potestas, siue regnum Christi, quod illa sessione declaratur, firmum est, & stabile, non ipsum sedere.

GREGORIVS.

Ego, Fortunate, non sedem aut sessionem aliquam Christi, quæ in certo situ corporis consistat, firmam & perpetuam in cœlo esse volo, vt tu peruersè calumniaris. Sentio enim cum

cum diuo Augustino, curiosissimum atque superuacaneum esse, non modò asserere, sed etiam quærere, quonám corporis situ Christus in cœlo sit. Sessionem igitur Christi in cœlo interpretor cum eodem Augustino, potestatem Christi regiam & iudiciariam, quæ in Scripturis sessio metaphoricè dicitur, quia sedendo exerceri solet. Atq; hanc nimirum potestatem Christi probo ex Scripturis esse firmam & stabilem & perennem in cœlis. Quod cùm ita sit, rectè quidem ex hoc meo argumento sequitur, nunquam fuisse vel futurum esse vacuum cœlum à Christo prædito eiusmodi potestate, & (quod idem est) nunquam Christum vel motum fuisse, vel motum iri ab ipso quidem cœlo: minimè autem inde etiam sequitur, Christum perpetuò sessurum corpore suo in cœlo, neque mutaturum eiusmodi situm corporis, vt tu cauillaris. Non enim de tali sessione corporea loquor.

Lib. de fide & symb. cap. 7.

Loco cit.

Ceterùm, quia vidit iste, non satis firmum id esse quod ad argumentum meum responderat, Christum aliquando potuisse abesse à cœlo; deinde etiam dicit, non rectè me ex reliquis Scripturæ testimoniis concluisse, Christum post Ascensionem in terra vel penes terram aliquando fuisse.

FORTVNATVS

Hîc, inquit, *Gregorius vrget, quod Paulus Christum viderit, quod illum viderit sicut Iacobus, & ceteri tum Apostoli, tum fratres eum viderunt; quod verbum ex ore eius audierit; quod non eminus in cœlo stantem; sed sibi assistentem audierit: Sed hæc nequaquam demonstrant, Christum Apostolo in terra vel penes terram vero suo corpore apparuisse: tantùm verè apparuisse, illíq; locutum esse ostendunt, quod fieri potuit, etiamsi in cœlo corpore suo manserit, quemadmodum Stephanus eum in cœlo conspicatus est, oculorum illius acie ita illustrata, vt cœlos potuerit penetrare.*

fol. 7. a

GREGORIVS

At tu non fideliter satis refers eas Scripturæ circumstantias, quibus ego confirmaui, demonstrari eiusmodi testimoniis, quòd in terra vel prope terram Christus Apostolo visus & auditus sit. I. Visus enim est illi, vt esset æquè idoneus testis resurrectionis eius, ac ceteri Apostoli, atq; adeò ita, vt verè

pag. 54. & 55.

posset

posset Apostolus affirmare, se vidisse præsentem & cominus, sicut viderunt ceteri; ne alioqui posset aliquid excipi in illius testimonio. II. Item visus est ei in ipsa via, QVA veniebat, vt ait Ananias. Et audiuit verbum ex ore illius. III. Visus & auditus est ab eo in carcere ipsi ASTANS siue assistens. Non igitur est ab eo visus tunc & auditus eminus *è cælo*, vtà Stephano. Has tu circumstantias nec refutasti, nec retulisti fideliter, sed dissipasti & obruisti, vt illarum vis non appareret. Atque etiam dissimulasti fuisse à me hoc loco confutatum Caluinum, quòd ipse ad hanc rem vteretur illo exemplo Stephani. At inquis:

Pag. 58. Caluin. lib. 4. cap. 17.

FORTVNATVS *fol. 7. a b*

Verè visus est Christus Apostolo, sed non planè sicut ceteris, quibus hîc in terra adhuc in terra degens, ante Ascensionem visus est, cùm Apostolo post Ascensionem demùm visus sit, quæ caussa est, cur tuum illud (sicut) Gregori, nec Apostolus habeat, nec Chrysostomus quem tu hîc sine ratione citas.

GREGORIVS. Egregia verò est ista tua consequentia: Christus ante Ascensionem visus est ceteris Apostolis; Post Ascensionem autem diuo Paulo: Ergo non est ita visus diuo Paulo SICVT ceteris. Quasi verò *ante* vel *post* Ascensionem differentiæ essent aliquæ visionis, vt alterius modi debuerit esse visio ante Ascensionem & post. Intellige, Fortunate, restare similitudinem in hoc, quod realiter, & præsens, & cominus cum Apostolis reliquis, tum diuo Paulo Christus posteaquam resurrexit à mortuis est visus. Hoc modo ita Paulo visum esse sicut aliis, dico perspicuum esse ex testimonio eiusdem Pauli, & etiam Chrysostomi (vt patet ex Paulini testimonij circumstãtiis, quas suprà expendimus, & expendit quoque Chrysostomus) tametsi neuter vsurpauerit planè ipsam voculã SICVT; vt neque ego eos vsurpasse dixi. Addis deinde:

FORTVNATVS *fol. 7. b*

Quemadmodum verò illustrari aspectus illius ὑπερφυϊκῶς potuit, vt in cœlo subsistentem Christum verè conspicaretur, ita quoq; simili donari auditione potuit, vt è cælis loquentem Dominum, & audiret, & intelligeret.

GREGORIVS. Nihil proficis cum tuo, POTVIT. Ego enim ex locorum circum-

circumstantiis probaui, maximè fieri potuerit, tamen factum minimè esse, quin cominus & præsens à diuo Paulo Christus visus sit & auditus. Leuissimum autem argumẽtum est illud, quod subiungis, vt id factum esse nobis persuadeas.

FORTVNATVS

Narrat, inquis, *Lucas, Paulum, tunc Saulum, cùm Damascum contenderet, cœlitùs cum omnibus comitibus suis prostratũ esse, & prostratum vocem sibi dicentem; vnde? de cœlo vtique, vnde prostratus erat, audiuisse: Saul, Saul, quid me persequeris? Hanc loquentis istius vocem nemo ex comitibus Sauli, vt Paulus ipse testatur, audiuit; ita quoq; neminem, qui cum Saulo loqueretur, viderunt, cùm Saulus, teste Anania, Dominum loquentem, & audierit, & viderit. Perspicuum igitur est, quod ad illam visionem, de qua Ananias loquitur, attinet; Christum tunc corpore suo non in terra, sed in cœlo Saulo apparuisse, & de cœlo illi locutum fuisse, quod alioquin, si ipse quoque in via cum Paulo fuisset, non minus comitibus, quàm Paulo, visus & auditus fuisset.*

fol. 7. b
Actor. 22. & 26.

GREGORIVS.

Nego istam tuam consequentiã. Non enim si à Paulo Christus cominus visus & auditus est, necessario à comitibus Pauli videri & audiri debet. Immò hoc ipsum etiam singulare miraculum fuisse Scriptura indicat, quòd cùm à Paulo Christus fuerit in præsentia visus & auditus, & ei fuerit locutus, ac responderit, comites tamen Pauli Christum neq; viderint, neq; audiuerint. Hæc enim vel maximè causa est, quamobrẽ Pauli comites fuerint (vt Scriptura narrat) *stupefacti*. Prohibuit igitur Christus omnipotenti virtute sua comitum oculos, ne eum, vt Paulus, cui soli loqui & ostendere se volebat, videre possent. Quemadmodum aliâs quoque repentè euanuit ab oculis discipulorũ, ne eum possent videre, vt D. Lucas narrat. Denique malo Scripturę sacræ quàm coniecturis tuis assentiri, quæ me docet, Christum visum & auditum à Paulo esse *in* VIA QVA IS *veniebat*, etiam si non sit visus & auditus à Pauli comitibus, qui tamen vocem quidẽ Pauli audierunt, & lucem quoq; viderũt, quæ circumfulsit Paulum de cœlo, vt patet ex

Actor. 9.

Lucæ 24.

Actor. 9.

cap. 9. & 22. Actorum, inter se collatis, & ex D. Chrysostomo. Falsò autem ais, narrari à D. Luca, Paulum è cœlo prostratum fuisse; ac proinde Christum è cœlo quoq; locutum. Nam neque Lucas, neque ipse Paulus narrant, nisi quod luce de cœlo circumfusus corruerit: Hæc autem lux non mansit in cœlo, sed in via refulsit, vbi etiam à comitibus est visa, vt Paulus narrat, quamuis non nisi à Paulo visus fuerit in ea luce Christus, cuius præsentis potentia est prostratus.

Actor. 22.

FORTVNATVS *fol. 7. b*

Porrò, inquis, *illa patefactio, cuius Apostolus meminit, cùm sibi postremò omnium, velut abortiuo, apparuisse Dominũ scribit, vel eadem est cum ista, de qua modò diximus, vel eadem cum illa, cuius alibi meminit, cùm in tertium cœlum se raptum dicit, vel eadem cum vtraq;, vel ab vtraq; diuersa. Quodcunq; dicatur, nihil eo Gregorius iuuatur. Si eadem cum illa est, quæ in via, in profectione Damascum, contigit, eadem etiam istius, quæ illius ratio est, sin eadem cum illa, quæ in tertio cœlo, in paradiso, quò raptus Apostolus fuit, contigit, in cœlo vtiq; Christus corpore suo permansit, cùm eò raptus Apostolus sit. Eadem ratio est, si cum vtraq; eadem sit. Quod si diuersa ab vtraq; est, non tamen ita diuersa est, quin eadem illius quæ ceterarum duarum ratio esse queat.*

GREGORIVS. At ego suprà ex circumstantiis illius loci 1. Cor. 15. probaui, testari eo loco Apostolũ, se Christum ita vidisse, quomodo eum alij Apostoli viderunt præsentẽ in terra. Quare siue hanc siue illam visionẽ, siue plures, Apostolus eo loco significauerit; hoc mihi certum est, loqui eũ de visionis modo, qua Christum à mortuis iam suscitatum viderit præsentem in terra. Ac non est quidem dubitandum, quin de visione illa in via tunc locutus sit Paulus. Nam ea maximè consecutus est, vt Christi resurrectionẽ testificari cum pari fiducia, ac reliqui Apostoli, posset, vt suprà ostendi ex verbis Ananię: quẽ quidem ad finẽ Corinthiis affirmat Paulus sibi quoq; Christũ visum esse. Sed ex hac etiã ipsa circumstantia patet, illam visionem in via realem, atque in præsentia fuisse, vt suprà sumus argumentati.

Actor. 22.

De re-

De reuelatione autem illa cùm audiuit arcana verba in raptu vsque ad tertium cœlum, quæ accidisse ei putatur illo triduo, quo fuit oculis captus, postquam vidit Christum in via, non loquitur ibi ad Corinthios: Siquidem ipsemet nescire se dicit, quomodo ea visio siue reuelatio & raptus acciderit, an in corpore vel extra corpus. Corinthiis autem affirmat sibi Christum visum esse non secus atque reliquis Apostolis, atque adeò reali & corporali visione. Nam & hac etiam ratione se non minus quàm alios Apostolum esse, iisdem Corinthiis alibi confirmat: *Non sum*, inquit, *Apostolus? Nónne Christum* IESVM *Dominum nostrum vidi?* Sed neque constat loqui etiam eo loco de visione alia, quàm postea cùm Damasco Hierosolymam reuertisset, dicit sibi *in stupore mentis accidisse oranti in templo.* Fortè enim hæc non fuit visio corporalis. Neque ego hanc visionem commemoraui, vt falsò Fortunatus refert. Sicut etiam falsum vel potiùs falsarium est, quod iste ait, *Ambrosium* (cuius locum ne fraus deprehenderetur non citauit) *scribere, bis tantùm apparuisse Dominum Paulo in cœlo et in templo.* Scribit quidem Ambrosius, (vel quisquis ille fuit auctor) apparuisse Christum Apostolo *primùm in cœlo, deinde in templo:* sed non TANTVM. Quod si vel hanc quoque visionem in templo, vel aliquam aliam etiam, in eo loco 1. ad Corinthios 15. significat Apostolus, præter illam in via; ea quoque necesse est fuerit realis & in præsentia; vt patet ex fine propter quem vidisse se CHRISTVM dicit, nempe, vt similiter ac ceteri Apostoli testaretur illum resurrexisse, sicut & CHRISTVS ipse ad hunc finem se illi apparuisse testatus est. Multo autem tempore pòst accidit rursus Paulo, vt in carcere videret & audiret CHRISTVM nõ eminus, sed sibi ASTANTEM, vt Christi resurrectionem *Romæ quoq; testificaretur*, sicut ei dicit Dominus. Ex qua etiam visione maximè sum ego argumentatus. Verùm hìc etiam obiicit iste:

2. *Cor.* 12.
Actor. 9.
1. *Cor.* 15.
1. *Cor.* 9.
Actor. 22.
Fol. 8. *a*
In caput 15. 1. *Corinth.*
Actor. 26.
Actor. 23.

Verbum, inquit, ἐπιτακτικὸς *apodicticum non est. Stare enim supra Paulum Dominus potuit, non solùm è cœlo in aërem descendens, sed etiam in cœlo permanens. Stare etiam supra illum,* FORTVNATVS *fol.* 8. *a*

vel illi adstare tum quà Deus est, tum in visione potuit, hoc est, in visione apparere.

GREGORIVS. Certè verbum ἐπιστὰς non superstare, sed adstare seu adesse, vt aliàs passim, eo loco significat. *Adstare* verò & *adesse* alicui, quis nescit significare, esse propè seu simul cum aliquo? An dices, Fortunate, adesse tibi seu astare nunc sanctum Paulum, quia supra te est in cœlo? Quod autem ais adesse potuisse Christum Paulo vt Deum, dubium nullum est. Sed quæstio est nõ quomodo adesse potuerit, sed quomodo adfuerit. Loci autem circumstantia ostendit adfuisse etiam vt hominem. Nam eo modo adfuit, quomodo de illo debuit Paulus Romæ testificari; debuit autem testificari de illo non solùm vt de Deo, sed maximè etiam vt de homine, qui à morte resurrexisset. Hoc quia te planè non fugiebat, tandem diffidens istis tuis interpretationibus, ad extremum adiungis:

FORTVNATVS fol. 8. a *Sed esto*, inquis, *Dominum vero suo corpore Apostolo in aëre, vel terra apparuisse, ita vt Dominus corpore suo in aëre vel terra fuerit. Quid hinc efficitur? nihil omninò. Si in terra vel aëre vero suo corpore fuit, vtiq; tunc in cœlo non fuit.*

GREGORIVS. En, quamobrem superiùs dixi, te nihil habere certi quod ad meum argumentum primum ex Scriptura ductũ responderes. Modò enim hoc ais, modò illud. Benè aũt habet, quod à me vtrumq; probatum iam & defensum est: nempe & Christum præsentem in terra vel prope terram Paulo apparuisse, & tamen nullo tempore abfuisse à cœlo postquã eò conscendit. Quod cùm ita sit, potest certè in pluribus locis simul esse, (quod vos perfidè negatis) siquidem aliquando fuit, vt argumento meo primo concluſi. Esse autem posse Christi corpus in pluribus locis eo etiam modo, quo nos in Sacramento esse dicimus, suprà initiò huius capitis probaui.

Ac sanè certissimus sum, Fortunate, nescire te qd & quorsum loquaris, cùm aduersus modum istũ existendi Sacramentalem hic ais: *Geminam totalitatẽ, dimensiuam et essentialem, in corpore humano, quod dissimilibus partibus constat, locũ nullum habere.* O Philosophũ infortunatum! Aliquódne omninò est corpus, quod

Fol. 8. b

non

non habeat & essentiam substantialem compositam ex materia & forma, & præterea dimensiuam quantitatem? Cur igitur non possit & tota essentia, & tota quantitas dimensiua in quouis corpore cõsiderari? Etsi nos quidem hac distinctione non magnoperè indigemus, vt defendamus modum illum existendi Sacramentalem: nõ enim dicimus, Christi corpus tantummodò essentiâ sua præditum sine quantitate existere in Sacramento, sed omninò asserimus illud ibi esse quantum, tametsi non etiam coextensum alicui loco, vt initiò huius capitis explicaui.

Quod denique rursus negas, Christum in terra vel prope terram apparuisse, quia *Paulo*, inquis, *in via constituto Dominus apparuit; non autem Dominus in via*; satis antè confutatum est. Ac præterea ex verbis etiam Ananiæ intelligi potest, voculam, *in via*, ad Dominum etiam esse referendam, vt sensus sit non tantùm *Paulo in via*, sed ipsum *Dominum in via* apparuisse. Sic enim Ananias cum Paulo loquutus est: *Dominus*, inquit, *misit me* IESVS, *qui apparuit tibi* IN VIA *qua veniebas*. Hæc enim vltima verba (*in via*, *&c.*) ad omnia verba præcedentia æquè referri debent. Vt si dicerem, Fortunate, me disputare tecum in Germania in qua tu es; non sanè intelligeret Lector me disputare tecum ex Hispania, sed in ipsa Germania. *Fol. 8. b*

II. Alterum argumentum meum ex Scriptura etiam petitum, fuit huiusmodi. Nam si spectes, inquam, ad naturæ consuetudinem atque vim; sicut nunquam fit vt corpus vnum diuersis adsit in locis: ita neque fit aliquando vt locus vnus capiat corpora diuersa, quorum alterum quidem ipsum compleat. Neque magis hoc quàm illud ratio assequitur: cùm non sit minus ab vno capi & contineri plura, quàm vnum capi & contineri à pluribus. At compertum ex diuina Scriptura est, locum vnum continere potuisse, atque adeò continuisse illo modo diuersa corpora, nempe Christi corpus & obseratam ianuam, qua is est ingressus ad Apostolos. Item, idem Christi corpus, & claustrum Virginis intemeratum; atque etiam lapidem clausi sepulchri; vt de cœlis incorruptibilibus, quos penetrauit, nihil iam dicam. Potest igitur eadem Dei virtute *Pag. 59.* *Ioan. 20.*

fieri, vt ipsum Christi corpus, licet vnum & idem, præsens diuersis in locis adsit, maximè cùm non ab illis locis capi, sed illis in Sacramento mirabiliter contineri, asseramus.

FORTVNATVS *fol. 9. a*

Respondemus ordine, inquit Fortunatus, *ac primùm quidem de clausis foribus: Dominum ad discipulos venisse* τῶν θυρῶν κεκλεισμένων (*sic enim Ioannes loquitur*) *hoc est, clausis foribus, seu cùm clausæ fores erant: quod longè aliud est, quàm per clausas fores ingredi, solidamq́, materiam penetrare: quia diuina virtute, qua inuia peruia efficere potest, imperare ianuis, aditumque sibi facere potuit; vt præter discipulorum opinionem in medio eorum esset, cui fores obseratæ, à nemine erant reseratæ.*

GREGORIVS. *Lib. 4. Instit. cap. 17.* Christum verè penetrasse ianuas clausas, probatur contra perfidiam Caluinisticã.

Hanc responsionem, quam tam securè, vel potius tam otiosè ex Caluino repetis, antè in disputatione mea confutaui. Primùm enim Euangelista tanquam insigne miraculum (vt vos ipsi fatemini) narrat, Christum bis ad discipulos ingressum esse *cùm fores essent clausæ*, seu (vt etiam dicit) *ianuis clausis*. Cur igitur vos dicitis, eum non nisi ianuis apertis ingressum esse? Nam quod interpretamini; ianuis clausis; id est, cùm antè essent clausæ, & à nemine alio præterquam ab ipso Christo reseratæ; id verò merum commentum est à vobis propter perfidiam excogitatum, cui nos planum Euangelistæ testimonium anteponimus.

II. Si quod Euangelista significat, non hoc ipsum est, nempe Christum ianuis adhuc clausis ad discipulos penetrasse, nullũ planè poteritis ex ea Euangelistæ narratione colligere miraculum. Vnde enim vos scitis ianuas illas, neq; claue, neque alicuius alterius opera, neque omninò vlla vi naturali adhibita, quæ ad id sufficeret, fuisse Christo apertas? Hoc certè Euangelista non dicit, sed vos sine Euangelistæ testimonio comminiscimini; ne alioqui ab omnibus rideamini, si nullum in ea re miraculum ostendatis. Tantùm autem narrat Euangelista ingressum esse ianuis clausis. Si hoc igitur (vt vos vultis) non est ianuas tunc cùm Christus ingrediebatur clausas fuisse, sed antè fuisse clausas; Vnde vos habetis, eas Christo apertas

pertas non fuisse modo aliquo naturali, vt claue aliqua, saltem secreta? Certè secundum hanc vestram interpretationem absque vllo miraculo illa Euangelistæ narratio poterit constare; nempe vt summa sit, Christum quo tempore discipuli *propter metum Iudæorum*, vt ait D. Cyrillus, & patet ex Matthæo, ianuis clausis domi se continebant; ad eos apertis ianuis aliquo naturali instrumento (vt fieri assolet) ingressum esse, & dixisse: *Pax vobis, &c.* *Lib. 12. cap. 55.* *Matth. 28.*

III. Præterea in eo Christi ingressu tale miraculum confitendum est, quòd planè fuerit supra naturam; ita vt neq; modo aliquo naturali factum fuerit, neque potuerit fieri illud idem quod Christus fecit. Hoc enim Patres omnes sentiunt, & tu etiam ipse paulò inferiùs fateris, miraculum illud *fieri non potuisse absque vi diuina*. Non igitur id miraculum in eo consistit, quòd Christus omnipotenti sua virtute ianuas aperuerit, sed quòd ianuas clausas penetrauerit. Hæc enim penetratio eiusmodi est, vt nulla omninò virtute naturali accidere potuerit; Ianuæ autem aperiri naturaliter multis modis potuerunt, etiamsi daremus apertas tunc quidem fuisse supernaturali Christi virtute. *Fol. 9. b*

IIII. Christus eo modo ianuis clausis ingressus est, qui nulla humana ratione possit intelligi, sed *plenus* (vt tu etiam loqueris) *admirationis* fuerit. Is aũt modus est planè in illa penetratione, non aũt in apertione ianuarum per omnipotentem Christi virtutẽ. Quis enim non facillimè intelligat, per virtutem omnipotentem ianuas aperiri potuisse, qua etiam aperiri & euerti solẽt quandoq; à vento? Si tu, Fortunate, qui ferè nihil potes, Neustadianas portas, aut Ingolstadienses (de quibus iocans mihi obiecisti) cùm sunt benè clausæ, aperires, insigne miraculum faceres. Si autem omnia alioqui solo nutu voluntatis tuæ posses, quantulum miraculum in ea re ederes? *Ibidem.* *Fol. 9. b*

V. Adde quod D. Cyrillus, & Chrysostomus, & alij Patres in eo maximè miraculum ponũt, quòd cùm Christus post resurrectionem verum habuerit corpus, tamen clausis ianuis ingressus ad discipulos fuerit. Nullum autem est miraculum per ianuas demùm diuina virtute apertas verum corpus ingredi; *In ca. 20. Ioan.*

gredi; sed id omninò stupendum miraculum est, per ianuas adhuc clausas verum corpus penetrare.

Lib. 10. in Luc. cap. 24.

VI. Sed audiamus de hac ipsa penetratione nominatim D. Ambrosium & alios Patres loquentes: *Habuit*, inquit Ambrosius, *admirandi causſam Thomas, cùm videret clausis omnibus* PER *inuia septa corporibus, inoffensa compage* CORPVS INSERTVM. *Et ideò mirum quomodo se natura corporea* PER IMPENETRABILE CORPVS INFVDERIT, *inuisibili aditu, visibili conspectu, tangi facilis, difficilis æstimari.* Habésne satis Fortunate?

Homil. 85. in Ioan.

Audi etiam Chrysostomum: *Mirandum*, inquit, *est, quòd discipuli phantasma eum esse non sunt suspicati.* CLAVSIS *enim ianuis & repentè est ingressus.* Non igitur tantùm vult Chrysostomus, eum non prius ostium pulsasse, vt tu callidè citasti. Audi eundem

Homil. 2. de Symb.

Chrysostomum rursus: *Quomodo*, inquit, INTROIVIT *Christus ianuis clausis ad discipulos suos? Super mare ambulauit? Imperauit ventis, & facta est tranquillitas magna? Quia ergo ista super nos sunt, & rationem de talibus miraculis reddere non valemus, fide tenemus.*

Epist. 3. ad Volusianum.

Audi D. Augustinum: *Ipsa*, inquit, *virtus diuina per inuiolatæ Matris Virginea viscera, membra infantis eduxit, quæ postea per* CLAVSA OSTIA *membra iuuenis* INTRODVXIT. Et subiungit: *Hîc si ratio quæritur, non erit mirabile; si exemplum poscitur, non erit singulare.* DEMVS DEVM *aliquid posse quod nos fateamur inuestigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis.*

In Tragœdia de Christo patiente.

Audi D. Greg. Naz. *Stat ecce Dominus has fores intra; Nouum hoc dignumq́, verò maximo miraculo.* Audi (ne omnes commemorem)

Li. 12. in Ioan. cap. 53.

D. Cyrillum: CLAVSIS, inquit, *foribus repentè Dominus* NATVRA RERVM *superata ingressus ad discipulos est. Nullus igitur quærat, quomodo clausis ianuis* CORPVS *Domini penetrauit, cùm intelligat non de homine nudo, quales nos sumus, sed de omnipotenti* DEI *Filio hæc ab Euangelista conscribi.*

Vix mihi persuadeo, tam impudentem fore Fortunatum, vt eum sui mendacij non pudeat, quòd scripserit, Cyrillum, Ambrosium, Chrysostomum (hos enim nominat) & alios Patres, ingressum illum Christi ideò solum reputasse admirabilem, quia Christus omnipotenti virtute sua ianuas clausas a-

Fol. 9. b

peruerit: *Ingressionẽ*, inquit, *istam (quod fatemur) admirationis plenam esse*

esse dicunt: *Sed negamus eos dicere, Corpus Christi solidam lignorum aut lapidum materiam penetrasse.* Relegat rursus Lector testimonia quæ recitaui, & vel hoc vno exemplo intelligat, Caluinistas nec in doctrina, neque in calamo, neque in ore habere veritatem. At obiicit de Cyrillo:

Quo, inquit, *modo solidam materiam penetrasse Domini corpus scriberet, qui alibi sic loquitur:* [*Nam si verè*, inquit, *sectionem & partitionem diuina natura, vt illi dicunt, reciperet, intelligeretur & corpus; si autem hoc, & in loco omninò, & in magnitudine, & quantitate, & si quanta facta esset, non effugeret circumscriptionem.*] FORTVNATVS *fol. 9. a Dialogo 2. de Trin.*

Hic solùm docet Cyrillus quod naturaliter competere soleat naturæ quantæ & partibili, nempe locus & circumscriptio in loco. Quod verissimum est. Sed hoc non obstat quò minus per DEI omnipotentiam *natura rerum superata* (vt in illo alio loco ait Cyrillus) fieri possit, vt corpus aliquod existat, aut transeat alicubi alio quodam modo quàm illo circumscriptionis. Id enim minimè esse impossibile suprà ostendi sub huius capitis initium. GREGORIVS.

Sed Hilarium, inquis, *de his foribus breuiter audiamus.* [*Diligenter*, inquit, *Euangelista expressit, dicens: Venit* IESVS *ianuis clausis, & stetit in medio discipulorum suorum. An constructa parietum penetrans, & solidam lignorum naturam impenetrabilem transcurrit? quasi dicat minimè.*] *Et paulò pòst:* [*Idcircò ergo vt de Natiuitate fallimur, ita & de ingressu Domini mentiamur, dicamus factum non fuisse, quia intelligentiam facti non apprehendimus?*] FORTVNATVS *fol. 9. a b Lib. 3. de Trin.*

Certè meritus hoc loco es, Fortunate, vt te insignem sycophantam & corruptorem sanctorum Patrum nominem. Nobis enim, Hilarij loco per fraudem mutilato, persuadere vis, illum negasse, quòd clausis omninò ianuis per solidam parietum & lignorũ naturam Christus penetrauerit. Atqui Hilarius hoc planè Christum fecisse pro certissimo habet, & huius admirabilis facti exemplo in mediũ producto eorum perfidiam exagitat, qui idcircò negant aliquid factum esse, quo- GREGORIVS.

niam facti modum atq; rationem intelligere nequeunt. Recitemus igitur locum integrum Hilarij, vt testis à te productus simul condemnet, & perfidiam tuam, qui factum esse quod Euangelista narrat, non credis, & tuum etiam in eo teste citando mendacium. Proposuerat autem sibi Hilarius eo loco perfidiam Arianorum confutandam, hoc modo: *Quæris*, inquit, *quomodo secundum Spiritum natus sit Filius? Ego te de corporeis rebus interrogo.* Ac tum inter cetera subiungit: *Quæro ergo per quas clausulæ domus partes sese corporeus intulerit? Diligenter enim Euangelista expressit, dicens: Venit* IESVS *ianuis clausis, & stetit in medio discipulorum suorum. An constructa parietum penetrans, & solidam lignorum naturam impenetrabilem transcurrit? Stetit namq; corporeus non simulatus aut fallax. Sequatur ergo oculus mentis tuæ* PENETRANTIS *ingressū: &* CVM EO CLAVSAM *domū intelligentiæ tuæ visus* INTROEAT. INTEGRA *sunt omnia & obserata, sed ecce assistit medius cui per virtutem suam* VNIVERSA (atq; adeò etiam solida & obserata corpora) *sunt* PERVIA. *Inuisibilibus calumniaris: ego à te visibilium exposco rationē. Nihil cedit ex solido* (naturaliter) *neq; per* NATVRAM *suam* (quasi dicat, benè aūt supernaturaliter per diuinam virtutem) *aliquid tanquam lapsu insensibili ligna & lapides admittunt. Corpus Domini à se non deficit, vt sese resumat ex nihilo. Et vnde qui assistit in medio est? Cedit adhæc & sensus, & sermo, & extra rationem humanam est* VERITAS FACTI. *Idcircò ergo vt de natiuitate fallimur, ita & de ingressu Domini mētiamur? Dicamus factum non fuisse, quia intelligentiam facti non apprehendimus? Sed mendacium nostrum* (Fortunati) FACTI FIDES *vincit. Assistit Dominus* CLAVSA DOMO, *& Filius est natus ex Patre.*

Lib. 3. de Trin.

Ioan. 20.

Sentit igitur D. Hilarius idem quod alij sancti Patres à me prius citati, nempe Christum CLAVSA domo, non autem aperta (vt Caluinistæ dicunt) ad discipulos penetrasse, quamuis id per naturam fieri non potuerit, sed sit ineffabile miraculum. Quocirca, cùm Hilarius interrogando illud dicit: *An constructa parietum? &c.* non debemus nec possumus subaudire: *Minimè*, vt Fortunatus contra Hilarij sententiā tot verbis clarissimè expressam fraudulenter interpretatur. Sed subaudire debemus: *Omninò* ita factum esse, vt sequētia verba Hilarij euidenter ostendunt. Vsitatū enim est grauissimis Scriptoribus,

tum

tum prophanis, tum Ecclesiasticis, vt quandoq; interrogando affirment: nempe cùm id interrogant quod omninò est consequens ex eo, quod pro certo iam est positum. Vt in proposito; ex eo quod Euangelista narrat, clausis ianuis Christum ingressum esse, consequens est omninò, vt per solida parietum & lignorum admirabiliter penetrarit.

Moneo etiam Lectorem hoc loco, quædam verba in libro Fortunati addita esse eodem typo ad locum Hilarij, quæ non sunt Hilarij, vt Lector fortè putare posset, sed ipsius Fortunati corrumpentis Hilarij locum: siue hoc istius fraude ad decipiendum Lectorem factum sit; siue Typographi errore accipientis alium typum pro alio. Dicit autem eis verbis Fortunatus, Christum, sententiâ Hilarij, *verè quidem ingressum esse, sed non per constructa parietum & clausas ianuas.* Sed hoc etiam Hilarium velle, iam ipsius verbis, quæ iste mutilauit, ostensum est. *Fol. 9. b*

Alterum exemplum Scripturæ, quo probaui, duo corpora in eodem loco esse posse diuina virtute per penetrationem, fuit à me petitum ex Christi resurrectione. Nam ex clauso sepulchro surrexit, antequam Angelus amoueret lapidem, quod nominatim ex Chrysostomi interpretatione confirmaui. Hîc iste: *Hom. 91. in Matth.*

FORTVNATVS *fol. 9. b*

Licet, inquit, *secus Chrysostomo visum fuerit, negamus, Euangelicam historiam testificari, tum demùm amotum lapidem fuisse, postquã iam resurrexisset Dominus.* ὑστερον πρότερον *Matthæus habet. Terræ motus enim, antequam ad sepulchrum piæ illæ matronæ venissent, contigit, vt perspicuum est ex ceteris Euangelistis, qui communi consensione scribunt, cùm ad sepulchrum fœminæ venissent, eas sepulchrum apertum offendisse, lapidemque iam antè amotum fuisse. Non igitur prius ad sepulchrum, quod dicere Matthæus videtur, venerunt, quàm terræ motus fieret, lapisque per Angelum reuolueretur, sed antequam ad sepulchrum venirent, amotus ab Angelo lapis est, tum scilicet cùm è sepulchro Dominus prodiret, vt non lapidem penetrarit, sed amoto lapide prodierit.*

Non antequam venirent, sed antequam omninò peruenirent piæ illæ mulieres ad sepulchrum, terræ motus factus est, & lapis ab Angelo amotus. Nam cùm *venirent*, dicit Matthæus, *Ecce*, id est, tunc, *terræ motus factus est magnus, Angelus enim Domini, &c.* Atque hoc tu tantùm probas: nempe priusquam peruenissent, lapidem fuisse amotum, quandoquidē sepulchrum apertum viderunt, vt Euangelistæ testantur. Sed tamen minimè sequitur, prius etiam lapidem amotum fuisse, quàm Christus resurrexit, si prius amotus fuit, quàm mulieres peruenerunt ad sepulchrum. Hoc non indicant Euangelistæ, sed figmentum est vestrum. Immò ex Euangelica historia collatis aliis Scripturæ locis, colligitur prius Christum resurrexisse, quàm Angelus amouerit lapidem. Christus enim diluculo surrexit, vt patet ex Psalmo 56. Lapis autem amotus est, non multò antè quàm mulieres peruenirent ad sepulchrum: quod accidit ferè orto iam sole, id est, longè post diluculum, vt patet ex Marco.

Matth. 28.

Matth. ibid. Marc. 16. *Luc.* 24. *Ioan.* 20.

Marc. 16.

Quocirca non solùm Chrysostomus (quem tamen vnum in Scriptura interpretanda meritò vobis omnibus Caluinistis anteponimus) sed etiam alij Patres hoc idem sentiunt, nempe Christum antequam lapis amoueretur surrexisse, atque adeò exiisse admirabiliter per ipsum lapidem. Rectissimè namque Beda: *Reuoluit Angelus*, inquit, *lapidem, non vt egressuro Domino ianuam pandat, sed vt egressus eius iam facti hominibus præstet indicium. Qui enim mortalis clauso Virginis vtero potuit nascendo ingredi mundum, idem ipse factus immortalis clauso sepulchro potuit resurgendo exire de mundo.* Ita etiam Euthymius, & ante hos D. Gregorius Nazianzenus.

Hom. in Vigil. Paschat.

In c. 28. Matth. Greg. Naz. in Tragœdia de Christo pati.

Tuum autem illud ὕστερον πρότερον, (id est, posterius, prius) nihil ad institutum facit. Nec enim cùm Matthæus primò dicit, *venisse mulieres, vt viderent sepulchrum*, eas iam peruenisse (quod accidit post terræ motum) significat, sed in viam se quidem dedisse; quod ante terrę motum & Angeli aduentum contigit. Ita hoc quidem loco non alio ordine Matthæus rem narrat, quàm res ipsæ acciderint, præponendo posterius aliquid priori.

Sed

Sed esto, inquis, *lapidem post resurrectionem demùm amotum esse, an aditum sibi facere omnipotente sua virtute non potuit, qui obseratas ianuas potuit reserare? num ita inauditum commentum, ineptumq; figmentum est, si quis dicat, imperio & mandato Domini amotum lapidem fuisse, & mox transitu dato, in locum suum, siquidem post resurrectionem demùm, quod verisimile non est, Angelus è cœlo lapidem amoturus descendit, rediisse? An illud vsque adeò etiam ineptum, quod ad occursum Domini lapidis sese flexerit durities?* FORTVNATVS *fol.* 10. *a*

Ita prorsus, Fortunate. Omnia hæc vestra somnia sunt inaudita & inepta commenta. Quis enim hæc dixit præter Caluinum, quem tu solum ad marginem citas, & ego antè in disputatione mea hoc nomine refutaui? Non enim quærimus, vtrum lapis ad Christi imperium cedere, & aditum præbere potuerit, aut vtrum potuerit se flectere lapidis durities, sed vtrum ita factum sit. Nos dicimus, fieri quidem ita potuisse, sed factum non esse: quin potiùs per ipsum lapidem Christum è sepulchro exiuisse, vt sentiunt etiam Patres. Euangelista enim indicat, lapidē, qui fuerat antea positus & signatus, primùm ab Angelo reuolutum fuisse, tanquam illuc vsq; videlicet immotus fuerit. Vos aliud sine testimonio vllo, præterquam vestræ perfidiæ, fingitis. Cur vobis potiùs, quàm Patribus in interpretatione historiæ Euangelicæ credamus? GREGORIVS. *Lib.* 4. *Instit. cap.* 17. *Pag.* 60. *Matth.* 28.

Tertium exemplum, quo probaui, posse duo corpora in vno loco esse, fuit à me sumptū ex admirabili partu Virginis, cùm Christus inuiolatis, siue intemeratis (vt Patres loquuntur) illius claustris ex ea natus est. Hanc integritatem Virginis in partu (quam dixeram non ausum fuisse apertè negare Caluinum) negat Fortunatus. Et perinde quasi Iudæus aliquis esset, vel Ethnicus, qui ne rudimenta quidem Christianę religionis didicerit, ita interrogat: *Pag.* 60.

Ex qua, quæso, Scriptura, ex quòue antiquo Patre probatis, beatam Virginem non patefacta sui corporis lege peperisse? FORTVNATVS *fol.* 10. *b*

Miserum te, cui Beza tuus & Petrus Martyr cum [a] Ioui-niano damnato hæretico integritatem Virginis nefariè abnegantes, GREGORIVS. [a] *Apud Aug. l. de hæresib. c.* 82. *& lib.* 1. *cōtra Iulianum.*

negantes, sic mentem & oculos excæcarunt, vt neque Scripturæ, neque antiquorum Patrum, immò ne Apostolici quidem symboli de hac re sententiam habeas perspectam.

Isai. 7. Virginitas Mariæ in partu asseritur contra perfidiã Caluinistarum.

Audi igitur Scripturam. I. *Ecce*, inquit, *VIRGO concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel. Non enim* (inquit præclarè diuus [b] Ambrosius) *concepturam tantummodò Virginem, sed & parituram Virginem dixit.* Et diuus [c] Augustinus: *Inuiolata*, inquit, *peperit, quia in conceptu libido non fuit. VTROBIQVE miraculum: & sine corruptione grauida, & in partu Virgo puerpera.* II. Item: [d] *Hæc porta clausa erit, & non aperietur. Quæ est hæc porta*, inquit diuus [e] Ambrosius, *nisi Maria? Ideò clausa quia Virgo. Porta igitur Maria per quam Christus intrauit in hunc mundum, quando virginali fusus est partu & genitalia virginitatis claustra* NON SOLVIT, *mansit* INTEMERATVM CLAVSTRVM *pudoris, & inuiolata integritatis* DVRAVERE SIGNACVLA *cùm exiret ex Virgine, cuius altitudinem mundus sustinere non posset.* Et rursus idem Ambrosius: *Bona*, inquit, *porta Maria, quæ clausa erat, & non aperiebatur. Transiuit per eam Christus, sed* NON APERVIT. III. Item: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi:* Nempe, vt & conciperet, & pareret admirabiliter Virgo, iuxta vaticinium Isaiæ, quod ibi rursus confirmat Archangelus. Habes itaq;, Fortunate, primo loco Scripturam.

b *Epist.* 81.
c *Ex sermonibus variis de Natali Domini.*
d *Ezech.* 44.
e *Li. de Instit. Virginis, c.* 7.
Ibidem cap. 8.
Luca 1.

Ac ne te tuus Beza & Martyr decipiant, moneo te, *Virginem parere*, in his Scripturæ locis planè esse, parere integris claustris virginitatis; non autem solùm eam parere, quæ non cognouerit virũ, licet aperto clausto virginali pariat, vt vos dicitis. Obstant enim argumenta quatuor huic commento vestræ interpretationis. I. Quòd Scriptura propriè & vsitato modo de *Virgine* loquitur: cuius scilicet clausum sit clausum. Præclarè enim & orthodoxè D. Augustinus: *De Virgine*, inquit, *nasci oportebat, quem fides Matris, non libido conceperat. Quod si*, inquit, *vel per nascentem corrumperetur eius integritas, non iam ille de Virgine nasceretur, eumq; falsò, quod abest, de Virgine Maria natum tota confiteretur Ecclesia; quæ imitans eius matrem, quotidie parit membra eius, & Virgo est.* II. Quòd alij etiam Patres eam esse Scripturæ vim in hac quæstione intelligunt; vt partim audiuisti, partim adhuc

Quid sit Mariam in partu Virgine fuisse. *In Enchirid. cap.* 34.

huc audies. III. Quòd iisdem Patribus interpretibus, Scriptura de eiusmodi partu Virgineo loquitur, qui sit per se maximum miraculum distinctum à miraculo conceptionis Virgineæ. Si autem ruptis claustris Virgo peperit, quodnám fuerit miraculum propriè in ipso Virgineo partu? Nullum omninò. Res enim per se naturalis & ordinaria est alioqui, vt omnis fœmina, quæ conceperit (quocunq; tandem modo conceperit) pariat denique apertis claustris. At Patres passim ex Scriptura colligunt, non solùm conceptionem Virgineam, sed etiam partū Virgineum Deiparæ, fuisse rem per seipsam admirabilem, quæ ratione comprehendi non possit, sed fide credi debeat. IIII. Denique Patres ex Scriptura talem asserunt partum Virgineum, vt eum credere (secundum humanam quidem rationem) illis etiam sit difficile, qui Virgineam conceptionem iam crediderint; & quem idcircò nōnulli hæretici negant, tametsi Virginem concepisse fateantur: contra hos enim hæreticos etiam disputant Patres, vt audiemus. At si Virginem peperisse nihil aliud esset, quàm eam quæ Virgo sine viro concepit apertis claustris peperisse; quicunque crederet Virginem concepisse, crederet hoc ipso sine vlla difficultate, Virginem peperisse. Non igitur hæc est ratio partus Virginei, sed ea prorsus, quòd Virgo integris atque intemeratis claustris (vt Ambrosius loquitur) peperit. Itaque consistit firma nostra probatio ex Scriptura, quam primo loco postulasti.

Nunc audi antiquos Patres, quos item requiris; etsi iam fortè habes ex illis satis, vel plus certè quàm velles. D. Ambrosius: *De via*, inquit, *iniquitatis produntur dicere, Virgo concepit, sed non Virgo generauit. Quæ potuit ergo Virgo concipere, potuit Virgo generare: cùm semper conceptus præcedat, partus sequatur. Sed si doctrinis non creditur Sacerdotum, credatur oraculis Christi, credatur monitis Angelorum dicentium; Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Ac Scripturæ testimoniis, quæ iam antè citauimus, interpositis, ita rursus dicit: *Quid autem mirum si contra vsum originis naturalis peperit Maria, & Virgo permanet; quando contra vsum naturæ; Mare vidit & fugit, atque in fontem suum Iordanis fluenta remearunt?* Paulò etiam supe-

Epist. 81. *ad Syricium.*

Psalm. 113.

superiùs alia clarissima D. Ambrosij testimonia citaui. Dicit, Christum *non soluisse matris claustra: Mansisse* INTEMERATVM *claustrum: Durasse inuiolata* SIGNACVLA INTEGRITATIS. *Christum transiuisse per eam, sed* NON APERVISSE. Item D. Hieronymus: *Respondeant mihi, quando* IESVS *ingressus est clausis ostiis, & ego respondebo, quando sancta Maria sit & Mater & Virgo.* Item D. Augustinus: *Ipsa*, inquit, *virtus diuina per inuiolata Matris Virginea viscera membra infantis eduxit, quæ postea per clausa ostia membra iuuenis eduxit. Hîc si ratio quæritur, non erit mirabile, &c.* Attulimus paulò antè quoque alium insignem locum Augustini: Vbi & ipse commemorat se in hac epistola ad Volusianum perpetuam hanc Mariæ Virginitatē propugnauisse. Item D. Eusebius Emissenus: *Quia*, inquit, *corruptionis iniuria non fuit in conceptu, ideò integritas perseuerauit in partu. Nemo ex Virgine nato filio calumnietur gloriam tantæ parentis. Quam cœlestis puer non perrupit dum concipitur, non potuit violare dum nascitur.* Item D. Maximus Turonensis: *Miraculum*, inquit, *illud quod Euangelista protulit tempore resurrectionis, dignè mihi vsurpabitur etiam tempore Natiuitatis, cum Ioanne dicendo; Venit* IESVS *ianuis clausis, & stetit in medio. Ecce iam nunc ianuis clausis processit in mundum, materni pudoris signaculo minimè resignato. Simulq; illud impletur Propheticum Ezechielis oraculum: Et porta erat clausa, & non est aperta, quia Dominus transiuit per eam. Quid hîc rationem quærimus? quid intellectum fatigamus humanum? generationem eius quis enarrabit?* Item D. Leo: *Humano*, inquit, *vsu quod credimus caret, sed diuina potestate subnixum est, quòd Virgo conceperit, quòd Virgo permanserit.* Item D. Fulgentius: *Qui disrupta corporis membra in aliis poterat integrare tangendo, quantò magis in sua matre, quod inuenit integrum, potuit non violare nascendo? Creuit enim eius partu integritas potiùs quàm decreuit.* Item D. Isidorus: *Si Virgini nostræ integritatem adimis, grandi dedecore* DEO *iniuriam facis. Negas enim valuisse incorruptum seruare, quem fateris absque corruptione adire Virginem potuisse. Negas* DEVM *quod vellet facere quiuisse, quem concedis genitricem integram inuenisse, & corruptioni deditam reliquisse. Vt ergo asseris, omnipotentis diuinitas non profuit Virginitati, sed obfuit. Quia dum Virgineum decus nascendo violauit, summam Virginitatem destruxit. Ac per hoc ipsum astruis deturpasse nascendo, quam decorauerat ipse creando.*

Lib. de Instit. Virginis, ca. 7. & 8.

In Apologia pro suis lib. ad Pammach. Epist. 31 ad Volusianum.

In Enchirid. cap. 34.

Homil. in illa verba: Ecce quàm bonũ & quàm iucundum, &c.

Homil. 1. de Natali Domini.

Ioan. 20.

Serm. 1. de Natiu. Domini.

Serm. de laud. Mariæ.

Lib. de Virgin. Mariæ, cap. 1.

Audi

Audi etiam aliquot antiquos Patres ex Græcis, vt Bedam & alios Latinos recentiores omittam. Origenes: *Virgo*, inquit, *genuit, & Virgo permansit. Mater filij facta est, & castitatis sigillum non perdidit. Quare? Quia non homo iste tantùm qui videbatur, sed vnigenitus erat Deus, qui in carne aduenerat.* Item Gregorius Naz. *Expers laboris & doloris exstitit integra & incorrupta.* Et rursus: *Virginis ab aluo, prodiit matris suæ. Clausoq; sepulchro surgens exiit, velut antea infracta seruãs claustra quam castissimè.* Item D. Gregorius Nissenus: *Non prius*, inquit, *apertã vuluam Virginalem aperuit,* SIGNACVLA *Virginitatis* ILLÆSA *cõseruans etiam post processum admirabilem.* Item D. Cyrillus Hierosolymitanus: *Solus*, inquit, *Christus citra vllam Virgineorũ claustrorum offensionem in lucem editus est.* Item Amphilochius Episcopus Iconiẽsis: *Ad Virginis*, inquit, *naturã quod spectat, portæ Virgineæ nequaquã fuerunt recluſæ: ad nati verò virtutẽ quod attinet, nihil est illi occlusum, nihil quod illum impediat, sed omnia sunt illi aperta & obuia.* Item D. Chrysostomus: *Credite*, inquit, *in Dominum nostrũ* IESVM *Christum natum de Spiritu sancto, & Maria Virgine. Sed dicturi vobis sunt Gentiles deprauantes fidem vestram: Quomodo potuit Virgo cõcipere, Virgo parere, Virgoq; permanere? Contra naturã est hoc, dicturi vobis sunt; et vos è contrario respõdebitis eis: Credulitas nostra, quod verbis explicare nõ potest, fide tenet.* Item Theodoretus: *Ingressus est*, inquit, *clausis ianuis, quẽadmodum & egressus est ex vtero, cùm claustra Virginis obsisterent, & sicut in mari ingressus est.* Itẽ Theodorus Ancyranus, Galatiæ Episcopus, & in Cõcilio Ephesino clarus: *Audiens*, inquit, *Paganus, quòd Saluator clausa velut ianua sit in mundũ ingressus, qui corpus tamẽ crassum & loci indigum circumferat; audit id quidem, sed non credit miraculo huius rei rationẽ inquirens. Quum verò audit postea, quòd Virgo Saluatorem pariens, Virgo persistat, sermonẽ hunc stultitiæ deputat, ac Deo Deiq; miraculo fidem habere detrectat.* Item Damascenus: *Quemadmodũ qui conceptus est, Virginem cõcipientem seruauit illæsam, sic & natus ipsius Virginitatem seruauit illæsam. Solus transiuit per eam & clausam seruauit. Manet igitur & post partum Virgo & semper Virgo.* Item Euthymius: *Quemadmodum*, inquit, *Christus natus est seruatis integris claustris Virginis, ita quoq; resurrexit seruatis integris monumenti signaculis.*

Homil. in vigil. Pasch.
Homil. 1. ex variis locis.
In Trag. de Christo patiente.
Homil. de occursu Domini.
Orat. de occursu Christi & Simeone.
Oratione de eodem festo.
Homil. 2. in Symbolum.
Dialogo 2.
Serm. de Natiu. Domini.
Lib. 4. fidei, cap. 15.
In caput 28. Matth.

Habes, Fortunate, & Scripturam, & sat etiam multos Patres; quæ duo pro Virginis integritate in partu à me postu-

lasti. Audi nunc etiam testimonium Apostolici Symboli, quod non postulasti; Et, si eam Virginis integritatem negare pergis, fatere te non esse Christianum. Illum enim articulum inter ceteros Christiani omnes credunt & profitentur in Apostolico Symbolo: *Natus ex Maria Virgine.* Negas huius articuli eam vim esse, vt Maria in partu etiam ipso integra fuerit? Audi ergo rursus, vt erubescas, si vlla tibi frons est, D. Augustinũ: *Si*, inquit, *per nascentem corrumperetur eius integritas, nõ iam ille de Virgine nasceretur; eumq; falsò, quod abfit, de Virgine Maria natum tota confiteretur Ecclesia.* Audi etiam D. Ambrosium, qui hanc Virginis integritatem in partu propugnans, vrget quoq; inter cetera hunc Apostolici Symboli articulum: *Si doctrinis*, inquit, *non creditur Sacerdotum, credatur oraculis Christi, credatur monitis Angelorũ, dicentium; Quia non est impossibile apud Deum omne verbũ. Credatur* SYMBOLO APOSTOLORVM, *quod Ecclesia Romana intemeratum semper custodit & seruat.* Audi quoq; D. Chrysostomum, qui similiter articulum illum Symboli Apostolici explicans, integritatẽ Virginis in partu credendam esse cõstanter à Christianis asserit, neq; eam nisi à Gentilibus ac hominibus perfidis, synceram Ecclesiæ fidem deprauantibus, negari posse censet, vt ex eius verbis paulò antè à me recitatis cognouisti.

In Enchirid. cap. 34.

Epist. 81.

Homil. 2. in symbolum Apostol.

Quare pudeat te etiam atque etiam, Fortunate, quòd in re apud Christianos omnes vsq; adeò Scripturæ & sanctorum Patrum testimoniis & ipso Symbolo Apostolico confirmata, ex me semel ac iterum quæsieris, quam Scripturã aut quem antiquum Patrem nostræ assertionis patronum habeamus: *Quos*, inquis, *Patres, patrologi, in caussæ vestræ patrocinium aduocatis?* An vsq; adeò fronte carituras es, vt hanc tuam insultationem testem impudentissimæ insciciæ tuæ relegens, audeas comparere coram illo tuo Domino Petro Beutrichtio, cui tui ostentandi caussâ librum dicasti?

Fol. 10. b & 11. a

Verumenimuerò mihi contra Virginis integritatem, vel ipsi Virgini potiùs, Tertullianũ obiicis. Is enim dicit, Virginem *patefacti corporis lege peperisse.* Et eam fuisse Virginẽ, *quantum à viro, non quantum à partu.* Respõdebo tibi verbis grauissimi & maximè Orthodoxi auctoris Vincentij Lyrinensis: *Si in ipsa*, inquit,

Lib. de carne Christi sub finem.

Lib. aduersus hæres. nouit.

inquit, *vetustate lapsus alicuius vel aliquorum Doctorum deprehendatur; Patrum aliorum eadem de re sententiæ conferantur, atq; ex maiore illorum consensu proposita quæstio iudicetur.*

Intelligis, Fortunate, quid velim dicere: nempe Tertullianum, quia in hac re pugnat eius assertio cum cõmuni sententia aliorum Orthodoxorum Patrum (quorum testimonia recitaui) omninò à veritate aberrasse: quemadmodum etiã in aliis quibusdã rebus errauit, vt nominatim de ipso à Vincentio Lyrinensi notatum est. Sanè vbi quæstio est, quid olim in Ecclesiæ antiquæ consuetudine positum fuerit, grauis est auctoritas Tertulliani, atque etiam in dogmatibus tum cùm ceteri Patres non contrà sentiunt. Si autem ceteri Patres contradicant, nihili pendendum est illius per se testimonium, cum cõstet eum in quibusdam grauissimè errasse. Quare ipse etiam Rhenanus, nomine *Beatus*, recens Tertulliani Scholiasta, quem tu (quasi patronum vestri erroris) commemoras, hanc sententiam Tertulliani de partu Virginis obseruasse; indicat illum in hac re lapsum fuisse, & ei esse condonandum hunc errorem in quæstione non vsq; adeò fusè explicata antiquissimis illis temporibus: *Sed hæc*, inquit Rhenanus, *sunt boni consulenda, præsertim in tam vetusto scriptore.* Quæ tu verba Rhenani dissimulasti. Sed nihil de isto beato Rhenano apud nos minimè sancto laboro.

Obiicis deinde D. Ambrosium, cuius hæc verba de Christo sunt: *Hic solus aperuit sibi vuluam. Nec mirum. Qui enim dixerat ad Prophetam; Priusquam te formarẽ in vtero, noui te, & in vulua matris sanctificaui te: qui vuluam sanctificauit alienam, vt nasceretur Propheta, hic est qui aperuit matris suæ vuluam, vt immaculatus exiret.* Respondeo. D. Ambrosius eodẽ sensu dicit, Christum aperuisse matris vuluam, quo illud scriptũ est à D. Luca ex libro Exodi: *Omne masculinum adaperiẽs vuluam, sanctum Domino vocabitur*; Quod D. Ambrosius maximè à Christo *Sancto Sanctorum* in sui natiuitate factum esse dicit, quodq; etiam D. Lucas ad Christum natũ accommodat. In eo autẽ loco Exodi, & apud D. Lucam, *aperire vuluam* non idem est, quod rumpere sigillum seu clausturũ maternæ Virginitatis, sed nasci & exire primò ex vtero matris.

Lib. 2. in caput 2. Lucæ.

Lucæ 2. Exodi 13.

Quo sensu Christus dicatur aperuisse vuluam.

Hæc prima natiuitas, seu primus exitus prolis ex vtero, significatur metaphoricè per apertionẽ vteri, phrasi, præsertim in Hebraico sermone, vsitata. Quia eñ tũc res aperiri solet cùm aliquid primò ex ea prodit; vt terra, cùm primò fruges erumpunt, & domus cùm qs exit; ideò metaphoricè dicitur vterus aperiri hoc ipso, quod primò edit ex sese fructum prolis.

Quod autem non nisi hoc sensu dicat Ambrosius secundũ Scripturã, Christum aperuisse matris vuluam, his argumentis manifestè probo. I. Id in Scriptura, & apud Ambrosium, est *aperire* vuluam, quod facit nascendo omnis homo masculus primogenitus, immò omne etiam animal masculum primogenitum. Ait enim Scriptura generatim: OMNE *masculinum adaperiens, &c.* Et vt est in Exodo: OMNE *primogenitum quod aperit vuluam tam de hominibus quàm de iumẽtis, &c.* nec aliter quàm Scriptura loquitur D. Ambrosius. At non omne primogenitum, immò nullũ primogenitum solet dum nascitur rumpere claustrum matris, cùm iam hoc in conceptione ruptum sit, vt etiam notauit Origenes. Igitur non hoc est in Scriptura, & apud D. Ambrosium, *aperire* vuluam: sed primò prodire ex vtero (vt diximus) quod facit omne primogenitum hoc ipso quod nascitur. Atq; hoc quidem sensu eo cõmodius & verius per metaphoram dici Christus potest aperuisse matris vuluã, quòd solius Virginis vterus inter matres omnes, quę vnquam fuerũt, est alioqui omninò clausus, vt Hieronymus & Origenes annotarunt. II. Apertionem vuluæ metaphoricè dici eo sensu, quo exposui, inde confirmatur, quia nec semper aliàs *apertio* vuluæ propriè in Scriptura dicitur, sed quandoq; etiam conceptio ipsa siue facultas quædã concipiendi, apertio vuluæ in Scriptura metaphoricè nominatur. Vt vbi legimus de Lia: *Aperuit Dominus vuluam eius, sorore sterili permanente.* Et rursus: *Recordatus Dominus Rachaelis, exaudiuit eam, & aperuit vuluam eius.* III. Diuus Ambrosius per *apertionem* vuluæ, quæ ad partum etiam Virginis accommodatur, non id intelligit, secundum Scripturam, quod ipse multis aliis in locis apertissimè negat Virgini in partu contigisse. At negat euidentissimè in pluribus locis superiùs à me recitatis, claustrum Virginis fuisse in partu

Homil. 14. in Lucam.

Hierony. lib. 2. contra Pelag.

Origen. homil. 14. in Luc.

Genes. 29.

Genes. 30.

Epistol. 81. Et lib. de Instit. Virginis, cap. 7. & 8.

partu patefactum. Igitur non hoc intelligit per apertionem vuluæ, sed illud aliud quod explicauimus. Et certè vel hoc vnicum argumentum conuincit, & te, Fortunate, impudenter feciſſe, quòd Ambroſium contra Virginis integritatem opponere auſus fueris, & Rhenanũ illum Tertulliani Scholiaſtam imperitè dixiſſe, Ambroſium Tertulliano in hac re ſubſcribere. IIII. Apertionem vuluæ, quæ ad partum etiam Virginis accõmodatur, non eo modo interpretari debemus, qui pugnet cum ſententia tot illuſtrium Patrum, quot paulò ſuperiùs pro integritate Virginis in partu citauimus. V. Accedit, quod iſtud ipſum tuum argumentum ex apertione vuluæ petitum, Patres etiam, vt occurrant cauillationibus hoſtium integritatis Virginis (qualis es tu miſer Fortunate) ſibi proponunt, & ſoluunt eodem modo quo nos. Sic enim Amphilochius Iconiẽſis Epiſcopus, & Baſilij æqualis, inquit: *Aſt cauillator quiſpiam poſſet hîc obiicere, ſi illud; Omne maſculinum, &c. ad ſolum Dominum propriè ſpectat* (explicauerat ibi quomodo de Chriſto maximè dici poſsit, quod vuluam matris aperuerit) *conſequens fit, Virginem non manſiſſe Virginem. Verùm audi*, inquit, *& intellige prudenter: ad Virginis quidem naturam quod attinet, eius voluntate, qui ex ea natus eſt, clauſtra illius nequaquam fuêre patefacta. Ad nati verò Domini virtutem quod attinet, omnia illi ſunt aperta & obuia.* Quibus verbis hîc Pater explicat, *aperire* vuluam, fuiſſe, exiuiſſe ſupernaturali virtute ex vtero quamtumuis clauſo. Quod profectò ſimiliter D. Hieronymus intellexit, cùm in vno quodam loco, & Chriſtum aperuiſſe vuluam Matris dicit, & tamen clauſtrum Matris non fuiſſe ruptum: *Solus Chriſtus*, inquit, *clauſas portas vluæ virginalis aperuit, quæ tamen clauſæ iugiter permanſerunt. Hæc eſt porta orientalis clauſa, per quam ſolus Pontifex ingreditur & egreditur, &* NIHILOMINVS SEMPER CLAVSA *eſt.* Ita D. Hieronymus. Tum etiã venerabilis Beda: *Quod ait*, inquit, *adaperiens vuluam, conſueto natiuitatis more loquitur: non quod Dominus noſter ſacri ventris hoſpitium quod ingreſſus ſanctificaret, egreſſus deuirginaſſe credendus ſit, iuxta hæreticos* (audi Fortunate) *qui dicunt, B. Mariam Virginem fuiſſe vſque ad partum: Sed iuxta* FIDEM CATHOLICAM, *clauſo Virginis vtero, quaſi ſponſo ſuo proceſsiſſe de thalamo.*

Orat. de occurſu Chriſti & Simeone.

Lib. 2. contra Pelag.

In cap. 2. Lucæ.

Nisi igitur, Fortunate, in hac etiam quæstione hæreticus haberi velis, integritas Virginis in partu, quam docet fides Catholica, in posterum tibi credenda est. Nam quod ad extremum ex Tertulliano obiicis propter patefactum vterum in partu, Apostolum scripsisse, Christum non ex Virgine, sed *ex muliere factum*, quà homo est; omninò nihil habet ponderis. An enim Virgo, si fuerit etiam integra in partu, mulier non est? Adde quòd si *mulier* ibi Apostolo est fœmina non integra, ne in conceptione quidem Virgo integra fuerit: nam maximè etiam in cõceptione significat Apostolus, Christum, quà homo, fuisse ex muliere factum, ac proinde esse verũ hominem. Sed de errore Tertulliani in hac parte suprà dictum est. Et hæc hactenus pro asserenda Virginis integritate contra vestram hæresim sufficiant.

Fol. 11. a

Galat. 4.

Pag. 59.

PORRO insinuaueram quoque in disputatione mea aliud quoddam exemplum, ex quo intelligi posset, plura corpora in vno & eodem loco per penetrationem esse posse; atque adeò neque videri debere penitus impossibile, vt contrà etiam, vnum corpus sit in pluribus locis; neq; esse necessarium, vt vnum corpus circumscribatur simpliciter vnico loco, sicut Sacramentarij imperitè contendunt. Nam cœlos (inquam) incorruptibiles Christus penetrauit. Quanquam non Vrsi quidem hoc exemplum, cùm alia sufficiant, de quibus hactenus disputatum est. Hîc iste ex me ita quærit:

FORTVNATVS *fol. 11. b* *4. phys. text. 76. 8. phys. com. 78.* GREGORIVS.

Nunquámne legisti, ignẽ aërem, aquam locum corporibus cedere, seu, vt Aristoteles loquitur, μετάστασιν habere? & hãc cæli, qui, Cõmentatore teste, simplices materiæ sunt, non habebunt?

Ergóne tibi, Fortunate, cœli aërei, vel aquei, vel ignei, vel certè, rari, & permeabiles sunt, vt possint instar aëris loco cedere? Vbinám hoc legisti in Aristotele, vel in Commentatore? Non enim hoc idem est, atque esse simplices materias, neq; ex materiæ simplicitate hoc sequitur, immò potius contrarium sequitur, cùm soliditas perfectio non parua sit corporis, quæ proinde cum perfectione simplicis materiæ optimè congruit. quanquam & hæc ipsa opinio Commentatoris, quæ compositionem cœlis detrahit, à communi schola Philoso-

losophorum est explosa. Quantò verius ita philosophareris: Quæ corpora sunt permeabilia, ea per aliquã diuisionem alterari & corrũpi possunt, vt videmus in aqua, & in igne, & in aëre. Cœli nullo modo alterabiles & corruptibiles sunt, teste Philosopho. Non igitur sunt permeabiles, sed omninò solidi.

Sed age, mittamus Aristotelem, ex cuius sententia fortasse ista quæstio non planè euidenter definiri potest: consulamus sacras literas, num de cœlis tanquam de raris corporibus loquantur, an potius tanquam de solidis? In libro Iob ita legimus: *Forsitan cum* DEO *fabricatus es cœlos, qui solidissimi, quasi ære fusi sunt?* Etsi autem Eliud est qui loquitur, tamen hæc eius sententia neque à Iob, neque à DEO reprehensa est. Quin potius confirmasse illam Deus videtur, cùm postmodum ipse ad Iob inquit: *Quis enarrabit cœlorum rationem, & concentum cœli quis dormire faciet?* Non enim esse sonus siue concentus potest in motu, nisi vbi corpus aliquod est solidum; neque iuxta cœlestia corpora sunt aliqua alia corpora solida præter ipsos cœlos. Item dicit Dauid: *Verbo Domini cœli firmati sunt.* Et Salomon: *Tu exaudies de cœlo firmissimo habitaculo tuo.* Et rursus: *Dominus sapientia fundauit terram, stabiliuit cœlos prudentia.* Et Isaias: *Cœli sicut fumus liquescent.* Et D. Paulus: *Habentes ergo Pontificem magnum qui penetrauit cœlos,* IESVM *Filium Dei.* An rectè corpus non solidum fabricari, firmari, firmissimum esse, stabiliri, liquescere, penetrari, diceretur? Vides igitur, Fortunate, te neque Philosophum esse bonum, neq; Theologum sacrarum literarum peritum. Sed inquis:

Iob c. 37.

Iob 38.

Psalm. 32.

2. Paralyp. 6.

Prouerb. 3.

Isai. 51.

Hebr. 4.

Equidem mirari satis non possum, qui tum cœlos, tum fores obseratas, ceteraq; id generis ad μετουσίας *patrocinium torqueas: quæ ad* συνουσίαν *potius quadrare videntur.*

FORTVNATVS *fol. 11. b*

Non hoc iam ago his exemplis, vt μετουσίαν, id est, transubstantiationem confirmem: ea enim ex vi verborum Christi satis à me suprà confirmata est; sed vt ostendam, imperitissimam esse vestram pertinaciam, quòd existimatis, circumscriptionem in vno tantùm loco ita necessariò conuenire vni corpori, vt nec per potentiam DEI absolutam, possit corpus vnum in pluribus locis præsens esse. Neq; est verum quod ais; ideò

GREGORIVS. *Lib. 2. c. 2.*

Fol. 11. b ideò à Theologis ſubſtantiam panis in Euchariſtia negari, vt incommodum penetrationis corporum vitetur. Non hæc eſt cauſſa, ſed vt verbis Chriſti ſua conſtet veritas, quæ tollitur planè, ſi cùm Chriſtus orationem illam finiuit; *Hoc eſt corpus meum*; ibi fuit panis, quemadmodum ſuperiùs demonſtraui. De Guitmundi autem argumento, quod commemoras, non laboramus. Neque enim omnia auctorum argumenta ſuſcepimus defendenda.

Lib. 2. c. 2.

III. Tertium argumentum duxi ab auctoritate ſanctorum Patrum, quod malo meis verbis, quàm tuis referre. Sancti, inquam, Patres rem quidem maximè admirabilem eſſe agnouerunt, vt corpus vnicum adſit diuerſiſsimis in locis: Sed eiuſmodi tamen rem hanc eſſe confeſsi ſunt, quæ fieri prorſus poſsit, immò quæ ſummo DEI beneficio fiat in Euchariſtiæ celebratione quotidie. In quo genere præclara eſt valdè diui Chryſoſtomi oratio: O, inquit, *miraculum! O Dei benignitatem! Qui cum Patre ſurſum ſedet, in illo ipſo temporis articulo omnium manibus pertractatur.* Tum Gregorius Niſſenus rectiſsimè: *Sicut diuinitas*, inquit, *replet mundum, & tamen vna eſt; ita innumerabilibus locis conſecratur, & tamen vnum corpus eſt.* Hæc ille, qui exemplo certè eſſet vſus minimè accommodato, niſi ſenſiſſet variis locis poni Chriſti corpus per conſecrationem ſubſtantialiter in Sacramento præſens, quemadmodum ſubſtantialiter omninò replet mundum diuinitas. Item Baſilius, ſic ad Chriſtum precatur: *Veni ad ſanctificandum nos, qui* SVRSVM *Patri conſides, & hic nobis inuiſibiliter coës; & dignare nobis impartiri ſacroſanctum tuum corpus & pretioſum ſanguinem.* Tum Ambroſius: *Chriſtus ipſe offertur*, inquit, IN TERRIS, *quando Chriſti corpus offertur.* Sic Ambroſius, qui procul dubio non ignorauit, Chriſtum tum etiam, cùm in terris offertur, eſſe in cœlis. Et alio loco ſententias eorum Patrum citauimus, qui cùm locum epiſtolæ ad Hebræos de vnica Chriſti oblatione in cruce interpretantur, diſertè fatentur vnum atque eundem Chriſtum eſſe, qui multis in Eccleſiæ locis *plenus hic & plenus ibi offeratur*, atque adeò habeatur in tremendis myſteriis præſens: *Vnum eſt*, inquit Chryſoſtomus, *hoc ſacrificium: alioquin hac ratione, quoniam multis in locis offertur.*

Pag. 61. & 62.

Lib. 3. de Sacerdotio ſub initium.

In ſerm. de Paſch.

In liturgia.

In Pſalm. 38.

In lib. de ſacrificio Miſſæ, c. 5.

Hom. 17. in epiſt. ad Hebr.

tur, multi Christi sunt? Nequaquam. Sed vnus vbiq; est Christus. & hîc plenus existens, & ILLIC *plenus: vnum corpus. Sicut enim qui vbiq; offertur, vnum corpus est & non multa: ita etiam & vnum sacrificium.* Augustinus etiam, tanquam de re tractans quæ diuinitùs omninò fieri possit, quærit in quodam loco, vtrum Sancti vita defuncti, eorum necessitatibus, qui ipsos inuocant, sic opitulentur, vt ad eam rem diuersissimis etiam in locis simul adsint spiritu suo præsentes. Quod certè non videtur esse facilius, quàm vt substantia etiam vnius corporis, modo præsertim spirituali atque inuisibili, vt fit in Sacramento, constituatur diuinitùs diuersis in locis. Ad hæc & alia huius generis testimonia Patrum ita respondet Fortunatus:

Lib. de cura pro mortuis gerenda, cap. 16.

Patres, inquit, *his & aliis nihil aliud volunt, quàm Christum vero suo corpore sursum in cœlo esse, & nihilo seciùs etiam hîc in terra, manibusq; nostris pertractari, quia Sacramentum corporis, sanctus panis & vinum manibus pertractatur.*

FORTVNATVS *fol. 12. a*

At Patres rem admirabilem esse censent, vt corpus Christi, quo tempore sursum in cœlo est, eodem tempore in terra nostris manibus pertractetur. Nullum autem miraculum est, eodem tempore rem aliquam in vno loco esse, & eiusdem rei signum esse in alio loco. Non igitur tantummodò volunt Patres eodem tempore corpus Christi esse in cœlo, & eius signum seu Sacramentum in terra manibus nostris pertractari (vt vos Sacramentarij dicitis) sed ipsummet corpus Christi quod est in cœlo, esse simul præsens apud nos in Eucharistia, & manibus nostris pertractari. Sed inquis:

GREGORIVS.

Nónne cùm Patres corpus Christi videri, tangi, frangi, in cœna dicunt: cùm dentes carni Christi infigi scribunt, Sacramentaliter loquuntur? nónne præter alia totum certamen ab anima geri Chrysostomus scribit? nónne aquilarum, non graculorum hanc mensam esse docet: ideoque ad supremum vsque thronum nos vult euolare? nónne vnanimi consensu omnes, corpus Christi cibum mentis non ventris esse docent; qui interioris non exterioris hominis esuriem quæ-

FORTVNATVS *fol. 12. a*

Hom. 45. in Ioan. In 1. Cor. hom. 24. hom. 17. ad Hebr.

rat, qui mente non ventre contingendus, eoque spirituali non corporali ratione in cœna præsens sit?

GREGORIVS. Ex his omnibus, Fortunate, duo tantummodò efficiuntur. Alterum est, corpus Christi in Eucharistia non ordinario modo & aspectabili, sed sub aliena specie (nempe in Sacramento) esse, videri, tangi, & manducari. Alterum est, corpus ipsum Christi in Sacramento sumptũ non esse quidẽ corporis proprium cibũ, qui scilicet in substantiam corporis cõuertatur & ita corpus alat, sed animi, quem fide & charitate præparatum, spirituali gratia diuinitùs nutrit. Sed tamen hæc minimè impediunt, quò minùs hîc ipse cibus spiritualis animorum præsens in Eucharistia sit atque percipiatur, ita scilicet, vt Christi corpus non eminus è cœlo, sed in ipsa Eucharistia existens, eam vim spiritualiter animos pascendi exerceat. Immò cùm Patres dicunt, corpus Christi in Sacramento videri, tangi, atteri, & frangi, hoc ipso manifestè significant, ipsum corpus Christi reuera præsens adesse sub speciebus Sacramenti. Sensus enim est, corpus Christi non minus præsens subesse (excepta tamen inhærentia) illis accidentibus, quæ tanguntur, & atteruntur, & franguntur, quàm subest aliqua alia substantia suis accidentibus, secundum quæ tangitur ipsa, & atteritur, & frangitur. Certum enim alioqui est ipsum per se corpus Christi non atteri, neque frangi. Atque ita etiam forma confessionis, quæ Berengario ab Ecclesia sub huiusmodi verbis proposita est, intelligi debet, vt rectè etiam diuus Thomas exposuit, & nos hoc totum suprà declarauimus.

Qua ratione Christus sit cibus non ventris sed mentis.

3. p. q. 77. ar. 3. ad 3. Lib. 1. c. 5.

FORTVNATVS fol. 12. a De conf. d. 2. *Verùm audi*, inquis, *vnicum ex Decretis vestris Emissenum: Cùm ad Reuerendum*, inquit, *altare cibis spiritualibus satiandus, ascendis, sacrum* DEI *tui corpus & sanguinem fide respice, honora, mirare, mente continge, cordis manu suscipe, & maximè totum haustu interioris hominis absume.*]

GREGORIVS. Quid hæc Emisseni sententia vestram causſam iuuat? Solum enim docet quod iam antè explicaui, corpus ipsum & sanguinem Christi nõ esse cibum qui nutriat modo consueto substan-

substantiam corporis, sed qui animos spiritualiter pascat. Hoc autem ipsum facit in Sacramento reuera existens, vt ex Christi verbis, & ex sententia totius Ecclesiæ Catholicæ manifestè suprà ostendi. Addis: *Lib.* 1.

Quod ex Augustino de cura pro mortuis agenda citas, ad rem nihil planè facit, quòd nec consequentia, quam extruis, firma sit, nec Authenticus ille liber, quod etiam de Basilij Liturgia tibi respondemus. FORTVNATVS *fol.* 12. *a*

O Censorem librorum egregium! Quis vnquam præter te dubitauit, num sit Augustini ille liber de cura pro mortuis gerenda, qui Augustino inscribitur? Respondeat igitur tibi pro libro suo ipsemet Augustinus, & retundat temeritatem tuam, quòd tam impudenter pronuncies de rebus quas ignoras tam turpiter: *Librum*, inquit Augustinus, *de cura pro mortuis gerenda scripsi, cùm interrogatus literis fuissem, vtrum prosit cuique post mortem, quòd corpus eius apud Sancti alicuius memoriam sepeliatur. Hic liber sic incipit: Diu sanctitati tuæ, Coëpiscope venerande Pauline.* Hactenus Augustinus, qui certè hoc testimonio suo multum tibi auctoritatis apud Patronum illum tuum Petrum Beuchtricium meritò detrahet. Basilium quoque Liturgiam scripsisse testantur ducenti & viginti septem Patres in Synodo Trullana, & eius atq; aliarum Liturgiarũ auctoritatem asserit Claudius de Saínctes in præfatione sua ad Græcorum Liturgias. Ais autem: GREGORIVS. *Lib.* 2. *Retract. cap.* 64. *In sexta Synodo, can.* 32. *in Trull.*

Interim nec illa quæ ex Augustino, nec illa quæ ex Liturgia, Basilij verba, citas, nos quidquam lædunt: Veni, ait, ex Liturgia, ad sanctificandum nos, qui sursum Patri consides, & nobis inuisibiliter coës: & dignare nobis impartiri sacrosanctum tuum corpus & pretiosum sanguinem.] Qui sursum sedet, quà homo est, is nobis inuisibiliter adest, quà Deus est. Quòd si de corporis non aspectabili illa vestra præsentia id accipias, Basilium, quæso, cum Chrysostomo concilia, qui corpus Christi videri & tangi scribit. FORTVNATVS.

Nihil facilius conciliari potest. Est enim corpus Christi in Sacramento inuisibile secundum se, iuxta Basilium; & tamen tangitur & videtur iuxta Chrysostomum non secundum se, GREGORIVS.

sed secundum id cum quo est reipsa intimè cõiunctum, nempe secundum species ipsas Sacramenti. Ineptum aũt est quod exponis, Basilium de Christo non secundum humanitatem loqui, cùm ait, illum nobis inuisibiliter coniungi: Loquitur enim de illo ea ratione, qua in cœlo etiam sedet, nempe secundum humanitatem, vt patet. At inquis:

FORTVNATVS *fol. 12. b*

Præsens Christus suo corpore est in tremendo cœnæ mysterio duobus modis: Sacramentaliter & κοινωνικῶς.

GREGORIVS.

Quid autem est, Fortunate, *Sacramentaliter* esse Christum præsentem in Eucharistia seu sacra cœna? Nos Patribus assentimur, qui censent, non id esse, abesse illum ab Eucharistia, vt vos præsentiæ vocabulo abutentes fingitis, sed esse illum reipsa in Eucharistia, tametsi non in propria, sed in aliena specie Sacramenti. Imperitè autem & illud ex me interrogas:

FORTVNATVS.

Quomodo, inquis, *Gregori, illud Chrysostomi vobis placet, hîc plenus existens, & illîc plenus? aduerbia ista, hîc, illîc, locum denotant. Est né igitur arcanum illud & Sacramentale vestrum corpus in loco?*

GREGORIVS.

Omninò, Fortunate. At non per se, sed per accidens seu ratione Sacramenti cui præsens reipsa subest. Atque hoc significat ibi diuus Chrysostomus, condemnans hæresin vestram.

Hom. 17. ad Hebr.

IIII. Quartum argumentum meum constabat ratione, qua ostendi non implicare contradictionem, ac proinde fieri posse, vt vnum corpus in diuersis locis simul præsens sit. Quod argumentum meum miserabiliter sanè Fortunatus intellexit, & idcircò etiam perturbatè ac infideliter retulit. Summa, vt breuius rem complectar, hæc fuit. Omne accidens rei, quod sit nimirum extra rei essentiam, & ipsa re naturâ posterius, potest sine contradictione diuinitùs in re multiplicari salua rei vnitate. Præsentia corporis in loco est accidens corporis extra essentiam illius & eo posterius. Ergo præsentia corporis in loco potest sine contradictione diuinitùs multiplicari in corpore salua corporis vnitate, ita scilicet vt vnum & idem corpus sit præsens in multis locis. Maior propositio patet.

Fol. 12. & 13.

Quare sine contractione vnum corpus possit esse in pluribus locis.

Nam

Nam cùm id quod est prius & id quod est posterius, non sint essentialiter idem; non hoc ipso quòd multiplicatur posterius multiplicatur prius; ac proinde non est contradictionis implicatio, posterius multiplicari priori non multiplicato. Minor propositio inde etiã patet, quòd potest Deus aliquod corpus condere sine omni præsentia & circumscriptione in loco: Vt si vnicum tantummodò lapidẽ creasset, aut iam crearet vnum lapidem extra mundi orbem: sicut etiam creauit ipsum orbem mundi absq; loco, in quo circumscriberetur, & absque præsentia in aliqua alia re corporali, quæ sit extra ipsum. Est igitur præsentia & circumscriptio in loco corporeo accidens extrinsecum essentiæ corporis & naturâ posterius corpore.

Ad hoc argumentum respondet inprimis extra propositum Fortunatus, circumscriptionem ac præsentiam in loco non esse accidens COMMVNE corporis: *Est enim*, inquit, *circumscriptio essentiale corporis accidens, quod illi per se conuenit secundo modo. essentiam quidem corporis non constituit, quã corpus à trina dimensione habet, sed hanc trinam dimensionem & formã corporis circumscriptio ex necessitate sequitur, simulq; cum illa tempore est.* FORTVNATVS *fol.* 12. *b*

Ego verò in argumento meo non sumpsi, præsentiam aut circumscriptionem corporis in loco esse accidens commune corporis, vt mihi mendaciter, & simul miserabiliter affinxit Fortunatus, quò aliquid haberet ad quod respondere posset. Sed sumpsi absolutè, præsentiam corporis in loco esse accidens corporis extra illius essentiam, & eo naturâ, non tempore posterius. Hoc verisimum est, quantumuis sit etiam accidens corporis (quod quidem in orbe contineatur) proprium, ex essentia illius fluens, atque eatenus *essentiale*, vt iste ineptus nomenclator vocat. Id autem mihi satis fuit vt concluderem, posse id accidens, quandoquidem extra essentiam corporis, & corpore posterius est, sine contradictione multiplicari non multiplicato corpore. Quamuis enim accidens proprium siue propria rei passio nequeat naturaliter multi- GREGORIVS. *Ibidem.*

plicari re non multiplicata, nihil tamen obstat, quò minus possit hoc fieri per potentiam Dei absolutam. Nec verò cùm istud in proposito fit, separatur circumscriptio in vno tãtùm loco, à corpore, qua ratione est corporis propria passio, hoc est, quantum est ex vi naturali corporis, vt initio huius capitis ostendi: nõ enim ex natura sui corporis est iam Christus amplius quàm in vno loco, sed planè supra naturam; sicut est etiam impassibilis, licet pati & corrumpi posse, sit alioqui propria passio sublunaris corporis, quale Christus habet. Quanquam etiam suprà initio huius capitis ostendimus, posse sine contradictione actu separari à subiecto propriam passionem, tametsi nequeat ab eo separari potẽtia seu aptitudo ad illam, vt quæ nihil aliud est, quàm ipsa subiecti essentia. Quocirca frustrà & præter rem iste ex Aristotele & Tertulliano nobis hoc loco probare nititur, præsentiam & circumscriptionem in loco esse proprium accidens corporis, quod proinde coniunctum sit cum trina dimensione, sicut visibile cum forma hominis. Nihil enim argumento meo id obstat. Augustinus autem cùm dicit: *Si nusquam erunt corpora; neq; erunt*; non secundum Dei potentiam absolutam, sed secundum ipsius rei quasi naturalem legem, loquitur, vt in disputatione mea ex ipsa disputatione Augustini probaui, & iste paulò inferiùs repetet.

Fol. 13. a
Lib. 4. Phys. textu 23.
Lib. contra Hermogenem.
Epistol. 57. ad Dardanum.
Pag. 65.

Deinde ad id, quod in confirmatione argumenti mei sumpsi, potuisse Deum corpus aliquod solum creare, puta vnicum lapidem aut lignum, sine omni loco, ac proinde præsentiam in loco quiddam extra essentiam corporis & corpore posterius esse. Respondet Fortunatus verbis Græcis, sine alio mysterio prorsus quàm quod voluit, vt ij saltem, qui nescirent Græcè, nescirent etiam nihil ipsum habuisse planè quod responderet: *Respondemus*, inquit, τῇ νοήσει πίστευειν ἀτοπον. οὐ γὰρ ἐπὶ τὸ πράγματος τοῦτο. Id est: *Huic cogitationi credere, absurdum. Non enim ad rem hoc.*

FORTVNATVS *fol. 13. a*

Quid igitur? Non vis credere, Deum potuisse vnicum tantùm lapidem, aut vnicum lignum creare, sicut creare potuit

GREGORIVS.

vniuer-

vniuersum mundum? Hoc certè non credere, perfidia manifesta est; & dicere Græcè, sicut tu dicis, absurdum esse id credere, manifesta est etiam blasphemia Græca. Extra rem autem illa subiungis:

Immutabilis igitur Dei ordo nobis seruandus, non conuellendus est, qui etiam conuelli sine contradictione non potest. Quod si conditum eiusmodi Gregorianum, vel potiùs Melissianum (à Melisso enim & Parmenide, id mutuatus est Gregorius) corpus fuisset, trina dimensione, siquidem corpus fuisset, præditum fuisset: eoq; terminatum, circumscriptum, & in loco necessario, cùm dimensiones sine loco & circumscriptione nec consistere nec intelligi queant. FORTVNATVS fol. 13. a

Ego verò non à Melisso vel à Parmenide, sed à Gabriele Archãgelo, immò à Christo didici, *Non esse impossibile apud Deum omne verbum*; id est, nihil non posse Deum facere, quod sine contradictione possit intelligi ac mente concipi. Tale autem esse, vt vnum aliquod corpus solum fuerit conditum, aut nũc extra orbem condatur, absque omni reali & vero loco, cui præsens sit; quis præter te, Fortunate, qui intellectu carere videris, non intelligit? Mirificè verò cæcus es, qui non aduertas, te sine fundamento, immò sine mente dicere: *Si conditum esset aliquod eiusmodi corpus Gregorianum*, quale nimirum ego dico, nempe vnicum & solitarium, illud necessariò futurum fuisse in loco circumscriptum. Vbinám esset locus circumscribẽs, si vnicum tantummodò corpus conditum esset? Nónne locus circumscribens definitur esse superficies corporis continentis? Quomodo igitur esset locus circumscribens aliquod corpus, si non essent duo saltem corpora, quorum alterum contineret, & alterum contineretur? Aut quæ ratio Deum coget, vt si vnicum corpus condere vellet, conderet etiam alterum ab eo diuersum & planè extra essentiam eius? GREGORIVS. *Matth.* 19. *Luc.* 1.

Quod autem ais, Dei ordinem immutabilem esse, neque conuelli posse; nihil aut te iuuat, aut meæ hypothesi obstat, qua pono, potuisse Deum vnicum solum corpus creare. Nam immutabilitas ordinis diuini efficit quidem, vt quod Deus decreuit Quomodo intelligi debeat, ordinem Dei esse immutabilem.

decreuit facere, certò faciat, & quod decreuit non facere, certò etiam non faciat; sed nihilominus tamen, cùm Deus sit infinitè potens, & in agendo liber, potest absoluta potentiâ sua multa non facere quæ facit, aut secus facere quàm facit, & multa etiam facere quæ non facit; ex quorum numero est etiam, vt vnicum tantummodò corpus cõditum esset. Quod si in aliqua re singulari aliquid absoluta potentiâ faciat, præter modum ordinarium rerum aliarum eiusdem generis, minimè id quidem facit contra decretum suum immutabile. Intelligendum enim tunc erit, eum iam inde ex æterno decreuisse in ea re singulari secus, quàm in aliis facere, ac proinde eam excepisse à lege ordinaria aliarum sui generis. Quo fit, vt nihil Deus in suo decreto mutet propterea quod aliquid extraordinariè faciat. Ita igitur & corpus Christi præter legem naturalem aliorum corporum sistit Deus admirabiliter diuersis in locis in Eucharistia, salua prorsus decreti sui diuini immutabilitate.

Pag. 64. & 65.

V. Id etiam vt fieri posse probarem, ex istis postulabam, vt mihi demonstrarent quamobrem, vel, vt pressiùs vrgeam, quam ob rationem propriè nequeat corpus vnum in pluribus locis adesse simul? An quia vnum? At Deus (quod est ad hanc ipsam rem exemplum D. Gregorij Nisseni) multò magis vnum quiddam est; & est tamen totus diuersissimis in locis. An quia est vnum aliquid, quod est finitum atque creatum? At substantia rerum finitarum non loco propriè, sed suo genere atque differentia finitur, vt suam ita tantùm non aliarum rerum omnium perfectionem contineat. Ex qua re fit, vt si corpus vnum sit totum in pluribus locis, nihilominus sit finitum. Nam & anima vnum quiddam finitum atq; creatum est, & est tamẽ tota diuersissimis in partibus. Angelus etiam, cùm sit creatura, differẽtibus tamen in rebus sistere sese præsentem potest, in vnaquaq; totum. Sed hîc dicetur, neq; Angelum, neq; animam adesse partibus aut rebus sic inter se dissitis, quomodo distant loca, in quibus affirmamus nos adesse simul Christi corpus. Certè nihil obstat, quò minus in diuulsis etiam à se inuicem partibus, & alibi, atque alibi collocatis, posit

Sermone de Pasch.

posit diuina virtute anima prę sens (vt erat in iisdem partibus coniunctis prius) retineri, sublata tantùm informatione. Sic etiam Angelus, qui in duabus rebus coniunctis, & in vnaquaque earum totus existit, persistere diuinitus in iisdem tunc etiam posset, cùm altera ab altera procul remoueretur. Hoc si absq; repugnantia conuenire potest vni spiritui, cur nõ etiam vni corpori eadem Dei virtute posit accidere, prę sertim prę sentiæ modo neq; locali prorsus, neque visibili?

Respondet ad hæc Fortunatus, ideò vnũ corpus non posse esse in pluribus locis simul, quia sequeretur, esse vnum, & non esse vnum: *Caussa est*, inquit, *quia in loco esse, essentiale corporis, vt dixi, accidens est, quod illi inest secundo modo per se. Huius essentialis accidentis (sic enim à Commentatore appellatur, eò quòd essentiam cõsequitur) ea ratio est, vt multiplicari nequeat, nisi multiplicata forma, cuius indiuiduus comes est.* FORTVNATVS fol. 13. b

Est ita quidem secundum rei naturam & legem ordinariam. At secundum potentiam Dei absolutam, & supra rei naturam secùs fieri potest, hoc ipso quod eiusmodi accidentia omnia sunt extra rei essentiam quantumcunq; manent ex essentia, vt iam antè ostendi aliquoties. Sed inquis: GREGORIVS.

Finge, Gregori, corpus tuum in duobus simul locis reuera esse, in auditorio, & domi in Musæo; aliquem prætereà esse, qui tè in auditorio conspicatus, etiam domi videat, certusq; sit, te verè vtroq; in loco esse; quid putas Gregori, hunc de te pronunciaturũ? vnúmne vtrobiq; corpus esse? nequaquam. dicet quidem: hic est Gregorius, iste quoq; est Gregorius; sed non est vnicum Gregorij corpus. quid igitur? Gregorium duo corpora habere dicet: sic vnus quidem Christus erit, sed diuersa corpora habens, si diuersis simul præstò sit in locis; vnum autem & multa, seu non vnum, contradictionem implicant. FORTVNATVS fol. 14. a

Ostendit hîc tuus in me iocus, Fortunate, quàm disputes imperitè & sine probatione. Quomodo eñ probas, eum, qui me ipsum in Musæo & in auditorio simul videret, dicturũ, habere me duo corpora, ac similiter Christum, si in diuersis sit GREGORIVS.

locis? Equidem nullam aliam probationem huius rei à te adferri video, nisi quod dicis, NEQVAQVAM dicturum, habere me vtrobiq; vnicum corpus. Ego autem & dico & probo, illũ, nisi fortè Fortunatus aliquis esset, qui non mentis, sed oculorum tantùm iudicio vtatur, planè dicturum, nõ duo corpora, sed vnicum vtrobiq; me habere. Nam diceret (vt tu ipse concedis, & ipsa hypothesis casus ponit) vtrobiq; esse vnũ illum Gregorium, quem antè cognouisset. At hic ipse vnus Gregorius vno tantùm ex corpore constat. Ergo diceret vtrobique Gregorium habere vnũ corpus. Eodem igitur modo: Si vnus Christus (vt tu etiam loqueris) in diuersis locis sit, non nisi vnum corpus in diuersis locis habebit. Addis porrò:

FORTVNATVS *fol.* 14. *a* — *Aequalitatis, quam huc arcessis, relatio nimis etiam vana est. primò enim totum subiectum non occupat, vt tu ipse sentire videris; dein' si maximè occuparet, alia tamen relationis, quæ infirmum accidens est, quàm præsentiæ in loco ratio est, cùm illa accidens commune sit, hæc essentiale.*

GREGORIVS — Obsecro verò, quid tibi fecit ipsa relatio æqualitatis, vt *eam* appelles *vanam?* Vis autem dicere, vanam fuisse accõmodationem eius exempli ad propositum. Est autem similitudo apposita. Primùm enim, sicut præsentia in loco, ita etiã æqualitas totum subiectum occupat, neq; ego visus sum id negare, *Pag.* 64. vt tu cauillari videris, sed id affirmaui disertis verbis. Deinde æqualitas hoc ipso quod est accidens, atq; adeò extrinsecum quiddã essentię corporis, potest multiplicari in corpore, non multiplicato corpore. Quare cùm præsentia etiam in loco cõueniat cum æqualitate in ratione accidentis; eo ipso quoque multiplicari poterit sine contradictione in corpore, nõ multiplicato corpore; quantumuis differat alioqui ab æqualitate, quòd ipsa sit accidens proprium corporis trina dimensione præditi, non autem æqualitas. Mitto, te ineptè & præter morem communem Philosophorum cum tuo Cõmentatore dicere *accidens essentiale*. Non eñ volo de verbis pugnare. Ad rationem deinde meam, qua ex similitudine Dei & Angeli, ac animæ, confirmaui, non ideò corpus vnum in pluribus locis esse

esse non posse, quia vel sit vnum, vel quiddam finitum & creatum: quandoquidem Deus, qui vnus est, est totus in pluribus locis, & anima etiam tota in pluribus corporis partibus, licet sit finita & creata; ita respondes:

Deus, inquis, *infinitus est, & ὑπ simplicissimum, quod nullam planè compositionem admittit; Substantia finita simplex suâ naturâ finitur, sed corpus finitum naturâ & loco. nec Deus igitur, nec Angelus, aut anima, ad præsentem de corpore pertinet disputationem, quia non quæuis vnitas & terminatio, sed corporata huic tuæ officit præsentiæ.* FORTVNATVS fol. 14. b

Concedis igitur, nesciens quid concedas, conclusionem rationis meæ: nempe, non ideò corpus in pluribus locis præsens esse nonposse, quia sit vnum, vel quia sit finitum, siue terminatum. Quod autem neq; ideò non possit, quia est corpus; inde etiã patet, quòd potest præsentia in loco, quamuis proprium accidens corporis sit, multiplicari in corpore nõ multiplicato corpore, sicut etiam actu quidem à corpore separari per potentiam Dei absolutam, vt hactenus defendi. Imperitè autẽ ac falsò ais, Corpus finitum finiri à loco. Quamuis enim secundum modum quidem existendi in loco terminetur siue finiatur à loco, in quo includitur, tamen simpliciter & absolutè nõ nisi suæ substantiæ ratione, vt est in genere substantię, & suis dimẽsionibus, vt est in genere quantitatis, finitur. An enim supremus mundi orbis, quia nullo loco circumscribitur, finitum corpus non est? GREGORIVS.

Addis, inquis, *& animam, & Angelum in diuersis partibus atq; rebus totum esse, & sicut in partibus cohærentibus, ita quoq; in partibus & rebus longè dissitis adesse posse. Sed nos, istud, puta posterius, tantisper negamus, dum ex Scriptura illud euiceris.* FORTVNATVS fol. 14. b

En Scripturam: *Non erit impossibile apud Deum omne verbum:* quod scilicet intellectu concipi possit absq; contradictione. Tale autem id esse, de quo agimus, ratio ipsa ostẽdit. Nec potest in quæstionibus de potẽtia Dei absoluta aliter posci Scriptura, GREGORIVS. *Lucæ* 1. Aliquid posse fieri, quomodo ex Scriptura probandum sit.

ptura, nisi valdè ineptè. Non enim agit Scriptura nominatim, vtrum hoc aut illud in specie possit Deus facere. Nihil igitur adfers, cur nõ etiam vni corpori diuina virtute possit accidere, vt sit simul præsens in diuersis locis, præsertim modo non locali, vt ipsi asserimus, Christum adesse in Eucharistia.

Vrges autem hîc rursus contra modum istum præsentiæ non localis dictum Augustini: *Spatia locorum tolle à corporibus, & nusquam erunt; & quia nusquam erunt, neq; erunt.* Sed hanc Augustini sentẽtiam in disputatione mea explicaui. Augustinus enim minimè hîc negat, corpus per potentiam absolutam Dei, alicubi esse posse modo non locali: ac multò minus præsentem esse posse per eandem Dei virtutem multis in locis. Tantùm enim disputat, non posse corpora naturali modo sine locis, quibus contineantur, existere. Id apparet ex antithesi quam ibi instituit. Nam Deum comparat cum corporibus. Illum affirmat, *in seipso* præsentem esse, *quia non continetur*, inquit, *ab eis, quibus est præsens, tanquam sine eis esse non possit.* Tum subiungit verba illa, quæ sunt antè recitata, docetque aliam rationem esse corporum; quòd nisi in locis, quibus contineantur, esse non possint. Ita illud profectò docet, quod naturaliter competit corporibus. Quemadmodum etiam perfectionẽ ibi naturalem Dei cõmemorat, cùm contrà dicit, illum sine locis, à quibus contineatur, esse posse. Hanc confirmationẽ explicationis meę, ex Augustino ipso petitam & certè euidentem, miserabiliter sanè Fortunatus existimauit se posse refutare. Quare totus hallucinans, istud contra illam opponit:

Epist. 57.

Pag. 65.

FORTVNATVS *fol. 15. a*

O, inquit, *egregiam probationem! naturaliter, inquit, Gregorius, corporibus competit, vt non sine loco subsistant, quemadmodum etiã naturalis Dei perfectio est, quod sine locis, à quibus contineatur, esse possit. Ergóne Gregori, sicut hyperphysico illo & qui extra ordinem est modo, in pluribus locis præstò corpus est; ita eodem illo modo immensa Dei maiestas loco comprehenditur?*

GREGORIVS. Minimè verò. Nam natura Dei ea est, vt quod Deo non competit naturaliter, nequeat ipsi supernaturaliter, aut vllo alio

alio modo competere. Nihil enim est in DEO extra vel supra naturam, cùm ipse sit res summa & simplicissima. Natura verò rei creatæ, atque adeò etiam corporis, potest aliquid super naturam suam aliena virtute admittere, quod ipsi naturaliter non competit. Ita quamuis secundum Augustinum in hoc sit similitudo, quòd naturaliter quidem competit corpori circumscriptio in loco, sicut naturaliter competit DEO, vt nullo loco contineatur: tamen aliunde manet saluum discrimen inter corpus & Deum, quòd potest supernaturaliter conuenire corpori, vt in re aliqua (puta in Eucharistia) sit loco non circumscriptum; non potest autem supernaturaliter competere DEO, vt aliquo in loco contineatur.

Sed obiicis illa etiam verba Augustini: *Noli*, inquit Augustinus, *dubitare, ibi nunc esse hominem Christum Iesum, vnde venturus est, &c. & sic venturus est, illa Angelica voce testante, quemadmodum visus est ire in cœlum, id est, in eadem carnis forma atque substantia, cui profectò immortalitatem dedit, naturam non abstulit. Secundum hanc formam non est putandus vbique diffusus. Cauendum est enim, ne ita diuinitatem astruamus hominis, vt veritatem corporis auferamus.*] FORTVNATVS *fol. 15. a In eadem epistola 57.*

Sed primùm, non dicit Augustinus, non esse putandum Christi corpus nullo modo esse in pluribus locis, sed non esse VBIQVE diffusum. Deinde (vt in disputatione mea explicaui) neque voluit hoc loco Augustinus negare, nullo prorsus modo potuisse Christi corpus per DEI potentiam poni supra naturæ suæ conditionem vbique. Sed cùm nequeat vel ex incarnationis mysterio (vt ibi Augustinus ex instituto ostendit) vel alio modo confirmari, quòd supra naturam & conditionem suam diuinitùs collocatum sit vbique; si quis illud corpus vbique iam esse temerè contendat; videre is debet, ne ipsum faciat Phantasticum, minimeque verum corpus humanum; quasi in eam nimirum conditionem & qualitatem iam euaserit, vt per se *diffundatur* (vt Augustinus in eo loco loquitur) vbique, ac omnia loca occupet. GREGORIVS. *Pag. 40. & 41. Vide etiam in defensione eiusdem disput. pag. 173. & 174.*

Alibi quoque, inquis, *idem Augustinus scripsit: Cor-* FORTVNATVS *fol. 15. a*

pus in quo resurrexit (puta Dominus) *in vno loco esse oportet*. Respondeo. Ex antecedentibus Augustini verbis perspicuum est, eum de illo modo visibili existentiæ Christi in loco agere quo Christus erat præsens cùm audiebatur & videbatur à discipulis & à Iudæis: *Veritatem*, inquit, *loquentem audiebant & veraces & mendaces, charitatem loquentem audiebant & amici & inimici, bonum loquentem audiebant & boni & mali.* Et post pauca: *Nos itaque sic audiamus Euangelium quasi præsentem Dominum, nec dicamus; O illi felices qui eum videre potuerunt!* Et paucis interpositis: *Corpus in quo resurrexit, in vno loco esse potest*, nempe illo modo aspectabili; & secundum legem ordinariam Dei, qua decretum est, vt *donec seculum finiatur* (sicut ibidem ait Augustinus) *sursum in cœlo sit Dominus* eo modo. Quare non negat hîc Augustinus præsentiam Christi Sacramentalem in pluribus locis, quam idem Augustinus sæpe aliàs asserit, vt superiùs vidimus.

Tract. 30. in Ioan.

Lib. 1. cap. 5.

FORTVNATVS

Obiicis quoq; Tertullianum: *Ego*, inquit Tertullianus, *corpus hominis non aliud intelligam, quàm omnem istam struem carnis, quoquo genere materiarum concinnatur, atque variatur, quod videtur, quod tenetur, quod denique ab hominibus occiditur. Sic & parietis corpus non aliud admittam, quàm cementa, quàm saxa, quàm lateres. Si quis arcanum aliquod corpus inducit, ostendat, reuelet, probet, ipsum esse etiam quod occidatur ab homine, & de illo erit dictum.*

fol. 15. a Lib. de resur. carnis.

GREGORIVS.

Quid, obsecro, minus opportunum ad caussam vestram iuuandam afferri potuit? Docet enim Tertullianus, Corpus Christi, verum & reale corpus humanum esse, quandoquidem natura sua videri, teneri, occidi potuit: sed minimè propterea vult, hoc ipsum corpus nullo modo & nusquam ita esse posse, vt nequeat ipsum per se tangi & videri. Quid enim? annón verum corpus Christus retinebat, quando finito sermone cum discipulis subitò *euanuit ab oculis eorum*? Nónne etiam D. Ambrosius de vero Christi corpore loquitur, cùm de Christo ingresso per clausas ianuas inquit: *Mirum, quomodo se natura corporea per inpenetrabile corpus infuderit*, INVISIBILI *aditu*? Procul dubio de vero corpore loquitur. Subiungit enim paulò pòst:

Luca 24. In illud cap. Luca.

Non

Non ergo per incorpoream naturam, sed per resurrectionis corporeæ qualitatem inperuia vsu clausa penetrauit.

Opponis denique verba illa Christi: *Palpate & videte; quia spiritus carnem & ossa non habent.* Sed hinc aliud non sequitur, quàm corpus Christi natura sua potuisse & posse tangi ac palpari sicut alia, ac ideò verum corpus esse, vt Christus ipse discipulis probauit. Hoc autem minimè obstat, quò minus posit idipsum corpus esse alicubi modo inuisibili supernaturaliter, atque etiam simul pluribus in locis, vt hactenus defensum est. *Fol. 15. b* *Lucæ 24.*

CAPVT TERTIVM.

Non ideò corpus Christi in vno tantùm loco esse præsens, quia præsentia in vno loco sit corporis proprietas, vt Sacramentarij argumentantur.

DIXI, istos hoc etiam modo ratiocinari: Omnes proprietates naturales corporis confitẽdum est ineesse in Christi corpore; cùm naturam Verbum diuinum sumpserit, naturæ nostræ per omnia, excepto peccato, similem. Confitendum est igitur, CHRISTI corpus itidem prẽsens esse in vno tantũ loco. Hìc Fortunatus: *Nos verò*, inquit, *Gregori, non ita ratiocinamur.* Non te pudet hominem Caluinistam nescire quomodo argumentetur Caluinus tuus, quem appellas sanctæ memoriæ? Audi igitur illum: *Placuit*, inquit, *Christum fratribus per omnia similem fieri, excepto peccato. Qualis est autem nostra caro? nónne quæ certa sua dimensione constat, quæ loco continetur?* Et infrà: *Ea verò est carnis conditio, vt vno certoq; loco, vt sua dimensione, vt sua forma constet: Ea conditione carnem induit Christus.* Et inferiùs: *Dei Verbum*, inquit, *sic in gloriam regni cœlestis receptum fuisse Christum docet, vt eum supra omnem mundi conditionem euehat; nec minus diligenter in humana eius natura commendat quæ* PROPRIA *sunt veræ humanitatis.* *Pag. 67.* *Fol. 15. a* *Lib. 4. Instit. sect. 24.* *Ibidem.* *Sect. 32.*

Sed nimirum animaduertit Fortunatus, argumentum istud, quod à proprietatibus humanæ naturæ à Christo susceptæ Caluinus petiuit, nimis apertè fuisse à me confutatum, ideoque fateri erubuit, suorum id esse argumentum.

Nam

Nam contineri vno loco, non ita proprietas corporis est, vt nequeat supernaturaliter corpori cõuenire præsentia in pluribus locis, sed ita vt ex natura sua quidẽ nequeat corpus esse amplius quã in vno loco. Quam ob rem, licet Christi corpus supernaturaliter iam habeat, vt sit in pluribus locis Sacramẽtali modo, tamen in hoc reliquis corporibus simile est quod ex natura sua quidem non est amplius, quàm in vno loco. Quemadmodum etiam proprietas corporis sublunaris est, vt ex natura sua quidem pati & corrumpi possit; vt locum alio corpore repletum occupare nequeat; vt si viuum est alimonia indigeat; si terrenum, adeò sit graue, vt consistere atque exstare vel ingredi, nisi super corpus aliud solidum, non possit: & tamen nihil hoc obstat, quò minus Christi corpus supernaturaliter nunc absque alimento consistat; & locũ olim alio corpore repletum permeauerit, cùm clausis ianuis ad discipulos ingrederetur, vel nasceretur ex Virgine; atque etiam super aquas exstiterit, & ambulauerit.

Ioan. 20.

Fol. 16. a

Quæ verò hîc rursus repetit Fortunatus, proprietatem fluentem ex essentia corporis esse, vt sit tantũ in vno loco, iam suprà expediuimus. Potest enim sine contradictione per potentiam DEI absolutam conuenire rei aliquid supra naturam proprietatis rei eiusdem. Aristoteles autem cùm dicit, corpus, etiam si ab eo separaretur grauitas vel leuitas, vel aliæ eiusmodi qualitates, tamen sua quantitate nihilominus locum sibi æqualem occupaturum; secundum naturam rei, vt Philosophus naturalis, loquitur; vel proferat locũ Fortunatus vbi Aristoteles dicat, planè implicare contradictionem vt corpus sit absque loco.

Lib. 4. Phys. texto 76.

Quòd si rectè sequitur, Corpus Christi ideò non posse, ne supernaturaliter quidem, esse in pluribus locis, quia esse tantùm in vno loco naturalis proprietas corporis est (vt isti argumentantur) pari modo sequetur, neq; ambulasse vnquam Christum supernaturaliter super aquas, neq; locum alio corpore repletum permeasse, neq; etiam iam viuere sine alimento; & denique posse illum pati iam & corrumpi; quandoquidem naturalis etiam proprietas corporis sublunaris (quale

Christus

Christus habet) est, vt pati & corrumpi possit, & vt non permeet per locum alio corpore plenum, neque etiam exstet omninò super aquas si est solidum & graue, neque consistat sine alimento si est viuum. Hæc si minimè sequuntur (vt antè in disputatione mea obieceram) fateantur etiam isti necesse est, similem sui argumenti consequentiam, à proprietate corporis ductam, nihil prorsus valere aduersus præsentiam in multis locis, quæ competit corpori Christi supernaturaliter.

Hoc enim est istorum argumentum, vt antè ex Caluino audiuimus: Naturalis corporis proprietas est, vt in vno tantùm sit loco: Sed Christus omnes corporis proprietates naturales suscepit seu induit: Ergo ne supernaturaliter quidem iam cõpetit Christi corpori, vt sit in pluribus locis. Huic argumento simile est hoc: Naturalis proprietas corporis est, vt corrumpi possit, & cetera quæ diximus. Sed Christus omnes corporis proprietates naturales induit. Ergo ne supernaturaliter quidem iam ei competit vt pati nõ possit, &c. Vtriusq; autem argumẽti vitium est quod plus in cõsequentia colligitur, quàm debeat ex vi præmissarum; eò quòd quidam terminus in consequentia additur, qui non fuit in præmissis, nempe cùm concluditur, ne *supernaturaliter* quidem Christo posse conuenire aliquid diuersum à proprietate naturali. Tantum enim deberet ex illis præmissis cõcludi, Christum, quantum est quidem ex natura sui corporis, non habere illam impatibilitatem & præsentiam in pluribus locis, & cetera quæ fidei doctrina illi tribuit.

Sed inquit Fortunatus: *Vanissimum hoc tuum argumentum est, nihilq; cum nostro commune habet, idq; tum quia plus in conclusione quam in præmissis est, tum quia nostrum non à naturali, sed essentiali sumptum est proprietate.* FORTVNATVS *fol. 16. b*

Mihi certum est, Fortunate, non intelligere te quæ loqueris. Primùm, estné aliquod discrimẽ inter proprietatem *naturalem, & essentialem*, vt tu vocas? Non magis profectò quàm inter rei *naturam* & rei *essentiam*, quæ appellatione tantùm differunt. Proprietas enim naturalis nominatur, quia sequitur necessariò ex natura; & essentialem tu ideò vocas, quia sequitur GREGORIVS.

a necessa-

Fol. 13. a initio & fol. 16. a initio.

necessariò ex essẽtia, vt superiùs ipse explicasti. Nõ igitur ideò differt consequentia, quam ego vobis obieci, à consequentia vestri argumenti, quia illa ex proprietate *naturali*, hæc ex *essentiali* petitur. Deinde cùm dicis, plus esse in consequentia illius argumenti à me vobis obiecti, quàm in præmissis; Caluino etiam hoc vitium obiicias, cuius planè argumentum ad hanc formã reuocatur, vt patet ex eius verbis quæ recitaui. Planè igitur argumentum illud à me vobis obiectum, quo falsum in consequentia concluditur, simile est vestro, ac proinde vestrum etiam est fallax.

FORTVNATVS *fol. 15. b*

Nihilo etiam magis firmũ est argumentum quod tu inculcas, & hoc modo formas: *Nulla proprietas essentialis auferri à re aliqua potest, quin res illa simul auferatur & destruatur. In vno tantùm loco vno tempore esse, proprietas corporis est essentialis. Auferri igitur à corpore non potest, quin corpus simul auferatur & destruatur.*

GREGORIVS.

Dico, maiorem & minorem, ita positas absolutè sicut in hoc argumento ponuntur, esse simpliciter falsas. In maiori enim addendus fuit vnus terminus, nempe, *naturaliter*. Nam supernaturaliter per absolutã DEI potentiam nihil impedit, quò minus proprietas ex essentia fluens actu quidem ab essentia separari possit, tametsi nequeat separari aptitudo ad proprietatem, vt suprà aliquoties explicauimus. In minore quoq; fuit addẽdum, *quantum est quidem ex ipsa corporis natura*. Sic enim proprietas corporis est vt non sit amplius quã in vno loco. Et hac quidem ratione minimè nos defendimus separari hanc proprietatem à corpore Christi. Nam verisimum est, illũ ex sua quidem natura non amplius quàm in vno esse loco. Quod aũt sit etiam præsens in pluribus locis, id quidem supra naturam eius proprietatis habet. Sicut suprà naturam quoq; proprietatis corporis habet, vt pati nequeat, & vt per locum alio corpore plenum in natiuitate, & resurrectione & ingressu ad discipulos permeauerit, & vt ingressus fuerit super aquas. Sed inquis:

FORTVNATVS *fol. 16. b*

De sepulchri lapide, & ceteris, quæ hîc repetis, antè satis dictũ est. ambulatio quoq; super mari naturæ veri corporis non aduersatur,

satur, quia hyperphysica quippe est, sed non antiphysica, & alia grauitatis & leuitatis, alia localitatis ratio est, vt modo ex Aristotele audiuisti.

Ex Aristotele illud solum, quod paulò superùs cõmemorauí, tu citasti; nempe corpus, quamuis ab eo separaretur leuitas aut grauitas, tamen locum occupaturum (puta naturaliter) sua quantitate. Hinc minimè sequitur, conuenire non posse Christi corpori supra naturam proprietatis illius, quæ est circumscriptio in vno loco, vt in pluribus simul locis sit. Quare enim hoc illi hyperphysicôs (vt tu etiam loqueris) conuenire non possit, sicut supra naturã suæ proprietatis naturalis viuit absq; alimento, & nequit corrumpi, & per locum plenũ penetrauit? Nam quod dicis de penetratione per sepulchrũ, & per ianuas, & per claustra Virginis supra satis te dixisse; credo te iam tui pudet, postquam animaduertisti, quàm multis & firmis testimoniis atque argumentis fides eiusmodi miraculorum à me suprà confirmata sit. Ais quoq; sanè miserabiliter ad extremum: GREGORIVS. *Cap. præceden.*

Manet igitur firmum nostrum argumentum, quia alia essentialis illius proprietatis, circumscriptionis, alia naturalium & communium accidentium ratio est. FORTVNATVS *fol. 16. b*

Quid? Indigere nutrimento est accidens commune, & non propriũ corporis viui? Nónne naturaliter id cõpetit semper, & omni, & soli corpori viuo? Nónne similiter omne & solum corpus sublunare corrumpi & pati potest? Nónne solum & omne corpus penetrare locum alio corpore repletũ nequit? Et quare tu circũscriptionem in vno loco proprietatem *essentialẽ* vocas, nisi quia cõuenit omni & soli corpori in orbe cõtento? Si igitur hæc etiam quæ cõmemoraui *soli* etiam & *omni* competunt, certè proprietates etiam essentiales à te dici debent. Quamobrem, vt supra naturam harum proprietatum, potest corpori Christi competere impatibilitas & vita sine alimento, & penetratio; ita etiam præsentia in pluribus locis supra naturam eius proprietatis, quæ est circumscriptio in vno loco. Quod cùm ita sit, manet omnibus modis infirmissimum, vel potiùs omninò nullum vestrum argumentum, quòd à GREGORIVS.

proprietatibus corporeæ Christi naturæ contra illius præsentiam in Sacramento imperitissimè ducitis.

CAPVT QVARTVM.

Defenduntur argumenta, quibus realis præsentia Christi in Sacramento absolutè demonstratur.

NVLLVM omninò argumentum ex his, quæ hoc in loco proposui, fideliter retulit Fortunatus: tantum abest, vt illorum aliquod benè confutauerit. Cogor igitur argumenta mea meis verbis referre, vt clariùs constet nihil istũ ad illa rectè respondere.

Matth. 26. Igitur, quòd Christus verbis illis: *Hoc est corpus meũ*, Et: *Hic meus est sanguis*, corpus & sanguinem suũ reipsa sub speciebus panis & vini, vero ac proprio sermone demonstrauerit, sequentibus argumentis probaui.

Citati suprà lib. 1. cap. 4. I. Cùm prius apud Ioannem de carne sua in hoc Sacramento (vt Veteres intellexerunt) ad consequendam vitæ immortalitatẽ, edenda, & sanguine suo bibendo concionaretur; adeò nó existimatus est ab auditoribus figuram tantùm sui corporis polliceri, aut tantummodò fidem de salutifera ipsius virtute, (quam illi iam multi non inuiti accõmodauerant) requirere; vt consueto etiam more sibi CHRISTI carnem, tanquam aliam in macello (vt Augustinus inquit) concisam, edendam esse putarent. Et falsa quidem ex parte, & à CHRISTO ibi refutata fuit hæc illorum existimatio; quoniam circa mãducationis certè ac potionis modum errabant. Sed non falsò eos tamen intellexisse velle Christum aliquo tandem modo verè ac realiter suam carnem edi & bibi suum sanguinem, inde perspicuum est, quòd propter eius rei difficultatem, quæ in mysterio restabat, non obstante explicatione, quam circa modũ adhibuit Christus, *multi discipulorum eius abierunt retrò*, sicut iam faciunt Sacramentarij. Neque est profectò vlla ratione credibile, adeò salutem discipulorum neglexisse DEI Filium, vt in viam eos non reuocasset, si hoc facere potuisset præterea exponendo, neque consueto more, neque vllo alio modo verè ac realiter, sed (quod erat ad credendum perfacile) in sui figura

Ioã. 1. 2. 3. & 4. Tract. 27. in Ioan. & in Psalm. 98.

Ioan. 6.

figura ac signo tantùm ab ipsis manducari velle. An verò ita dixit? Minimè. Nam affirmauerat perspicuè prius: *Caro mea verè est cibus, et sanguis meus verè est potus.* Itaq; dolet tantùm eorum discipulorum vicem, quòd adhibita recta explicatione de mãducandi modo; credere tamen mysterium id, quod de vera manducatione erat reliquum, in eaque re ipsi fidem habere recusarent. *Et sunt,* inquit mœrens, *quidam ex vobis, qui non credunt.* Tum ad duodecim: *Nunquid & vos,* inquit, *vultis abire?* Quasi diceret; an vos etiam, vt ceteri, carnem meam verè cibum esse posse dubitatis; nec arbitramini, me facturum, vt verè quidem, sed longè aliter quàm aliis vti cibis consueuistis, meo corpore vescamini? Cui Petrus, fide tanti mysterij plenus: *Domine,* inquit, *ad quem ibimus: verba vitæ æternæ habes.* Vbi Augustinus: *Videte,* inquit, *quemadmodum Petrus dante Deo, recreante Spiritu sancto intellexit; Vnde, nisi quia credidit? verba vitæ æternæ habes. Vitam enim æternam habes* IN MINISTRATIONE CORPORIS ET SANGVINIS TVI. Quis hîc sanus putet, infidelitatem eorũ, qui miserabiliter à Christo desciuerant, aut fidem Petri, tam magnificis verbis, & ab ipso expositam, & ab Augustino hîc prædicatam, non alia de quæstione fuisse, nisi an Christi corpus in pane tanquam in figura viuificæ virtutis eius edi possit? Annón prius quoq; se vitam atque salutem afferre mundo luculentis verbis professus erat? Aut verò id mysterium, quod quasi alphabetum primum Christi doctrinæ erat, nondum crediderant ipsius discipuli? Respondet Fortunatus:

Ioan. 6.

Tract. 27. in Ioan.

Ioan. 3.

FORTVNATVS *fol. 17. a*

Verè ac realiter, immò verissimè & realissimè: verius & realius quàm panis & vinum percipiuntur, verum Christi corpus, & verus illius sanguis, percipitur; sed palato cordis fidelis, non ore corporis; quia mentis non ventris cibus & potus, quæ causa est, cur nec in vel sub pane & vino, nec sub speciebus illorum lateant.

GREGORIVS.

At ego ex Christi sermone apud Ioannem, & loci circumstantiis ostendi, Christi corpus non quomodocunq; verè ac realiter edi, sed in ipso Eucharistiæ Sacramento. In hoc enim mysterio pollicitus est futurum se verum cibum fide-

lium, cùm cœpit in illo sermone dicere; Panis quem ego dabo, caro mea est pro mũdi vita, & quæ sequuntur. Nam ita D. Chrysostomus & alij cõmuniter Patres interpretãtur. Quomodo autem in ipsa Eucharistia Christus verè & realiter sumitur, si in ipsa Eucharistia Christus vèrè & realiter præsens non est, vt in ipsa sumatur? Et tamen omninò confitendum est, eum mentis non ventris esse cibum: non quia ore corporis non sumatur, sed quia mentem ipse per se nutrit non ventrem, vt suprà quoque exposuimus. Sed inquis:

Homil. 45. in Ioan. & alij suprà lib. 1. c. 4. citati.

FORTVNATVS *fol. 17. a Ioan. 6.*

Audi quid inter cetera diuinus Præceptor pronunciet: Ego, inquit, sum panis ille vitæ; qui ad me venit, non esuriet: & qui in me credit, nõ sitiet vnquam.] Credere igitur & ad Christum venire, quod sine fide fieri nequit, est verum illum & cœlestem panem edere potumq; bibere: qui cibus cùm caro Domini sit, caro, inquam, pro nobis in mortem tradita, dicente Domino, panis verò quem ego dabo, caro mea est, quam pro mundi vita dabo.] Perspicuum est, eam non ventris sed mentis cibum esse, nec exterioris, sed interioris hominis esuriem quærere: id quod vno ore omnes Orthodoxi Patres docuerunt. Audi Augustinum: Vt quid paras dentes & ventrem? crede & manducasti.] Et postea: Panis quippe iste interioris hominis quærit esuriem.] & rursus: Qui manducat intus non foris: qui manducat in corde non qui premit dente.

Tract. 25. in Ioan.

Tract. 26.

GREGORIVS. Duo tantùm his testimoniis probantur, quæ nihil obstant reali præsentiæ Christi in ipsa Eucharistia. Alterum est, Christi carnem viuificam posse quoque extra Sacramentum spiritualiter manducari per fidem caritate perfectam. Id enim patet ex priori parte illius Christi sermonis apud Ioannem, quæ de eiusmodi spirituali manducatione Christi extra Sacramentum intelligitur; vbi sunt illa verba quæ primò citas: *Ego sum panis vitæ, &c.* Alterum est, non ita in ipso Sacramento sumi carnem Christi, vt sit cibus nutriens vẽtrem sed mentem: quod sæpe concedimus. Nihilominus tamen hic mentis cibus ore corporis sumitur. Quod D. Augustinus testatur

Ioan. 6.

ſtatur illis etiam verbis quæ citas. Significat enim apertè illud ipſum quod in corde manducandum eſt (hoc eſt Chriſti corpus) premi etiam dente. Quod certè ineptè diceretur ab Auguſtino, niſi corpus Chriſti cõiunctum reipſa ſit cum Euchariſtia, atque adeò dentibus reuera accipiatur ſecundum illam.

II. Sum etiam ea ratione argumentatus, quòd panem cœleſtem, quem ibidem Chriſtus daturum ſe in Euchariſtia pollicetur, atque adeò carnem ſuam in Euchariſtia cum manna comparat, ipſiq́ue præfert non modò, quia vitam æternam vtcunque præbeat, ſed quoniam eſt eiuſmodi, vt id quaſi virtute ac dignitate ſua ꝓpria prę̃ſtare poſsit, videlicet ſua ipſius caro. Hæc autem comparatio nequaquam apta fuiſſet, ſi carnem ſuam non etiam intellexiſſet omninò à nobis reipſa edendam eſſe, ſicut manna edebatur. Nam ſi cibum pollicitus eſſet tantùm, qui ſola ſignificatione exiſteret ipſius caro, non vtique cibum eiuſmodi promiſiſſet, qui per ſe viuificare poſſet, quiq́ue aliter quàm manna ſit ipſe Chriſtus. Fuit enim manna etiam Chriſti figura. Vnde Auguſtinus de hoc cœleſti pane, qui CHRISTVS eſt verba faciens: *De cœlo*, inquit, *deſcendit & mãna: Sed manna vmbra erat: iſte veritas eſt.* Sicut Apoſtolus, propter eiuſdem mannę̃ ſignificationem dicit, priſcos Patres omnes eandem eſcam ſpiritualem, hoc eſt, Chriſtum manducauiſſe in manna tanquam in ſigno.

Argum. II.

Tract. 26. in Ioan.

1. *Cor.* 10.

Ad hoc iſte primò extra propoſitum dicit, non probari hoc argumento tranſubſtantiationem. Satis enim mihi nunc eſt eo argumento probari præſentiam realem carnis Chriſti in ipſa Euchariſtia: Siquidem Chriſtus ita manducandã fuiſſe ſuam carnem in ipſa Euchariſtia ſignificat, vt manna cum qua carnem ſuam comparat à Patribus manducabatur, nempe verè & realiter præſens in ipſo Euchariſtiæ myſterio; De quo ibi Chriſtus loquitur, vt Patres omnes intelligunt. Tranſubſtantiationem autem ſuo loco etiam ex verbis Chriſti probauimus. Inquis:

Fol. 17. *a*

Lib. 2. *cap.* 2.

Conſequentiam argumenti, non antecedens inficiamur; ſiquidem illud tuum, ſicut manna, pro eo accipis, quod eſt verè & reipſa

FORTVNATVS *fol.* 17. *b*

reipsa edere, carnem scilicet Christi, reipsa & verè à nobis edi, sicut verè manna à Patribus edebatur, non autem eodem modo, eam ore, quo manna edebatur, manducari; hoc enim ratio tua non euincit.

GREGORIVS. Non intellexisti vim meæ rationis. Cùm enim in illa sumo, carnem Christi ita verè & realiter edi, sicut manna edebatur; idque confirmo ex comparatione à Christo instituta inter vtrumque cibum; non qualicunque modo edi carnem Christi intelligo; sed in ipso Eucharistiæ mysterio, de quo ibi nimirum loquitur. Quapropter hæc est vis & consequentia mei argumenti: Christi caro ita verè & realiter in Eucharistiæ mysterio editur, sicut manna à Patribus edebatur: Ergo verè & realiter præsens in Eucharistia continetur. Consequentia est euidens. Nam quomodo potest aliquid in re aliqua edi verè ac realiter, quod in eadem re verè ac realiter nō contineatur? Antecedens patet ex comparatione quam Christus facit, & ex communi sententia Patrum, qui eum Christi sermonem de ipso Eucharistiæ mysterio intelligunt.

Vt suprà lib. 1. cap. 4.

FORTVNATVS *fol. 17. b Tract. 26. in Ioan.* Porrò dicis me abuti auctoritate Augustini: *Is enim*, inquis, *vt ex illis, quæ de manna disseruit, perspicuum est, veteres nobis æquiparat, veterumq; Sacramenta nostris, quod ad rem significatam, per quam carnem Verbi, quæ Sacramenti res est, intelligit, paria esse pronunciat: idq; facit ex & cum Apostolo, qui id disertè tradidit. Nisi enim præter externum elementum, remq; terrenam, cetera omnia Patribus nobiscum communia fuerint, ruit scopus Apostoli.*

1. *Cor.* 10.

GREGORIVS. Sit ita sanè: non differant Sacramentum nostrum Eucharistiæ ab illis veteribus Sacramentis in re significata, quæ est Christus. Differunt tamen in modo Christum significandi: idque non solùm quia Eucharistia est diuersum Christi signū, sed quia est signum Christi, quem præsentem continet. Hoc discrimen patet primùm ex Apostolo in illo ipso loco: *Hæc autem omnia*, inquit, *in figura cōtingebant illis.* Quasi dicat; nos autem etiam habemus ipsam rei significatæ veritatem. Et rursus:

Eucharistia quomodo differat à Sacramentis veteris legis.

1. *Cor.* 10.

Panis,

Panis, quem frangimus, nónne communicatio corporis Christi est? Et rursus: *Non potestis mensæ Domini participes fieri, & mensæ Dæmoniorum.* 1. *Cor.* 10.

Deinde probo id discrimen ex Augustino. Dicit enim in illo ipso loco, eum non moriturum: *Qui manducat*, inquit, *panem cœlestem intus, non foris, qui manducat in corde, non qui premit dente.* Sunt igitur qui Christum dente tantummodò premũt, hoc est, qui ore solùm edũt Christum ipsum in Eucharistia. Item: *De cœlo*, inquit, *descendit & manna. Sed manna vmbra erat. Iste* (nempe Christus in Sacramento, de quo ibi agit) *veritas est.* *Tract. 26. in Ioan.*

III. Præterea sum vsus hoc argumento. Cùm Christus affirmauit: *Hoc est corpus meum, &c.* colloquium ei erat, non cum aliis, quibus ferè in parabolis loquebatur, sed cum discipulis suis, quibus regni Dei mysteria proponebat perspicuè; & in secreto atque à turbis remoto loco; & tunc cùm testamentum conderet, quo vnum è Sacramentis Ecclesiæ instituebat atque legabat; & in extremo vitæ suæ tempore, iis tanquam vltimo valedicens, quos *cùm ante dilexisset, in finem* tamen, vt est apud Ioannem, summoperè *dilexit.* Indicant verò omnes istæ ac singulæ circumstantiæ sermonem illum Christi fuisse sanè planissimum, idque significauisse propriè, quod verba sonant. Nam si aliàs vnquam, certè amicissimis, & in loco priuato, & in testamento condendo, & in discessu ab iis, qui charissimi sunt, maximè solent apertè animorum sensa declarari. Ad hoc Fortunatus: Argum. III. *Ioan.* 13.

Hinc, inquit, *sequitur potiùs, & μετουσίαν matrem, & filiam illius ἐνουσίαν adulteram esse: quarum neutra τὸ ῥητὸν verborúmque retinet proprietatem. Verba propria, & quàm maximè propria sunt. Hoc, hoc, id quod Dominus de mensa accepit, fregit, dedit; est, est: corpus, corpus, verum & traditum pro nobis corpus; significat. quid hoc vel ad μετουσίαν vel σωυσίαν? disparatorum prædicatio est, qua mater cum filia iugulatur.* FORTONATVS *fol.* 17. *b*

Vtinam verò, Fortunate, verba illa omnia esse propria tam fideliter crederes, quàm liberaliter das. Si enim *Hoc*, hoc, quod in manibus Christi erat; *Est*, est; *Corpus* corpus significat. GREGORIVS. Renũciat Fortunatus sententiæ Sacramentariæ, nescions quid dicat.

ficat. Igitur corpus Christi fuit illud quod in manibus Christus ea verba dicens tenuit, itemque illud quod nunc in manibus tenet legitimus minister, cùm eadem verba in persona Christi similiter & eodem sensu verè pronunciat. Quod si id propriè corpus Christi est, non est igitur panis substantia, sed in huius locum, substantia corporis Christi sub panis accidentibus, quæ videntur, admirabiliter succedit. Maneas igitur in hac confessione constans, qua confiteris, omnia illa Christi verba propria esse, & nō tibi posthac exprobrabo Sacramentarium errorem contra præsentiam corporis Christi realem in Sacramento, & contra panis μετουσίαν, siue transubstantiationem.

Sed vereor, minimè te constantem futurum, si à tuis Collegis increperis, quòd tam multum nobis concesseris; atque ita rursus nobis te negaturum, omnia illa verba esse propria. Dicent enim alij Sacramentarij, si id concedas, repugnare te, & tibi ipsi, & Caluino, atque adeò euertere penitus fundamentum Caluiniani dogmatis, quod suscepisti defendendum. Caluinus enim figurata & non propria esse illa Christi verba his verbis asseuerat: *Restat*, inquit, *vt propter affinitatem, quam habent cum suis symbolis res signatæ, nomen ipsum rei fateamur attributum fuisse symbolo, figuratè id quidem, sed non sine aptissima analogia.* Et post pauca: *Dico*, inquit, *metonymicum esse hunc sermonem.* Est autem metonymia cùm vocabulum rei significatæ tribuitur signo. Docet igitur Caluinus, *Corpus* in illa Christi oratione non significare propriè Christi corpus, sed signum corporis Christi: atque ita panem dici figuratè corpus, eò quod est corporis Christi signum, vt pluribus verbis ibi explicat. Tua etiam, Fortunate, sunt hæc verba: *Pronomine*, inquis, *Hoc, panem demonstrauit, quem corpus suum appellauit, quia Sacramentum, signum, sigillum, figura, typus, antitypon corporis est.* Et hîc etiam paulò inferiùs dicis, *in tota attributione illius orationis* CHRISTI, *esse tropum*; nempe, quia verbum EST, in illa accipitur pro *significat*, quod tantundem est ac verbum *corpus* accipi, pro *signo* corporis. Repugnas igitur tibi & Caluino, & renuncias Caluiniano errori, cùm hîc nobis à veritate com-

Lib. 4. Instit. c. 17. sect. 21.

Fol. 21. a

Fol. 18. a

compulsus fateris, omnia verba illius orationis Christi esse propria. Sed nullum habet meritum hæc tua confessio, quia vt video ipsemet non intelligis, quæ vel pro sententia tua, vel contra nostram sententiam loqueris.

Quod autem ais, disparatorum esse prædicationem illam, *Hoc est corpus meum*, in qua nimirum corpus Christi prædicetur de pane, vt est panis (ex quo rursus contra veritatem & fictam tuam confessionem sequeretur, verba non esse propria) suprà docui falsum esse. Non enim ibi corpus Christi prædicatur, nisi de communissima ratione substantiæ contentæ illis accidentibus, quæ ratio substantiæ non solùm est in pane, sed etiam subest accidentibus panis in fine totius orationis; atque ita propriè etiam ac verè de illa ratione substantiæ dici potuit, quod esset corpus Christi, sicut verissimè fuit in eius orationis termino; in quo, & pro quo satis est orationem verificari. *Lib. 1. cap. 9. ad arg. 1.*

IIII. Item ea ratione sum argumentatus, quòd commemorant eam Christi sententiam simpliciter absque vlla tropi significatione Matthæus, & Marcus, & Lucas. Neq; ij tantummodò, sed longè etiam pòst Apostolus Paulus, qui & ipse, quod *à Domino accepit* hac de re, fidelissimè *tradidit* nobis. Res autem magna est, & prorsus talis, de qua verum sentire plurimum interest Ecclesiæ. Verba etiam Christi eiusmodi certè fuerunt, & ita sonant, vt si error sit, ea propriè intelligere, facillimè accidere potuerit hic error. Quod & antiquissima tot seculorum populorumque sententia, quæ sic ea verba intelligit (vt suprà probatum est) & ratio ipsa confirmat. Nam cùm Christus carnem suam ad manducandum dare nobis in Sacramento citra repugnantiam vllam, vt antè defensum est, posit; velle se certè id facere, nullis aliis verbis planioribus significare debuit aut potuit, quàm illis, quæ vsurpauit, inquiens: *Accipite & manducate, Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Hoc cùm ita sit, si maximè Christus ipse Berengarianam aut Caluinianam explicationem suis verbis, ne orbis in eam sententiam induceretur, quæ (fremant licet isti) sententia totius orbis est, & fuit semper, adhi- Argum. IIII. *Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. 1. Cor. 11.* *Lib. 1.*

bere non debuerit: Si non debuerit id facere Matthæus, non Marcus, non Lucas; certè ad Gentium Doctorem eximium D. Paulum cùm nobis id mysterium longè post enarrauit ac tradidit, attinebat, aliquam eius doctrinæ & interpretationis significationē dare, ne si fallimur, cùm verba Christi propriè intelligimus, vsque adeò verisimiliter in re tanta decipe-remur. An verò ita fecit? Nihil minus. Quin potiùs præsentiam realem corporis & sanguinis Domini grauissimis, & potentissimis, & omninò eiusmodi verbis, quæ suo pondere leuissimas interpretatiunculas istorum omnes tanquam obruunt & opprimunt, vbiq; nobis cōmendauit. Nam quæ potest esse maior vis & auctoritas orationis, quàm cùm per interrogationem asseuerat, inquiens: *Panis, quem frangimus, nónne communicatio* CORPORIS *Christi est? Et calix, cui benedicimus, nónne communicatio sanguinis Christi est?* Tum illud grauissimè: *Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non* DIIVDICANS CORPVS *Domini.* Fide profectò caret & excors est planè is, cui vel pauor ipse, atque horror, quem habet hæc Apostoli sententia, fidem non facit de præsentia corporis & sanguinis Christi in hoc sanctissimo Sacramento. Respondet Fortunatus:

1. *Cor.* 10.

1. *Cor.* 11.

FORTVNATVS *fol.* 18. *a*

Primò, inquit, *consecutionem nego, etiam illa verba; Ego sum via, vitis, ostium, Dominus primùm, dein longè pòst Euangelista sine omni prorsus tropi significatione profert: non tamen sequitur, nullum ibi tropum esse.*

GREGORIVS.

Primùm, non tantùm ego illam circumstantiam in argumento vrgeo, quòd scilicet sine tropi significatione verba illa à pluribus scriptoribus Canonicis commemorata sint, sed alias simul circumstantias, quas iste præteriuit. Deinde alia ratio est aliorum Christi sermonum, quando ferè in parabolis loquebatur, cuiusmodi fuit ille: *Ego sum ostium, via, &c.* Alia verò eius sermonis quem habuit propriè ad discipulos cultū quendam externum instituens, vt fuit ille: *Hoc est corpus meum*, qui proinde planus & proprius esse debuit, vt suprà quoque sumus argumentati. Sed inquit præterea Fortunatus:

Lib. 1. *cap.* 2.

Totum

Totum argumentum concedo, verba enim, vt iam dictum est, propriissima sunt, in tota attributione tropus est, quia dispa-ratum disparato attribuitur. FORTVNATVS *fol.* 18. *a*

Ostendis, quod paulò antè dixeram, te neq; illa quæ contra nos, neque illa quæ pro vobis dicis, intelligere. Quomodo enim in tota orationis attributione potest esse tropus seu figura, si omnia verba orationis sunt propria? Dixisti enim paulò antè, verbum illud, *Hoc* & *Est*; & *Corpus meum*, esse propria, quæ videlicet sunt omnia, ex quibus oratio illa, Hoc est corpus meum, constat. Vt autem esset in attributione tropus, oporteret tropum saltem esse in verbo EST, vt accipiatur pro *significat*. Sed nimirum hæc est natura mendacij, vt qui illud susceperint defendendum, non à veritate modò, sed etiam à seipsis quandoque turpiter dissideant. Tale est etiam illud quod tibi ipsi repugnans subiungis. GREGORIVS.

Verè igitur præsentia in hoc tremendo mysterio sunt corpus & sanguis Christi, vereq; in eo percipiuntur, sed vt crebrius iam diximus, ore fidei & interioris hominis, cuius alimentum sunt, non corporis & hominis exterioris. FORTVNATVS *fol.* 18. *a*

Obsecro, quomodo verè præsentia sunt in hoc tremendo mysterio corpus & sanguis Christi, si in hoc tremendo mysterio non sunt, sed distant ab eo tantum, quantum cœlum (in quo Christum vos includitis) distat à terra? Quomodo in hoc mysterio verè percipiuntur, si in hoc mysterio non continentur? Nónne hoc est, quod vos contra nos pugnatis, abesse nimirum corpus & sanguinem Christi, secundum suam substantiam à Sacramento tantum, quantum cœlum à terra? Id igitur cùm sentiatis, profectò mentimini, cùm nihilominus ad fallendos animos simpliciorum dicitis, ea verè esse in Sacramento præsentia. Dices, sunt efficacia in vsu Sacramenti. At hoc nisi in ipso quoque Sacramento reuera sint, non est satis vt in Sacramẽto verè præsentia esse dicantur. Nam & in omni loco, vbicunque aliquis per fidem charitate perfectam iustificatur, efficax est corpus & sanguis Christi, cuius nimirum energia iustificamur; neque tamen idcircò in omni tali loco est GREGORIVS. Non asseri verè sed mendaciter veram Christi præsentiam à Caluinistis.

Ita Caluinus in prima defensione doctrinæ de Sacram.

verè præsens corpus & sanguis Christi, nisi vultis fortè in gratiam redire cum Vbiquetariis. Cùm sit igitur verè præsens in Sacramento corpus & sanguis Christi, vt proprietas verborum eiusdem Christi fateri te, Fortunate, cogit; fatearis etiam necesse est, Christi corpus & sanguinem esse & contineri reipsa in Sacramento, & non tantùm in illo operari efficaciter.

Hanc præsentiam veram & realem Christi in Sacramento, non autem illam vestram verbalem, quæ reuera est absentia, intelligit Apostolus, dicēs: *Panis, quem frangimus, nónne communicatio corporis Christi est? & calix cui benedicimus, nónne communicatio sanguinis Christi est?*

FORTVNATVS *fol.* 18. *a*

Sed dicis, ideò hæc ab Apostolo scribi: *Quia panis & vinum medium sunt, quo ipsius crucifixi corporis & fusi sanguinis Christi participes, eoq; caro de carne ipsius, & ossa de ossibus, vnumq; adeò cum ipso corpus simus, quæ nostri cum Christo coniunctio, cùm non corporis, sed spiritus vinculo fiat; planum est; corpus etiam & sanguinem illius non corporis, sed fidei palato, vi Spiritus sancti, à nobis edi & bibi.*

GREGORIVS.

At ista duo minimè pugnant; nempe vt & fidei palato corpus & sanguis Christi edi & bibi debeant, & simul etiam in Sacramento panis & vini sumantur palato corporis. Immò id fieri verba Christi, quæ propriè intelligenda sunt, planè conuincunt. Neque verò Apostolus, cùm participationem panis & vini Eucharistici communicationem corporis & sanguinis Christi esse dicit, communicationem tantùm intelligit, qua per gratiam & fidem efficimur mēbra ipsius, & in vnum corpus cum illo coalescimus, sed realem etiam & corporalem coniunctionem cum ipso in hoc Sacramento, vt sanctos Patres suprà interpretantes audiuimus. Etenim communicatio corporis & sanguinis Christi, quæ per coniunctionē cùm illo in eodē mystico corpore per gratiam fit, etiam contingit in vsu aliorum mediorum nostræ salutis; de quibus tamen nusquam Apostolus, perinde ac de participatione huius Sacramenti dixit, quòd sint communicatio corporis & sanguinis Christi. Cùm autem Eucharistiam *panem* nominat, non vult

Lib. 1. cap. 5.

significare

significare substantiam panis in Eucharistia remanere, sed vsitata phrasi in Scriptura panem vocat, quia panis secundum speciem externam videtur, & quia vt panis reficit, & quia ex pane conficitur, vt suprà suo loco docuimus. Quare nullam vim habet illud quod præterea adiungis. *Lib. 2.*

Nónne verò, inquis, *Gregori, si panis* κοινωνία *corporis est, qui nos* κοινωνοὺς *corporis facit, seu vt scholia Græca loquuntur,* ὃς εἰς κοινωνίαν ἡμᾶς τοῦ σώματος συνάγει τοῦ Χριστοῦ, *non est ipsummet Christi corpus substantialiter? profectò si in corporis substantiam panis conuersa substantia est, non* κοινωνία *est, sed ipsummet substantiale Christi corpus; quo enim modo panis* κοινωνία *esset, si omninò panis non sit?* FORTVNATVS *fol. 18. a*

Nempe, Fortunate, quia est ibi nihilominus species panis, quæ non est ipsum corpus, sed communicatur per eam corpus, quatenus corpus ipsum reuera continet. Et quamuis ibi non sit substantia panis, tamen rectè ipsa species panis secundum vsitatam Scripturæ phrasim panis appellatur, vt paulò antè explicaui. GREGORIVS.

Vbi autem, inquis præterea, *illa panis fractio, cuius hîc Apostolus meminit? num consistere fractio ista cum corporea illa, vel sub pane, vel sub speciebus præsentia potest? nónne simul etiam frangetur corpus?* FORTVNATVS *fol. 18. b*

Minimè. Quia non in illo inhærent, nec illud afficiunt quantitatis illæ dimensiones quæ franguntur, sed subest illis alio quodam modo admirabili & impassibili. Quàm verò perperam vos isto loco D. Pauli abutamini ad persuadēdum, diuinum extare præceptum de communione sub vtraq; specie (quod hîc tu attingis) in alio loco demonstratum à me est. Neque enim hîc aut vsquam aliàs Apostolus dicit, poculum esse etiam necessariò omnibus distribuendum, sed vos id fingitis ex vestro capite. Porrò addis: GREGORIVS. *In disputat. de legitimo vsu Euch. in altera tantùm specie, cap. 3.*

Nec quidquam illa quoque Apostoli verba te iuuant, non discernens corpus Domini, μὴ διακρίνων τὸ σῶμα τοῦ κυρίου; *per corpus enim vel sanctus panis, Sacramentum corporis intelligitur;* FORTVNATVS *fol. 18. b*

ligitur; vel ipsummet Christi corpus. si illud discernere corpus erit, sanctum hunc panem non vt communem sumere, sed à communi quouis discernere; sin hoc quod magis placet, discernere erit, corpus Domini à pane sancto discernere, quod fit, cùm primùm, sicut oculis corporis fractum panem intuemur, sic mentis aciem Hierosolymam in crucem, in ipsum fractum & crucifixum corpus, intendimus, idq; ita contemplamur, ac si ante oculos nostros crucifigeretur; dein cùm sicut fractum panem ore corporis, sic crucifixum corpus ore mentis, quæ sola illud & videt & apprehendit, percipimus; ac denique cùm fractum panem hic in terra è manu ministri accipimus, crucifixum autem corpus sursum in cœlo; vbi verè agnus iste apponitur, & quo nobis, velut aquilis euolandum est, è manu summi Pontificis.

GREGORIVS. Quid sit non diiudicare corpus Domini.

Summa tuæ interpretationis est, *non diiudicare* corpus Domini, seu (quod idem est, vt tu paulò pòst fateris) *indignè manducare*, aliud non esse, quàm inter vtendum Eucharistia non cogitare Christum crucifixum, nec illum, in cœlo licet existentem, spiritualiter manducare per fidem. At non hoc propriè est; sed impura conscientia hunc cibum cœlestẽ, qui corpus ipsum Christi continet, comedere, perinde ac si dumtaxat panis & non corpus Christi esset.

I. *Cor.* II. Hoc patet primùm ex illis verbis Apostoli: *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, &c.* id est, videat qua conscientia accedit, vt edat. Deinde etiam ex verbis illis; *Quicunque manducauerit panem* HVNC, *vel biberit calicem* DOMINI *indignè, reus erit, &c.* Qualis enim est panis HIC? & qualis iste calix DOMINI? Nempe continet corpus ipsum, & sanguinem Domini. Talem enim hunc panem & hunc calicem esse, Apostolus ipse illis verbis est interpretatus: *Panis,* QVEM *frangimus, nónne communicatio* CORPORIS CHRISTI *est? Et calix benedictionis,* CVI *benedicimus, nónne communicatio* SANGVINIS CHRISTI *est?* Cũ ergo postea dicit idem Apostolus, reum esse corporis & sanguinis Domini illum, qui manducat HVNC panem, vel bibit hunc calicẽ DOMINI indignè; eum planè intelligit, qui indignè ac impura conscientia comedit corpus ipsum Christi, aut sanguinem

sanguinem eius bibit, & eatenus sit reus corporis & sanguinis Domini.

Tertiò ita sancti Patres interpretantur: *Valdè terribiliter*, inquit Chrysostomus, *Apostolus loquutus est, bonorum indicando caput, vt pura cum conscientia accedamus.* Et paulò pòst: *Nam si sensibili non communicaremus mensa, si febre laboramus, & malis humoribus abundamus, ne perderemur; longè magis hanc mensam tangere nefas est, absurdis cupiditatibus impediti, quæ febribus grauiores sunt.* Item D. Augustinus: *Iudicium*, inquit, *sibi manducat & bibit, quia immundus præsumpsit accedere ad Christi Sacramenta.* Item: *Sicut Iudas*, inquit, *cui bucellam Dominus dedit, non malum accipiendo, sed malè accipiendo, locum in se Diabolo præbuit, sic indignè quisque sumens Dominicum Sacramentum, non efficit, vt quia ipse* MALVS *est, malum sit, aut quia non ad salutem accipit,* NIHIL *acceperit,* CORPVS *enim Domini &* SANGVIS *Domini nihilominus erat etiam* ILLIS, *quibus dicebat Apostolus: Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit.*

Hom. 28. in 1. Cor.

Tract. 26. in Ioan.

Lib. 5. de Bapt. contra Donat. cap. 8.

Vides, quid sit manducare indignè? Nempe, non, sicut tu ais, accipere nudum signum, & ab eo non discernere corpus Christi; sed mala & immunda mente corpus ipsum Christi in Sacramento accipere, perinde ac si res tam diuina ibi minimè esset. Hoc nimirum est, *reum esse corporis & sanguinis Domini*, &, *iudicium sibi manducare*, non autem id propriè, quod tu dicis. Etenim si quis alioqui pura conscientia accederet, neque inter accipiendum Sacramentum illas tuas speculationes omnes haberet, sed absolutè de magnitudine charitatis Christi erga nos, aut quid simile, cogitaret, non propterea indignè acciperet. Verè enim D. Chrysostomus: *Solennitas*, inquit, *ad suscipiendum hoc Sacramentum est bonorum operum demonstratio, & animæ puritas, quæ si habueris, semper celebrare poteris solennitatem, & semper accedere.*

Hom. 28. in 1. Cor.

V. Sum itẽ hoc modo ratiocinatus. Mysterium id fidei, quod à Christo nobis in hoc Sacramento cõmendatum est, quodque ab Ecclesia semper quasi antonomasticῶs, mysterium est appellatum, dubitari non potest, quin & à ceteris mysteriis siue articulis fidei, propria sua quadam ratione differat, & singularem

Argumentum V.

gularem aliquam atque magnam difficultatem contineat, secundum eam ipsam propriam rationem suam, qua differt à reliquis. Id cùm per se clarum sit, ex multis etiam intelligi potest. Nam primùm ob insignem rei difficultatem, antequam eius mysterij promissionē faceret ipse Christus, stupendo miraculo, cum paucis panibus infinitam propè multitudinem satiauit, animos auditorum dōciles & faciles ad id mysterium credendum reddere studuit, vt sanctus Chrysostomus annotauit. Deinde rem grandem & singularem, atque admodum arduam se proponere, satis ipse Christus indicauit, grauissima illa asseueratione vtens: AMEN, AMEN *dico vobis, nisi quis, &c.* Tum argumento ex mysterio ascensionis (vt Cyrillus interpretatur) ducto rem eam quantumuis admirabilem, fide non esse indignam demonstrauit: *Hoc*, inquit, *vos scandalizat? Si ergo videritis Filium hominis ascendentem, vbi erat prius?* Id est, si præter naturam, caro mea in cœlum ascendet, quid mirum, si præter naturam vos etiam sustentet atque viuificet, inquit Cyrillus. Sic etiam Apostolus, non sine grauissimo quoque procœmio, quo sibi primùm auditorum fidem in re tanta conciliaret, de hoc mysterio dicere aggressus est: *Ego*, inquit, ACCEPI *à Domino, quod & tradidi vobis.* Quasi diceret, Rem maximam sum dicturus, sed quæ credi tamen, quamuis difficillima, à vobis debeat; quoniam non à me excogitata; sed à Domino, id est, à veritate ipsa, mihi testata atque tradita est.

Hom. 45. in Ioan.

Ioan. 6.

Lib. 4. in Ioan. cap. 22.

Ioan. 6.

1. Cor. 11.

Hoc verò cùm ita sit, non vident tamen Zvvingliani & Caluiniani nostri, eam se, negata reali præsentia, rationem statuere huius mysterij, quæ vel nihil reipsa differt ab articulis aliis nostræ fidei, vel si quidquam differt, nullam tamen propriam habet difficultatem alicuius ponderis, præter illam, quam continent alia mysteria. Qui enim iam credit, Christum etiam vt hominem, *vitam* esse nostram, id est, per ipsum gratiam spiritualem nos obtinere, atque eam *abundantiùs* etiam per gratiæ incrementum habere, tum *in ipso, & per ipsum* nos, vt Apostolus disputat, *omni benedictione spirituali*

Ioan. 14.

Ioan. 10.

Ad Ephes. 1.

benedi-

benedici, omnibusq; donis affici: hoc, inquam, qui iam credit, quid, obsecro, magnum atque difficile præterea credet, si crediderit panem, quia vitam fouet atq; alit, figuram & symbolum esse illius salutiferæ virtutis, humanitatis atque corporis Christi? At mirabile est, inquiunt, quod corpus illud Christi tanto locorum interuallo à nobis disitum; è cœlo tamen ad nos vsque transmittere possit spiritualis gratiæ robur atque virtutem. Primùm, si in ea re tantummodò mysterium hoc ponunt, non iam nobis magis, quàm sibi obiicere debebunt illud; Caro non prodest quidquam. Hìc enim disertè asserunt, prodesse carnem Christi ad salutem, & prodesse è cœlo. Itaque coguntur nobiscum illud interpretari, vt sit sensus; Non solam carnem sine fide & rectis animi motibus prodesse; aut certè nihil ad rem attinere carnalem illum comedendi modum, quem intellexerant Capharnaitæ. Deinde, Corpus & Humanitas Christi, è cœlo non suapte virtute, vt caussa principalis (id enim proprium DEI est) sed tantùm vt instrumentum gratiam efficit. Neque certa atque indubitata fide compertum adhuc est, quanám illud ratione sit gratiæ instrumentum. An quasi physicè, vti disputant, an duntaxat moraliter? Quocunque autem modo Christi corpus instrumentum esse gratiæ dicatur: primò cùm caussa instrumentalis tantùm esse ponatur, non est in ea re tanta difficultas atque admirabilitas, quantam inesse in hoc mysterio indicāt illa quæ commemorauimus. Deinde qualiscunque ea difficultas sit, ea tamen non est huius mysterij propria. Tum quod fides de sanctificatione nostra requirit, vt id humanitati Christi tribuamus, atque adeò corpori etiam Christi, quo ille pro nobis patiendo salutem nostram operatus est. Tum etiam quia certum est, humanitatem ac viuificam carnem Christi, caussam in vniuersum esse instrumentalem cuiuscunque gratiæ, quæ citra vsum etiam istius Sacramenti quandoque datur. Planum itaque est, Aduersarios cùm præsentiam Christi in sanctissimo Sacramento negant, nihil admirabilitatis ei mysterio relinquere, quod sit ipsi proprium; sicut est, verbi gratia, Baptismi propria spiritualis regeneratio ac sanctifica-

tio per aquam, & alia id genus, quæ in ſingulis noſtræ fidei myſteriis propriè ſunt mirabilia.

Huic argumento quod ex admirabilitate huius myſterij ſecundum rationem ipſius propriam, hunc in modum propoſui, primò reſpondet Fortunatus, *concedere ſe totum*, nempe myſterium iſtud ſingularem quandam admirabilitatem habere ſecundum ſuam propriam rationem, qua differt à myſteriis ceteris. Tum è veſtigio ſubiungit:

Fol. 19. a

FORTVNATVS *Admirabilitati iſti & proprietati ſufficit, ſi κοινωνῶσι, & menti fideli præſentia ſint corpus & ſanguis* IESV *Chriſti. ſed & in verbo, inquies, hoc modo præſens eſt corpus Chriſti. ſanè, Gregori: nec alia in hoc Sacramento corporis præſentia eſt, quàm præſentia miniſterij, & quæ in verbo eſt, cùm quoque verbum quoddam ſit, verbum, inquam, ſub aſpectum cadens.*

GREGORIVS. Nullam igitur huic myſterio aſsignas propriam admirabilitatem, quæ non ſit ei communis cum verbi miniſterio, & aliis mediis, in quorum vſu, per fidem caritate perfectam, Chriſto ſpiritualiter incorporamur. At eſſe quendam modum participandi corpus Chriſti, huius Sacramenti proprium, & maximè admirabilem argumentum meum conuincit, & tu etiam mihi das, cùm dicis, te *totum concedere*. Vacillas igitur, & neſcis quid dicas. Nec te ad argumentum meum diluendum iuuat illud quod addis.

FORTVNATVS *fol. 19. Tract. 80. in Ioan.* *Quidquid in Euchariſtia præter rem terrenam ſeu externa ſymbola offertur & percipitur, id, teſte Auguſtino, in verbo potiſsimùm offertur & percipitur: quemadmodum cordis ablutio in verbo, non in aqua eſt, quam aqua à verbo habet, non à vi verbi ſuper aqua prolati, ſed fide apprehenſi, ſiue, vt Auguſtinus loquitur, non quia dicitur, ſed quia creditur.*

Non colligitur ex hac Auguſtini doctrina, quod nullo modo ipſa res exeterna in Sacramẽto exhibeat Sacramenti effectum, ſed quod eam vim habeat res externa non naturâ ſua, ſed

sed vt subest verbo, ex quo etiam tanquam ex forma constat Sacramentum: idque non ita quasi verbum per se, atque natura sua præstet id rei externæ, hoc ipso quòd profertur, sed quia per illud, ex fide Ecclesiæ à ministro adhibitum, Sacramentum perficitur, & quia etiam à suscipiente Sacramentum (si sit adultus) credi debet id verbum, vt in eo Sacramento sit fructuosum. Itaque Augustinus non negat, quin res ipsa externa vniuscuiusq; Sacramenti propriam quandam suam vim, eandemq; mirabilem habeat præstandi supernaturalem Sacramenti effectum: Sed ostendit tantùm, vnde res externa eam vim habeat, nempe à verbo tanquam à forma, eo modo quo dictum est. Fatetur enim ibidem Augustinus aquã ipsam in Baptismo habere vim regenerandi spiritualiter, tametsi à verbo: *Vnde*, inquit, *est tanta virtus aquæ, vt corpus tangat & cor abluat, nisi faciente verbo? non quia dicitur* (id est, non naturâ sua, vt est *sonus quidam transiens*, sicut ibi Augustinus loquitur) *sed quia creditur.* Quin etiam ipse Christus hanc vim tribuit aquæ illis verbis: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto.* Nónne particula *Ex*, rationem quandam caussæ significat? Si concedis, crede testimonio Christi. Si negas, consequens est, vt pari impietate neges, à Christo ibi tribui Spiritui sancto vim regenerandi, non enim aliter eam illi tribuit hoc loco, nisi hoc ipso, quòd dicit, oportere vt homo renascatur, *Ex Spiritu sancto*, id quod similiter & vno contextu orationis pronunciat de aqua. Etsi verum est quidem, aquam non esse caussam principalẽ, sicut Spiritus sanctus est, sed tamen est verè caussa, nempe instrumentalis.

Tract. 80. *in Ioan.*

Ex hac igitur Augustini doctrina de virtute Sacramentorum confirmo rursus argumentum meum pro Christi præsentia in Eucharistia hoc modo: Nisi res externa huius Sacramenti exhibeat nobis corpus Christi realiter præsens, & eatenus vim habeat animos nostros per energiam præsentis corporis Christi spiritualiter nutriendi; non ipsa exhibebit ratione quadam sua propria & maximè admirabili effectum suum proprium, qui est (vt vos etiam fatemini) cõiunctio seu communicatio corporis Christi nobiscum, vt eius energia

Argumentum pro Christi præsentia in Eucharistia, ex propria Eucharistiæ ratione ductum.

ſpiritualiter paſcamur. At omninò fatendum eſt, rem ipſam externam Euchariſtiæ eum effectum propria quadam & maximè mirabili ratione ſua exhibere. Confitendum eſt igitur in re iſtius Sacramenti externa, corpus ipſum Chriſti realiter præſens exhiberi. Maior propoſitio ſatis patet ex argumento meo. Nam vt Chriſto abſenti in cœlo per gratiam incorporemur, nõ propriè per ſolam Euchariſtiam, ſed aliis etiam mediis noſtræ ſalutis efficitur; neque etiam eſt res maximè mirabilis, vt Chriſtus abſens, eatenus nos ſpiritualiter paſcere dicatur, quatenus per gratiam, quam ipſe nobis largitur, mens noſtra confortatur: neque hoc propriè & ſingulariter in Euchariſtia fit, ſed etiam extra Euchariſtiam, cùm merè ſpiritualiter Chriſtum manducamus. Minor autem propoſitio patet quoq; ex doctrina D. Auguſtini iam explicata. Quare falſum illud eſt, quod adiungis:

FORTVNATVS fol. 19. a — *Sicut igitur regenerationẽ in Baptiſmo non aqua, ſed verbum fide apprehenſum præſtat, ita quoq; cibum illum cæleſtem, carnem verbi, ſeu crucifixum Chriſti corpus, non panis aut ſpecies panis, ſed verbum, hoc eſt corpus illud meum, hoc facite in mei recordationem, propriè nobis exhibet; verbum, inquam, nõ ſuper panem prolatum, ſed fide apprehenſum.*

GREGORIVS. Immò verò ſicut ipſa regeneratio fit quoq; per aquã, vt ex Auguſtino ipſo oſtendi: ita quoq; oportet corpus Chriſti exhiberi nobis realiter per ipſam ſpeciem panis. Alioqui nõ exhibebit nobis Euchariſtia modo quodam ſuo proprio & maximè mirabili Chriſti corpus, vt probaui. Sed inquis:

FORTVNATVS fol. 19. b — *Sicut regeneratio per aquam in verbo, Baptiſmi, ſic paſtio & potatio, quæ ſancto pane & vino in verbo fiunt, Euchariſtiæ propria ſunt.*

GREGORIVS. At hæc paſtio & potatio noſtri ſpiritus, niſi fiat energia corporis Chriſti præſentis in Euchariſtia, nihil habet ſingularis admirabilitatis, quæ ſit propria Euchariſtiæ; quandoquidem etiam extra illam ſpiritualiter per gratiã Chriſti abſentis reficimur & potamur; ſicut & Patribus etiam veteris Teſtamenti fuit Chriſtus *eſca ſpiritualis & potus.* Sed neque propria

pria sunt Eucharistiæ illa mysteria, quæ exponis, cùm adiungis:

In Eucharistia præterea perennis illa victima, vt Emissenus loquitur, in memoria viuit, & denuò quasi occiditur & cruci affigitur, vnio fit membrorũ omnium, omnium Sanctorum, tam Angelorum, quàm hominum, tam eorum qui in cœlo, quàm eorũ qui in terra sunt, tum inter se, tum cum capite suo Christo, cum vera illius carne, vt omnes caro sint de carne eius, & ossa de ossibus eius. Ac quia cum vera Christi carne omnia illius membra coniunguntur, caro autem verbo siue τῷ λόγῳ hypostaticè est vnita; idcircò non solùm cum carne & humanitate, sed etiã cum diuinitate illius coniunguntur, & ex consequenti cum Patre, vt pulchrè Hilarius docuit, & Spiritu sancto, quibus cum idem Deus est, atq; adeò cum tota Trinitate. Hæc agni mactatio & stuporis plena vnio in cœnæ mysterio propriè fit, illiq; propria est. FORTVNATVS fol. 19. b. Lib. 8. de Trin.

Falsissimum est, eam vnionem esse propriam Eucharistiæ, si non fit per energiam corporis Christi in ipsa Eucharistia præsentis. Quid enim? Annón etiam quotiescunque aliàs Christi gratiam percipimus, cum Christo capite, & cum toto eius corpore mystico, & cum Patre quoq; ac Spiritu sancto vnimur? Nónne etiam extra vsum Eucharistiæ perennis illa victima, id est, Christus crucifixus, in memoria piorum viuit? Perspicuum est igitur, vos dum realem Christi præsentiam in Eucharistia negatis, nullam caussam reddere, cur Eucharistia κατ' ἐξοχὴν mysterium, cur tremendum & stuporis plenum, & maximè admirabile Sacramentum sit, vt Patres (quod tu etiam fateris) appellant, & ego argumento meo probaui. GREGORIVS.

VI. Item confirmaui assertionem Catholicam hoc modo: Cùm Christus possit omninò, vt antè ostensum est, nobis in Sacramento adesse sub aliena specie præsens; cumque ipsum voluisse ita facere, verba ipsius planissimè significent: duplex adhuc ratio, & vtraque sanè magna, accedit, cur illum ita in Argum. VI.

Sacra-

Sacramento adesse persuadere nobis prorsus possimus. quarum altera, ex infinita illius erga nos charitate; altera ex commodo nostro spirituali, cuius ille studiosissimus fuit, deducitur. Nam quis, cùm à sibi charissimis necessariò discedit, non item manere vellet cum illis, si in ipsius esset arbitrio & potestate positum, discedentem etiam manere? Effigiem autem sui aut munus quodcunq; abeuntes ad memoriam relinquunt iis, quos præcipuo amore diligunt. Quid facturi essent si restare ipsi & abire simul possent? At potuit Christus, & nos summa charitate dilexit, cuius certè virtutis ea vis est, vt amantem non modò præsentem amato sistat, sed quàm arctissimè fieri possit, vtrumque coniungat. Quod expendens hoc in loco diuus Chrysostomus: *Cùm suum*, inquit, *Christus in nos amorem indicare vellet, per corpus suum se nobis commiscuit, & in vnum nobiscum redegit, vt corpus cum capite vniatur. Hoc enim amantium maximè est. Hoc Iob significabat de seruis, à quibus maximè amabatur, qui suum amorem præ se ferentes, dicebant: Quis daret nobis, vt eius carnibus impleremur? Quod Christus fecit, vt maiori nos charitate astringeret, & vt suum in nos ostenderet desiderium, non se tantùm videri permittens desiderantibus, sed & tangi, & manducari, & dentes carni suæ infigi, & desiderio suo omnes impleri. Ab illa igitur Christi mensa, tanquam leones ignem spirantes, surgamus, diabolo formidolosi, & caput nostrum intelligamus, & quam in nos præstiterit charitatem.* Hæc & alia præclarè in eandem sententiam ibi Chrysostomus, vt ex natura charitatis confirmet præsentiam corporis & sanguinis Christi in Sacramẽto. Iam verò si ex commodo nostro, vt dicebam, rem etiam æstimemus, iudicio profectò & sensu de rebus diuinis caret omni, qui non sentit, quantum momenti ad charitatis, & spei, & fidei, & religionis, & ceterarum virtutum omnium studium in nobis accendendum, ea Christi præsentia & fides, atque persuasio de illa erat habitura. Nam (vt superiùs etiam diximus) qui non ferreus est, huius certè animus vehementissimè commouetur, cùm cogitat illum ipsum præsentẽ se tenere, & sumere, & illius carnibus impleri, cui tam multum debet, à quo tam multum & sperare & timere potest. Hîc mens perfunditur & pcellitur eiusmodi religione, quæ ne ab illis quidem,

Homil. 45. in Ioan.

Iob 31.

dem, quibus eam probè sentire donatum est, vllis verbis explicari potest. Ad hoc argumentum ita respondet Fortunatus.

Primùm, inquit, *falsum est, quod dicis, te iam antè monstrasse, Christum sub aliena specie præsentem adesse posse. Vbi enim id monstrasti? monstrare quidem primo capite conatus es, corpus Christi pluribus in locis præstò esse posse, sub aliena autem illud specie esse, id nusquam monstrasti. neque enim idem sunt, substantiam corporatam duobus in locis esse sua quantitate & qualitate, accidentibusq; præditam; & accidentibus propriis exutam, alienis quorum substantia euanescat, sicut alterius substantiæ accidentia, vestiri.* FORTVNATVS fol. 20. a

Nos, Fortunate, nihil dicimus minus, quàm Christi corpus, cùm in Sacramento sistitur, accidentibus exui propriis & alienis accidentibus vestiri. Nam nec afficitur ipsum accidentibus panis, quæ in Sacramento remanent, & omninò retinet ibi suam propriam quantitatem ac suas qualitates proprias. Tantùm cum illis panis accidentibus intimè coniungitur, vt antè coniungebatur substantia panis, quæ non simpliciter euanescit, sed in Christi corpus conuertitur, vt suo loco ostendimus. Hoc modo posse Christum sub aliena specie nobis adesse præsentem in Sacramento, non perperam dixi, me suprà ostendisse illis argumentis, quibus cõfirmaui posse vnum corpus adesse præsens, secundum substantiam suam in multis simul locis. Nam cur vos Christum adesse nobis posse sub aliena specie in Sacramento negatis? Nónne ideò potissimùm, quia posse vnũ corpus simul adesse in pluribus locis negatis? Si igitur hoc fieri posse ostẽdi; illud etiam esse posibile aduersus vos quidem ostendi. Adde quod argumentum meum quartum ex auctoritate Patrum ad id petitum, directò probat adesse Christum in pluribus locis sub aliena specie. Ita enim sentiunt Patres adesse Christum in Sacramento, ratione cuius nimirum dicũt, Christum admirabiliter adesse simul in multis locis. Adde etiam, quod nec est vllo modo impossibilis modus ipse per se, quo Christus sub GREGORIVS. *Lib. 2.*

ſpecie aliena exiſtit in Sacramento, vt capite tertio initiò defendi. Reſpondes præterea ad argumentum meum iſtis verbis:

FORTVNATVS *fol. 20. a*

Immenſum, inquis, *ſuum amorem, quo nos Chriſtus proſequitur, non tranſubſtantiatione aut cõſubſtantiatione erga nos declarat, ſed declarauit, & declarat, dum nos, mundum ſuo corpore relicturus, Patri commendauit, paracletum miſit, dum pro nobis intercedit, dum nos contra diabolum & mundum tutatur, dum famem & ſitim interioris hominis, vera ſua carne verè reſtinguit, noſq; crucifixo ſuo corpore, & fuſo ſanguine ad vitam æternam paſcit & potat, dum ſe nobis, vt Chryſoſtomus loquitur, commiſcet, & in vnum nobiſcum redigit, vt corpus cum capite vniatur, vtque caro de carne ipſius, oſſa de oſſibus ſimus.*

Ioan. 16. & 17.

GREGORIVS. Dicis, non pertinere ad Chriſti in nos amorem, vt eum etiam declaret manẽdo nobiſcum perpetuò in Sacramento. Quomodo ꝓbas? Nullo prorſus modo. Tantùm affers quædam alia, quibus nemo negat, quin etiam oſtendat Chriſtus ſuum erga nos amorem. Ego verò quod Chriſti charitatem ergo nos decuerit, vt nobiſcum etiam in Sacramento manere vellet, ſiquidem manere potuit; probaui ex natura ipſius charitatis, & luculẽto etiam teſtimonio diui Chryſoſtomi. Nam quod is Chriſtum præſentem in Sacramento nobiſcum coniungi reipſa intelligat, nimis cæcus es, Fortunate, ſi ex eius oratione non animaduertis. Quî enim alioqui haberet locum quod Chryſoſtomus tam grauibus verbis affirmat, voluiſſe Chriſtum præ amore erga nos *tangi* etiam à nobis & *manducari, & dentes carni ſuæ infigi?* Quorſum etiam ibi è veſtigio Chriſtum ita loquentem induceret: *Parentes ſæpenumerò liberos ſuos aliis alendos dederunt; ego autem mea carne alo, me vobis exhibeo.* Hæc & alia, quæ ſimiliter Chryſoſtomus illo loco ſcribit, appoſitè ſanè & grauiter dicuntur, ſi Chriſtus reuera coniunctus eſt cum illo externo cibo Euchariſtico, quem ſumimus, & quem tangimus, & cui dẽtes infigimus: Sin autem ab hoc cibo tantum Chriſtus abeſt, quantum cœlum à terra, vt vos vultis; nec aliud

Homil. 45. in Ioan.

aliud sit manducare Christum in Sacramento, quàm ab illo absente refectionem spiritualem gratiæ percipere; profectò non nisi admodum frigidè & ineptè à diuo Chrysostomo illa dicerentur. Sed obiicis ex illo loco Chrysostomi hoc modo:

Vnio, inquis, *membrorum cum capite, vt hic docet Chrysostomus, cùm ait;* [*vt autem non solùm per dilectionem, sed reipsa in illam carnem cõuertamur, per cibum id efficitur,*] *manducationem consequitur: cuius consectarium est, corpus Christi à membris tantùm Christi, seu, vt Augustinus loquitur, ab illis tantùm, qui in corpore Christi sunt, edi; siue, quod eodem redit, vnionem manducationem corporis semper consequi, deinde manducationem non aliam, quàm vnionem esse; quæ cùm spiritualis sit, non corporalis, vt passim tum Scripturæ tradunt, tum Chrysostomus, qui eam in Baptismo quoque fieri scribit, spiritualem quoque, non corporalem manducationem esse; qua verum quidem Christi corpus percipimus, sed cordis, non corporis palato.*

FORTVNATVS *fol. 20. a b*

Tract. 26. in Ioan.

Serm. 20. ad Ephes.

Enumerabo illa, quæ falsò colligis. Primùm, inepta est illa tua consequentia: Vnio membrorum cum capite Christo manducationem Christi in hoc Sacramento consequitur: Igitur corpus Christi à solis membris Christi, atque adeò solo fidei palato, non autẽ ore corporis, editur. Hoc dico non rectè colligi. Nam vnio cum Christo per gratiam non ita ex manducatione Sacramentali consequitur, vt semper contingat; sed vt contingat certè quantũ est ex vi ipsius Sacramenti, nisi conscientiæ impuritas impediat. Neq; aliter intelligi debent verba Christi aut sanctorum Patrum, quibus ea vnio Sacramentali manducationi asscribitur. Nam & Sacraměto Baptismi spiritualem regenerationem similiter asscribũt Christus & Patres; & tamen non semper sequitur ex Baptismo, sed quantum est quidem ex vi Sacramenti; si non obstet impœnitentia suscipientis. Item morti Christi tribuitur hominis iustificatio: non ita sanè, quasi omnes homines per mortem Christi iustificentur, sed quia quantum est ex vi illius, omnes

GREGORIVS.

Vnio cũ Christo, quomodo sit effectus Eucharistiæ.

Ioan. 3.

possunt iustificari, si beneficio mortis Christi rectè vtantur. Ita igitur per manducationem Christi in Sacramẽto Eucharistiæ vnitur homo cum Christo, non ita vt semper vniatur, qui manducat, sed quantum est ex vi Sacramẽti, si homo ipse sua improbitate non illi obstet. Quo fit, vt quandoque Christus in hoc Sacramento Eucharistiæ manducetur ab eo, qui non vnitur cum Christo tanquam viuum eius membrum, atque adeò vt manducetur solùm ore corporis: Tum videlicet cùm eius qui Sacramentũ suscipit non est animus purus. Hoc testantur manifestè Chrysostomus & Augustinus, quorum tu auctoritate abuteris. Verba enim D. Chrysostomi sunt: *Qui manducat*, inquit, *& bibit indignè sanguinem Domini, iudicium sibi mãducat et bibit. Nam si qui regiam purpuram coinquinant, haud secùs, quàm qui scindunt, puniuntur; quid mirum, si qui immunda conscientia Christi corpus accipiunt, idem supplicium subeant, quod qui eum clauis cruci affixerunt?* Potuítne clarius dicere ipsum Christi corpus solùm ore corporis ab iis etiam percipi, qui immunda sunt conscientia, quíque non vniuntur cum Christo? Item Augustinus: *Indignè*, inquit, *sumens Dominicum Sacramentum, non efficit, vt quia ipse malus est, malum sit, aut quia non ad salutem accipit, nihil acceperit. Corpus enim Domini & sanguis Domini nihilominus erat etiam illis, quibus dicebat Apostolus; Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit.* Certè est euidentissimum ex Augustini & aliorum Patrum, quos suprà citaui, sententia, à malis quoque manducari corpus Christi Sacramentali quidem manducatione atq; adeò ore corporis. Quocirca cùm aliàs diuus Augustinus ait: *Non manducari corpus Christi ab eo, qui non manet in Christo*, necessariò intelligi debet de fructuosa, & spirituali duntaxat manducatione, qua scilicet animus ipse spiritualiter etiam nutriatur.

Homil. 45. in Ioan.

Lib. 5. de Bapt. contra Don. cap. 8.

Lib. 1. cap. 5.

Tract. 26. in Ioan.

Secundò. Non minus inepta consequentia est, cùm colligis, idcircò mãducationem Christi in Sacramento nõ aliam esse, quàm vnionem cum Christo, quia ex manducatione hæc vnio consequitur. Immò verò sequitur euidenter, aliud esse vnionem, & aliud manducationem, si vnio ex manducatione sequitur. Nihil enim sequitur ex seipso.

Tertiò.

Tertiò. Denique nihilo plus illa tua consequentia valet: Vnio, quæ ex manducatione sequitur, est spiritualis, qualis fit etiam, teste Chysostomo & aliis Patribus, in Baptismo: Igitur etiam manducatio Christi in Sacramento, debet esse duntaxat spiritualis, non corporalis. Quasi verò Christus corporalibus rebus non vtatur ad effectus spirituales. Vsque adeò cæcus es, vt non videas funditùs euerti à vobis isto vestro modo argumentandi totam Christianam religionem? Colligam enim similiter hoc modo: Regeneratio & vnio cum Christo, quæ fit in Baptismo, est spiritualis, non corporalis: Ergo etiam ablutio ipsa Baptismi, debet esse solùm spiritualis, non corporalis. Item: Salus hominum, cuius caussâ Verbũ diuinum est incarnatum, est spiritualis, non corporalis: Ergo incarnatio etiam Verbi diuini debuit esse spiritualis & mystica, non corporalis. Item: Iustificatio hominum, cuius caussâ Christus passus & mortuus est, & resurrexit, est spiritualis, non corporalis: Ergo Christus spiritualiter tantùm passus & mortuus est, & resurrexit, non corporaliter. En, miserrime Fortunate, nisi reuoces pedem, quò te deducit suis argumentis secta Caluinistica, nempe vt nihil credas de summa Christianæ religionis. Sed inquis adhuc de D. Chrysostomo:

Argumentandi forma Caluiniana totam Christianam religionem euerti.

Videri Christum in Sacramento scribit; & non solùm videri, sed & tangi, & manducari, adeóque dentes carni eius infigi. Num verò hæc Christi corpori competunt?

FORTVNATVS *fol.* 20. *b*

Omninò, Fortunate, hæc competunt Christi corpori, nõ quidem secundum se, se secundum species Eucharistiæ, quibus reipsa subest. Nam quemadmodum suprà exposui, eatenus Christi corpori dentes infigi dicuntur, quatenus illi rei infiguntur, cum qua Christi corpus non minùs verè & intimè coniunctum est, quàm solet esse cum suis accidentibus substantia eius rei, quæ dentibus configitur & laceratur. Quod si non ita esset, ineptissimè profectò Chrysostomus ad mysterium commendandum diceret corpori Christi dentes infigi in Sacramento. Quantula namque res esset, nudo signo corporis Christi, à quo Christi corpus tantum, quantum cœlum à

GREGORIVS.

terra abſit, dentes infigi? Nimis profectò inſenſibilis es, ſi non percipis quàm letaliter hæc verba D. Chryſoſtomi vos vulnerent. Fruſtrà verò illa ſubiungis:

FORTVNATVS fol. 20. b

Nobiſcum igitur Chriſtus eſt Sacramentaliter; quia Sacramentum nobis commendauit: nobiſcum eſt κοινωνικῶς; *quia verè vera ipſius caro à nobis editur, nobiſq; vnitur: nobiſcum eſt ſua Deitate, qua cælum & terram implet. His modis qui à nobis diſceſſit, nobiſcum manſit. vt autem vero ſuo corpore, & corporaliter diſceſſerit ſimul & manſerit, id ſine contradictione dici non poteſt: cùm nulla planè deſit conditio contradictionis.*

GREGORIVS. Chriſtum diſceſsiſſe ex mũdo, & manere in Sacramento, quomodo contradictionem non implicet.

Atqui contradictio, affirmatio & negatio eſt eiuſdem de eodem ſecundum idem. Nos autem minimè dicimus, Chriſtum diſceſsiſſe ſeu non manſiſſe nobiſcum ſecundum illa loca, in quibus eſt nobiſcum in Sacramento; ſed ſecundum alia in quibus antea verſatus eſt viſibiliter, & quæ ſimpliciter reliquit tum cùm abiit in cœlum. Quòd ſi de illis ipſis locis quæras, in quibus nobiſcum eſt ratione Sacramenti: nequaquam dicimus abſolutè, illum ſecundum ea loca abeſſe à nobis, ſed tantùm non quidem eſſe ibi eum viſibiliter; eſſe autem inuiſibili & Sacramentali modo. Ita nulla eſt hîc contradictio. Sed neque eſt in eo, quod aſſerimus illum ſimul in pluribus locis eſſe, nempe in cœlo & in terra, vbicunque eſt Sacramentum, vt ſuo loco ſuperiùs defendi.

Cap. 2.

Quod autem ais, nobiſcum eſſe Chriſtum Sacramentaliter, quia Sacramentum nobis commendauit, præſtigiæ ſunt veſtræ. Quis enim ferret ita loquentem: Nobis adeſt præſens Imperator legaliter, hoc ipſo quòd nobis (abſens licet) leges ſuas commendauit? Vnionem autem illam noſtri cum Chriſto abſente, iam ſuprà docui, non eſſe huius Sacramenti propriam. Neque etiam ſatis eſt præſentiam Chriſti ſecundum Deitatem confiteri, ſed oportet etiam veram præſentiam illius ſecundum humanitatem in hoc Sacramento agnoſcere, vt probaui, quam vos minimè quidem retinetis, tametſi hoc inanibus verbis ſimulatis, ne veſtræ ſententiæ impietas, ſi nudè

& apertè

& apertè proponatur, clarissimè ab omnibus conspici possit. Postremò ad id etiam quod in argumento meo confirmabam, præsentiam realem Christi in hoc Sacramento coniunctam esse cum summo nostro commodo spirituali. sic respõdet vel potius sic non respondet Fortunatus.

Verum, inquit, *commodum & solatium est, quod in Scripturis fundatum est; quod autem Scripturis aduersatur, id non commodum, sed incommodum, non solatio est, sed ad desperationem adigit; ac quantum, quæso, illud est, quod mihi cum impio & scelerato quouis commune est? Spiritualis Christi manducatio, quæ facit, vt Christus in me maneat, & ego in eo, verum solatium est & commodum, quippe sine qua corporea illa, vobismet testibus, nihil planè prodest, sed potius plurimum obest, vtpotè cum æterno exitio coniuncta.* FORTVNATVS fol. 20. b

Rursus argumentum profers, Fortunate, quod euertit fundamentum Christianæ religionis. Hæc est enim tua consequentia: Præsentem habere Christum in Sacramento, commune mihi cum quouis impio & scelerato est; ac exitium æternum id affert, nisi spiritualiter Christus manducetur: Ergo non in ea præsentia, sed in hac spirituali manducatione verum commodum & solatium est. Perspice nunc impietatem istius argumenti, in hoc argumento persimili. Habere Christum redemptorem, & mediatorem, & pontificem, & hostiam in sanguine suo, commune mihi cum quouis impio & scelerato est; ac exitium æternum affert, nisi quis per fidem legitimã eo beneficio rectè vtatur, vt patet ex Apostolo Paulo: Ergo non in Christo ipso redemptore, & mediatore, & pontifice, & hostia, neque in Christi sanguine, sed solùm in legitima fide verum commodum & solatium est. GREGORIVS. Totam religionem Christianam ruere, si fundamenta stent Caluinianæ doctrinæ. *Hebr.* 10.

Quin etiam si hæc vestra forma argumenti valet, Deum quoque, & solem, & orbem ipsum afferre nobis aliquod commodum deberetis negare. Annón enim habere Deum, commune quiddam est bonis cum impiis & sceleratis? Nónne etiam Deus solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos? Quid igitur, Fortunate? Ideóne *Matth.* 5.

dices,

dices, nec Deum, nec solem, nec pluuiam, nec reliquas creaturas esse nobis commodo atque solatio? Si hoc dicis, non modò non Christianus, sed atheus quoque, immò stultus es, qui solem etiam de mundo velis tollere. Si non dicis, ne dicas etiam, ideò præsentiam realem Christi in Sacramento parùm commodam nobis esse, quia communis sit etiam sceleratis: nihilominùs enim hoc ipso nobis commodissima est, quòd saluberrima esse ipsa potest iis omnibus, qui ea rectè vtuntur, sicut & mors, & sanguis Christi, quamuis sit fusus pro omnibus, tam impiis, quàm bonis. Quod autem assertionem huius præsentiæ, atq; adeò commoditatem illius, testimonio Scripturæ niti negas, facis hoc ex perfidia Caluinistica. Nulla enim assertio fidei planiori Scripturæ testimonio confirmata est, vt superiùs abundè probatum est. *Lib.* 1.

Argumentum VII. *Lib.* 1. *c.* 5. VII. Postremum argumentum pro Christi præsentia in Sacramento, ex luculētis Patrum testimoniis collegeram: quod quia suprà, & quidem aliquantò etiam vberius expositum habet Lector, non existimaui hoc loco repetendum esse. Accedit quòd euidentius id argumentum est, quàm vt eludi possit vllis Caluinisticis cauillationibus. Quò fit, vt neque aliquid ad rem hîc responderit Fortunatus.

Ac primò quidem obscurare nititur illa testimonia, quibus non tantùm signum corporis Christi, sed ipsum corpus Christi in Sacramento esse, æquè clarè asseritur, ac nos iam id dicimus cùm disputamus contra Caluinistas ipsos. Quo ex genere testimoniorum alterum locum hîc recitaueram ex D. Ioanne Damasceno, alterum ex Theophylacto, qui ex sententia quoque aliorum Orthodoxorum Patrum, id clarissimè affirmant: *Nec verò*, inquit Damascenus, *panis & vinum corporis Christi figura sunt (absit enim hoc) verùm ipsummet Domini corpus diuinitate affectum. Quippè cùm ipsemet Dominus dixerit: Hoc est, non corporis signum, sed corpus; nec sanguinis signum, sed sanguis.* Vt autem hanc fidem mysterij Damascenus persuaderet, sic etiam paulò superiùs dixerat: *Si ipsemet Deus verbum ex immaculatis sanctæ ac semper Virginis sanguinibus carnem sibiipsi sine semine condidit: quid tandem afferri potest, quin ex pane corpus suum, & vino, & aqua sanguinem suum* *Lib.* 4. *c.* 14.

ſuum efficere queat? Dixit antiquitus, producat terra herbam virentem; atque ea etiam num orto imbre fœtus ſuos producit diuino præcepto impulſa ac roborata. Dixit Deus: Hoc eſt corpus meum, &: Hic ſanguis meus, &: Hoc facite in meam commemorationem. Atque omnipotenti DEI *præcepto, donec ipſe veniat, hoc efficitur (his enim verbis, donec veniat, vſus eſt) ac pluuia huic nouæ ſegeti per conſecrationem exiſtit ſancti Spiritus vis inumbrans. Quemadmodum enim, quidquid Deus fecit, id ſancti Spiritus opera fecit: eodem modo nunc quoque Spiritus operatio ea, quæ naturam ſuperant, efficit, quæque niſi ſola fide capi atque intelligi nequeunt. Quomodo mihi fiet iſtud? aiebat ſancta Virgo. Reſpondet Gabriel: Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Tu quoque nunc quæris, quomodo panis fiat corpus Chriſti, & vinum aquæ coniunctum ſanguis Chriſti fiat? Tibi item reſpondeo: Spiritus ſanctus ſuperuenit, eaque efficit, quæ orationis facultatem, ac mentis intelligentiam excedunt. Panis porrò & vinum ob eam cauſſam adhibentur, quia* DEO *nota eſt humana imbecillitas: quippe quæ vt plurimùm ea quæ vſu & conſuetudine minimè trita ſunt auerſetur.*

Tum Theophylactus explicans illud apud Marcum: *Hoc eſt corpus meum: Hoc,* inquit, *quod ſumitis. Non enim tantùm figura & exemplar eſt corporis Dominici panis, ſed in illum conuertitur corpus Chriſti. Dominus enim dicit: Panis quem ego dabo, caro mea eſt. Non dixit, figura eſt carnis meæ, ſed caro mea eſt. Et iterum: Niſi ederitis carnem Filij hominis. Et quomodo, inquis, caro non videtur? Noſtram ob infirmitatem iſtud fit. Quia enim panis & vinum ex his ſunt, quibus aſſueuimus, ea non abhorremus: Sanguinem verò propoſitum & carnem videntes non ferremus, ſed abhorreremus. Idcirco miſericors Deus noſtræ infirmitati condeſcendens* SPECIEM *quidem panis & vini ſeruat, in virtutem autem carnis & ſanguinis tranſelementat.* *In ca. 14. Marc.*

Ac rurſus in Matthæum: *Porrò, inquis, dicens: Hoc eſt corpus meum, oſtendit quòd ipſum corpus Domini eſt panis qui ſanctificatur in altari, & non reſpondens figura. Non enim dixit: Hoc eſt figura, ſed: Hoc eſt corpus meum. Ineffabili enim operatione transformatur, etiamſi nobis* VIDEATVR *panis. Quoniam infirmi ſumus & abhorremus crudas carnes comedere, maximè hominis carnem. Et ideò* PANIS QVIDEM VIDETVR, SED CARO EST. *In c. 26. Matth.*

Volui horum auctorum duorum testimonia paulò fusiùs referre, vt eò magis pertinaciam Fortunati Lector miretur, quòd huiusmodi etiam testimonia clarissima suis tenebris Caluinisticis obscurare conatur.

Fol. 21. a

Primò dicit auctores istos *esse recentiores*. Sed nónne Caluinistæ longè recentissimi sunt? Floruit enim Damascenus ante octingentos annos, & Theophylactus ante septingentos. Caluini autem & Caluinistarum nomen vix ab annis circiter quadraginta innotuit. Nec sanè Damascenus & Theophylactus eam doctrinam de Christi præsentia in Eucharistia primi excogitarunt, sed ab antiquioribus Patribus acceperunt, quandoquidem propter illam apud nullos vnquam Orthodoxos malè audierunt, sicut nunc Caluinistæ propter nouatam doctrinam antiquam de Eucharistia, apud omnes alios præter ipsos in orbe vniuerso pessimè audiunt, immò hæretici palàm proclamati sunt. Deinde inquit iste de Damasceno & Theophylacto:

FORTVNATVS fol. 21. a

Lubens do, eos, ad rem ipsam quod attinet, nihil antiquorum Patrum doctrinæ aduersarium de hoc Sacramento tradidisse. Quid in illorum scriptis inueneristi?

GREGORIVS.

Nempe, Fortunate, clarissima testimonia pro Christi præsentia in Eucharistia, quæ iam ipsorum verbis recitaui. Sed ais de Damasceno:

FORTVNATVS fol. 21. a

Tuum verò, Gregori, etiam erat ostendere, vbi diceret, Christum corpus suum & sanguinem sub pane & vino, siue sub speciebus demonstrauisse: deinde Patres omnes à figuræ nomine abhorruisse. Constat enim, qui & quot figuræ, signi, typi, antitypi nomine vsi sint.

GREGORIVS.

Potuítne Damascenus clarius dicere, Christum sub specie panis & vini suum corpus & sanguinem demonstrauisse, quàm cùm toties repetit (vt audiuimus) Christum non dixisse; Hoc est figura, sed; Hoc est corpus meum; &; Hic est, non figura, sed sanguis meus? At, inquis, alij Patres vocant signum & figuram. Omninò, Fortunate, res ipsa externa & visibilis Eucharistiæ de sententia Patrum est signum & figura corporis

corporis & sanguinis Christi, sed non signum nudum aut nuda figura, quæ scilicet non in se contineat rem ipsam significatam, de qua verè & propriè dictum sit: Hoc est corpus meum, &: Hic est sanguis meus. Ita minimè aliis Patribus repugnat Damascenus. Nam is non omninò negare vult ipsam Eucharistiam esse signum corporis Christi, sed negat quidem esse nudum signum, id est, ab ipsa re significata vacuum. Adde quòd nonnunquam Patres panem & vinum vocant figuram corporis & sanguinis Christi, non post consecrationem, sed ante, vt Damascenus ad finem illius capitis notat de D. Basilio in eius Liturgia. *Lib. 4. cap. 14.*

Deinde Fortunatus eludere multis verbis & ambagibus sententiam Damasceni conatur, quorũ vis & summa hæc est; Damascenum cùm dicit, panem & vinum non esse signum corporis Christi, sed ipsum corpus, nõ ideò hoc dicere, quòd panis substantiam abolitam, eumq; nullo modo figuram esse censeat, sed quòd non meram talemque figuram esse censeat, quæ cum veritate non sit coniuncta: ac proinde tantummodò velle dicere, quòd non panis nudus in hoc Sacramẽto nobis dispensetur, sed ipsum Christi corpus: licet absens in cœlo, vt isti intelligunt: remanere autem nihilominus ibi substantiam ipsam panis ex sententia Damasceni. *Fol. 21. 22. 23.*

Quod iste probat his rationibus. I. Quia dicit Damascenus, nos, *sicut ex duplici natura constamus, ita etiam duplici cibo pasci in hoc Sacramento, scilicet ipso Domino* IESV CHRISTO, *qui est verus panis de cœlo descẽdens, & alit spiritum; & pane ipso Eucharistiæ sanctificato, qui nutrit etiam corpus; quemadmodum in Baptismo ex duplici re nascimur, scilicet, ex Spiritu sancto, quo velut irrigatur animus, vt loquitur Chrysostomus; & ex aqua, quæ corpus abluit.* II. Quia hoc ideò factum esse dicit Damascenus, *vt per vsitata*, inquit, *naturæq; consentanea, ad ea, quæ supra naturam sunt, assurgamus*; id est, vt discamus, sicut consueto more panis & vinum corporis famem & sitim restinguunt, ita corpus & sanguinem Christi animę sitim & famem restinguere: & vt ex consueto rerum effectu fidei nostræ adiuta infirmitas doceatur: & vt creatura illa nota & solenni, cuius vim & effectum naturalem sensimus, anima spiritualiter saginetur, vt *Hom. 45. in Ioan.*

Lib. 4. c. 3. ait D. Ambrosius: Manet ergo ibi vsitata substantia panis. 3. In Baptismo secundum Damascenum non est necessaria conuersio substantiæ aquæ: Ergo neque in hoc Sacramento conuertitur substantia panis. 4. Quia secundum Damascenum *cum pane* DEITAS *coniungitur*: Ergo incolumis & salua panis substantia est, cùm coniungi nequeant nisi quæ actu sunt. 5. Quia, *quemadmodum*, inquit, *simplex lignum non carbo est, sed lignum igni vnitum; ita quoque panis communionis non simplex panis est, sed vnitus Deitati*: Manet igitur ibi panis. 6. Quia dicit, *nos omnes vnum panem participare:* quòd cùm dicit, panem incolumem manere scribit. 7. Quia postea panem ἀντίτυπον corporis esse concedit: Ergo ibi manet panis. 8. Quia contra eos dixit, panem non esse figuram corporis, sed corpus, qui nihil nisi figuram & virtutem quandam carnis, vt ex Paschasio liquet, in hoc tremendo mysterio dispensari docebant. 9. Quia ad id probandum verba illa Saluatoris arcesit: *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, &c.* quæ non nisi de spirituali manducatione loquuntur. 10. Denique quia non dicit, in, vel sub pane, aut specie panis, corpus Christi esse, sed panem ipsum (verum scilicet panem, cuius substantia vnà cum effectu suo naturali permaneat, & non euanescat) verum Christi corpus esse.

Vindicatur Damasceni locus à Fortunati corruptela.

Respondeo. Quantam vim iste inferat clarissimæ sententiæ Damasceni, facilè Lector intelliget, si rursus verba Damasceni à me recitata secum reputet, & conferat cum istius tum interpretatione commentitia, tum argumentis. Sic enim ego contra istam Caluinisticam interpretationem, vel potius deprauationem ex verbis D. Damasceni euidentissimè argumentor: Si illud quod Christus pronominibus illis; *Hoc*, &, *Hic*, in manibus suis præsens demonstrauit, non est tantùm figura corporis & sanguinis Christi, sed verè & propriè ipsum corpus & sanguis Christi: manifestum est, non esse id substantiam panis & vini, sed solùm substantiam corporis & sanguinis Christi. At ex Damasceni sententia, quod Christus illis pronominibus demonstrauit, non est tantùm figura, sed verè &

propriè

propriè ipsum corpus & sanguis. Igitur ex Damasceni sententia, manifestum est, id non esse substantiam panis & vini, sed solùm substantiam corporis & sanguinis Christi. Maior propositio patet. Nam ipsi quoque Caluinistæ passim fatentur, substantiam panis non posse esse verè & propriè corpus Christi, cùm hæc duo sint disparata: atque ideò dicũt, id quod Christus demonstrauit, metonymicè tantùm esse corpus & sanguinem Christi, id est, non esse verè ac propriè ipsum corpus & sanguinem, sed signum duntaxat corporis & sanguinis, atque eatenus corpus & sanguinẽ nominari. Minor quoque propositio patet euidentissimè ex verbis Damasceni: Affirmat enim id quod Christus demonstrauit, non esse tantùm signum corporis, sed verè ipsum corpus: in quo è diametro contradicit Caluinistis asserentibus ideò solùm appellari corpus, quia est signum corporis, quod in cœlo absens nobis dispensetur. Porrò consequentia mei argumenti ex sententia Damasceni exstructi, etiam est euidens. Quare sequitur euidenter, istius interpretationem non esse interpretationem, sed manifestam deprauationem sententiæ diui Damasceni. Quo constituto, facilè diluuntur omnia istius argumenta.

Ad 1. respondeo. Quamuis in Eucharistia non sit substantia panis, tamen duplex est in ea cibus, iuxta illam Damasceni sententiam. Alter est ipsummet Christi corpus. Alter continetur ipsis speciebus, siue accidentibus panis. Nam cùm in his etiam sit virtus nutriendi, verè cibus dici possunt. Neq; hoc Fortunatus satis refutat, cùm solùm hîc dicit: *Merum figmentum hoc esse, & ex Scripturis non haberi.* Primùm enim, qualis est modus argumentandi, inficiari tantummodò? Hoc quidem nobis, qui pro Ecclesia Catholica respondemus, quandoq; sufficere posset: istis verò minimè, quippe cùm sint in caussa fidei accusatores improbi Ecclesiæ, & idcircò semper eis onus incumbat probandi. Deinde eam doctrinã partim habemus ex Scriptura, partim ex euidenti experientia. Nam ex Scriptura habemus non esse in Eucharistia substantiam panis, vt suo loco superiùs demonstrauimus; & experientia

Fol. 22. b

Lib. 2. cap. 2.

rientia ostendit, nihilominus refici atque nutriri corpus speciebus Eucharistiæ. Vnde perspicuum est in Eucharistia esse quoq; cibum externum sine substantia panis, hoc est, esse ibi rem in qua vis insit reficiendi corpus.

Ad 2. iam patet responsio ex responsione ad 1. Nam hîc etiam vsurpatur nihilominus consuetus cibus, quod attinet ad vim nutriendi, quæ propriè spectatur in cibo. Hîc etiam est effectus cibi, nimirum corporis refectio. Quæ duo satis sunt, vt ea re confirmetur in nobis fides de refectione animæ per ipsum corpus Christi, iuxta sententiam Damasceni & aliorum Patrum.

Ad 3. respondeo. Nihil valet consequentia. Nam de conuersione aquæ in Baptismo nihil habemus ex Scriptura: benè autem de conuersione panis in Eucharistia; vt ipsemet Damascenus verbis, quæ suprà recitaui, luculenter asserit ex illo sermone Christi: *Hoc est corpus meum.* Quod si locum proferre posit Fortunatus, in quo Christus de aqua Baptismi dixerit; Hoc est corpus meum, vel sanguis meus, sine mora concedemus illi etiam transubstantiationem aquæ.

Ad 4. respondeo. Nego consequentiam. Nam dupliciter intelligere possumus vniri diuinitatem cum pane. Vno modo secundum agendi virtutẽ: quatenus videlicet illum in corpus Christi mirabiliter cõuertit: sicut dicimus ignẽ, verbi gratia, vniri cum ligno, vt illud in ignem transmutet. Altero modo Sacramentaliter, quatenus videlicet cõiuncta est hypostaticè corpori Christi, quod pani Eucharistico subest, ex quo fit, vt Eucharistia sit cibus viuificus. Iam sententia Damasceni cùm dicit, diuinitatem vniri pani, de vtroque modo vnionis verè accipi potest. Sed tamen neutro modo sequitur, remanere in Eucharistiæ substantiam panis. Nam iuxta priorem modum non est opus, vt etiam in termino operationis res actu maneat, sed satis est, vt prius actu fuerit: Lignum enim, cui secundum operationem vnitur ignis, non manet actu lignum in termino operationis ignis, sed conuertitur in ignem. Iuxta posteriorem autem vnionis modum, actu quidem manet panis Eucharisticus: sed is non idcirco à Damasceno

sceno vocatur panis, quia substantiam etiam suam retineat, sed quia panis videtur, & vt panis reficit, & ex pane conficitur; sicut suprà docuimus ex vsitata phrasi Scripturæ & sanctorum Patrum. Porrò ad hanc sententiam Damasceni respondit etiam in sua summa D. Thomas iuxta priorem vnionis modum, cuius responsionem cauillatus est Fortunatus, qui tamen ab eo argumentum ipsum accepit. Primò autem contra eam responsionem obiicit, quod Damascenus de posteriori modo vnionis loquitur. Sed hoc non negat D. Thomas: quamuis respõdet etiam iuxta modum priorem, de quo potest item intelligi Damascenus. Deinde quærit: *Quando coniungitur Diuinitas cum pane illo modo priori, scilicet secundum virtutem?* Respondeo. Illo tempore, quo durat prolatio verborum consecrationis, per quæ tanquam per instrumentum efficit Diuinitas conuersionem panis, quæ sequitur in vltimo termino prolationis eiusmodi verborum. Postremò ait iste ex inscitia: *Si vi adiunctæ Deitatis panis transsubstantiatur, vbi verbum operatorium? Vi enim verborum virtus tantùm ista diuina cum pane coniungetur.* Respõdeo. Non hæc est verborum vis, vt Deitatem cum pane ad operandam conuersionem coniungant, sed vt per illa, tanquam per instrumenta quædam, mirabiliter Deitas conuersionem panis in corpus Christi efficiat. Atque ita scire deinceps poteris, Fortunate, quomodo non solùm Diuinitas sit operatoria conuersionis, tanquam caussa principalis, sed etiam Verbum, vt instrumentum quo Deitas ad eum effectum mirabiliter vtitur.

3. p. q. 75. art. 2. Fol. 22. b

Ad 5. respondeo. Ex illa similitudine carbonis, contrà potiùs euidenter sequitur, non esse substantiam panis in pane Eucharistico. Nam neque est verè substantia ligni in carbone ignito, licet lignum ignitum vocetur, propter æquales vel easdem dimensiones, quæ remanent in carbone. Ita in proposito, panis Eucharisticus panis dicitur, quia retinet eadem accidentia & dimensiones panis, non quia secundum substantiam panis sit. Quam rem ipse Damascenus exponit, cùm

cùm ibi aſsignat diſcrimen, quod eſt inter vnionem panis cũ corpore Chriſti Deificato, & vnionem Deitatis cum ipſo corpore Chriſti: Nempe quòd corpus & Deitas, quæ vniuntur, *non vna natura ſunt, ſed duæ, vna quidem corporis, altera autem diuinitatis. Panis autem & corpus Chriſti vna natura ſunt*, nempe natura ipſa vnica corporis Chriſti; ſicut antea quoq; affirmauerat, hunc panem (ſecundum naturam videlicet & ſubſtantiam ſuam) *eſſe ipſum corpus Chriſti, & non figuram eius.* Quare non reſtat etiam in pane Euchariſtico ſubſtantialis natura panis. Quod paulò etiam ſuperiùs euidentiſsimè his verbis Damaſcenus teſtatus erat: *Quin*, inquit, *neq; hoc alienum fuerit dicere, quod quemadmodum naturaliter panis per cibum, & vinum, & aqua per potum, in comedentis ac bibentis corpus & ſanguinem immutantur, corpusq; ALTERVM fiunt, atq; à priori ipſius corpore DIVERSVM: ſic propoſitionis panis, ac vinum & aqua per ſancti Spiritus inuocationem, & aduentum mirabili modo in Chriſti corpus & ſanguinem vertuntur, nec ſunt DVO, ſed vnum & idem.* Nónne igitur ſumma impudentia Fortunati eſt, quòd perſuadere nobis velit, ſubſtantiam ipſam panis remanere in pane Euchariſtico ex ſententia Damaſceni?

Ad 6. reſpondeo. Ex dictis manifeſtè conſtare, panem illum, quem omnes participamus ſententiâ Damaſceni, atque adeò etiam Apoſtoli, non eſſe talem panem, qui ſecundum ſubſtantiam ſit panis, ſed qui ſubſtantia ſit ipſum corpus Chriſti: atque idcircò ſolum panem vocari, quia panis videtur, & vt panis reficit, & ex pane conficitur, vt ſæpe diximus.

Ad 7. reſpondeo. Panem ſecundum accidentia, ac præcipuè ſecundum vim nutriendi, eſſe figuram ſiue ἀντίτυπον corporis Chriſti, quo ſpiritualiter paſcimur. Adde quod ipſemet Damaſcenus explicat, quomodo panem & vinum conſecratum nominet figuras Chriſti, quatenus eo in futura beatitudine (hoc enim ibi quidem intelligit Damaſcenus) fruemur: *Figuræ*, inquit, *rerum futurarum idcircò dicuntur, non quòd non verè* (audi Fortunate) *corpus & ſanguis Chriſti ſint, ſed quòd nunc quidem diuinitatis Chriſti per ea participes efficiamur: tunc autem intellectuali modo, & per ſolum aſpectum.*

Ad 8. reſpondeo. Veriſsimum eſt, contra eos Damaſcenum

num disputare, qui nihil nisi figuram corporis Christi, & eius virtutem siue energiam in ipso quidem mysterio dispensari censebant. Hos autem vt confutaret, luculenter asseruit (vt vidimus) hunc panem Eucharistiæ non esse aliud secundum substantialem naturam, quàm ipsum corpus Christi, quod proinde in ipso Sacramento realiter existens dispensatur. Quid autem vos Caluinistæ? Nónne prorsus idem in re sentitis, quod illi, aduersus quos ista disputat Damascenus? Nam neque vos conceditis, in hoc Sacramento dispensari corpus Christi, quod quidem in hoc Sacramento realiter existat. Quod verò dicitis, ipsum nihilominus corpus Christi absens in cœlo, nobis in vsu istius Sacramenti spiritualiter vniri; hoc quidem neque illi, quos Damascenus refutat, neque vlli vnquam, qui Christiani videri vellent, negarunt. Omnes enim, qui Scripturas vnquam receperunt, profesi sunt, vsum istius Sacramenti ad animi salutem conferre, quæ nobis minimè contingere potest, nisi cum Christo spiritualiter vniamur. Et tamen vlterius ex doctrina Orthodoxa confirmat Damascenus in ipso quoque Sacramento nobis porrigi corpus Christi, ita vt panis, qui nobis hîc datur, aliud nihil secundum substantiam sit, quàm corpus ipsum Christi: quod vos æquè pertinaciter negatis, ac vestri maiores hæretici, quos refellit Damascenus.

Ad 9. respondeo. Verba illa Christi ad Sacramentalem quoq; manducationem pertinere, vt ex sententia Patrum suprà confirmauimus. *Lib. 1. cap. 4.*

Ad 10. dico, satis multa verba Damasceni nos retulisse, quibus luculenter ille asseruit, panem Eucharisticum esse secundum substantiam nihil aliud, quàm corpus Christi; quod ipsum est corpus Christi sub specie panis esse. Quare manet ex Damasceni sententia, quam Fortunatus fassus est, non discrepare à sententia aliorum Orthodoxorum Patrum, corpus Christi realiter esse in Sacramento, neq; ibi manere substantiam panis. *Fol. 21. a*

Id autem ipsum affirmat æquè luculentis verbis Theophylactus, vt suprà vidimus: cuius etiam sententiã non repugnare *Loco citato.*

Fol. 23. b

sententiæ aliorum Patrum concedit Fortunatus. Sed inquit, neq; præsentiam corporalē Christi in Sacramento, neq; transubstantiationem panis in illud, à Theophylacto asseri. Relegat, obsecro, Lector, quę paulò superiùs recitaui ex Theophylacto, & satis mirari non poterit impudentiā Fortunati, quòd id neget de Theophylacto. Annón enim illa verba Theophylacti (inter cetera) luce meridiana clariora sunt? *Speciem quidem panis & vini seruat: in virtutem tamen carnis et sanguinis transelementat.* Et rursus: *Panis quidem videtur, sed caro est.*

In cap. 14. Marci.
In cap. 26. Matth.

Fol. 23. b
In cap. 26. Matth.

At obiicit iste primùm ex Theophylacto, quòd *panem sanctificatum* dicit *esse corpus Domini:* Manet igitur panis. Nego consequentiam. Contrarium enim euidēter sequitur. Si enim hic panis est ipsum corpus Domini, & non tantùm figura corporis Domini, vt Theophylactus testatur: Igitur secundum substantiam suam quidem non est panis: panis enim non est corpus Christi. Panem igitur Theophylactus vocat, sicut Damascenus & alij Patres, nempe, quia panis videtur, & vt panis reficit, & ex pane confectus est.

FORTONATVS
fol. 23. b
In cap. 6. Ioan.

Deinde obiicit iste illa etiam verba Theophylacti: *Quis,* inquit, *si carnalis sit, potest accipere spirituālē cibum, & panem qui è cœlo descendit, et carnem quæ comeditur?*] *Et mox ibidem: Nos verò, inquit, qui spiritualiter intelligimus, nequaquā σαρκοφάγοι sumus: sed magis sanctificamur per hanc alimoniam.*] *Ac rursus ibidem: Animalis, inquit homo, hoc est, qui cogitationes humanas & animales siue naturales sequitur, non percipit, quæ supernaturam & spiritualia sunt, quamobrem etiā spiritualem cibum carnis Domini non intelligit; quam qui non accipiunt, extorres erūt à vita æterna; & qui non receperunt* IESVM, *qui est vita æterna; non enim nudi hominis caro est, quæ comeditur, sed Dei & deificare potens, vtpotè coniuncta Deitati.*] *Quocirca subiicit: Quicunq; carnis istius participes fiūt, eos membra Christi fieri, & ad æternam vitam pasci.*]

GREGORIVS.

Respondeo, nihil aliud his sentētiis vult Theophylactus, quàm quod spiritualiter quidem non manducatur corpus ipsum

ipsum Christi, nisi à spirituali: itemq; minimè corpus Christi sic manducari, quomodo carnes alię ad nutrimentum corporis manducantur, quæ scilicet lacerantur in propria specie, & desinunt esse, & transeunt in comedentis substantiam. Nihilominus tamen verè ipsum corpus Christi sumitur sub aliena specie in Sacramento, vt, si suscipiens dignus sit, pascatur eius animus à Christo spiritualiter, sine vlla Christi corporis corruptione, aut conuersione in alienam speciem. Hoc sentire Theophylactum euidentissimum est ex eius verbis, quæ recitaui: cuius & Damasceni sententia cùm (Fortunato etiam cõcedente) sit sententia omnium Orthodoxorum Patrum; vel ex hoc ipso sequitur, nos contra Caluinisticum errorem patronos habere omnes Patres, id quod aliis multis argumentis suprà planum feci. *Fol. 21. a* *Lib. 1. cap. 5.*

Porrò pleraq; argumenta eiusmodi constructa ex Patrum testimoniis, proposuerã etiam in priori mea disputatione, vt ostenderem, ab illis asseri realem illam Christi præsentiam in Sacramento, quam Caluinistæ negant. Sed nullum argumentum ex illis fideliter retulit Fortunatus, tantùm attingit quędam, quæ breuiter percurremus. Obiicit quòd diuus Augustinus figuratam loquutionem esse affirmat, cùm dicitur manducari caro Filij hominis. Sed hunc Augustini locum nihil planè patrocinari Caluinistico errori, superiùs conuicimus. *Pag. 77.* *Fol. 24. b* *Lib. 3. de doctr. Christ. c. 13.* *Lib. 1. cap. 10.*

Deinde dicit, Augustinum cùm ait, Christum *se portasse in manibus suis*, tantummodò velle, quòd portauerit panem sanctum, qui non nisi metonymicè dicatur corpus Christi, quatenus est illius signum, vt isti interpretantur. At callidè dissimulat Fortunatus quemadmodum ego hanc istorum interpretationem confutauerim. Augustinus enim, rem valdè singularem esse censet, quòd Christus portauerit se manibus suis; vt patet euidenter ex eius verbis, quæ suprà recitaui. Suum igitur corpus reuera portauit, & non solùm sui corporis signum. Quantulum enim est, si quis tantum sui signum, aut imaginem suis in manibus portet? Nónne hoc sæpe fit? Neque iuuat Caluinistas, quod Augustinus ait, Chri- *Fol. 24. b* *In Psalm. 33.* *Pag. 79.* *Lib. 1. cap. 5.*

ſtum ſe ſuis manibus *quodammodo* portaſſe. Nam primùm, abſolutè quoque dicit, *ſe portaſſe*. Deinde quodammodo illum ſe portaſſe dicit, quia non ſe portauit in propria ſpecie, ſed in aliena, nempe, vt in Sacramento continebatur, ſed reipſa tamen.

Fol. 24. a *Homil. 45. in Ioan.* Præterea dicit, Chryſoſtomum, cùm ait, *carni Chriſti dentes infigi*, Sacramentaliter loqui, hoc eſt ita, vt ſit ſenſus, ſolùm ſigno Chriſti, à quo tantum abſit Chriſtus, quantum cœlum à terra, dentes infigi. At hoc nõ oportebat tantoperè à Chryſoſtomo nobis commendari, ſi nullum aliud in ea re eſt myſterium. Aut nihil igitur dicit Chryſoſtomus, aut certè eiuſmodi loquutione myſteriũ illud admirabile ſignificat, quod Orthodoxi confitentur, nempe ſic intimè Chriſtum coniunctum eſſe ipſis accidentibus panis, quibus dentes infiguntur, vt ſolet eſſe coniuncta ſuis accidentibus ea ſubſtantia, quæ dentibus laceratur; quemadmodum ſuprà expoſuimus. Atque hoc demùm modo verè loquutus eſt Sacramentaliter *Fol. 24. b* D. Chryſoſtomus. Falſiſsimum autem eſt, quod ait Fortunatus, hunc Ioannem Chryſoſtomum ſcripſiſſe, manere poſt conſecrationem naturam panis. Hoc enim non ſcripſit, niſi quidam alius Ioannes Conſtãtinopolitanus, vt ſuprà notaui, ſuo loco, vbi & eam ſententiam Ioannis Conſtantinopolitani & nonnullas ſimiles quorundam aliorum, quos hîc commemorat Fortunatus, interpretatus ſum. *Lib. 2. cap. 7.*

Fol. 25. a Item dicit, Patres cùm aiunt, Chriſtum in cœna ſuum ipſius corpus & ſanguinem in Sacramento ediſſe & bibiſſe, aliud non velle, quàm quod ſignum ac Sacramentum ſui corporis & ſanguinis acceperit. At eſſe hanc interpretationem alieniſsimam à mente Patrum manifeſtè patet ex fine, ob quem Patres dicunt id Chriſtum feciſſe: *Ne turbarentur diſcipuli* (inquit Chryſoſtomus) *ipſe primus ſuum ſanguinem bibit.* *Homil. 83. in Matth.* Certè, ſi Chriſtus volebat ſignum tantummodò ſui corporis & ſanguinis à diſcipulis ſumi, timendum non erat, ne diſcipuli ſumendo turbarentur, ſi Chriſtus primus non ſumpſiſſet. An enim res ardua eſt, ſignum corporis & ſanguinis accipere?

Præ-

Præterea inquit, Sacramentaliter Patres loqui, cùm Christum semetipsum in hoc Sacramento sacrificauisse incruentè & obtulisse suo Patri, scribunt: quia panem sanctum primitias creaturæ Dei obtulit, vt explicat Irenæus. At nos modum illum Sacramentalem, quo Patres asserunt, Christum se Patri obtulisse, talem esse probamus, vt reuera Christus se in ipso Sacramento existentem obtulerit. Alioqui ineptè dicerent Patres, eum se in Sacramento sacrificasse, cùm oporteat victimam & sacrificium esse rem aliquam præsentem, quæ offeratur. Sic etiam sanctus ille panis, quem tanquam primitias obtulit, iuxta Irenæum, aliud secundum substantiam quidem suam non est, quàm ipsum Christi corpus, vt subest accidentibus panis, vt suprà ex Patrum sententia demonstratum est. Alioqui, si in eo pane Christus nõ est, absurdè diceretur, Christus in eo pane sacrificari; nam sacrificium debet esse res aliqua præsens. Itaque verisimè diuus Ambrosius: *Ipse Christus*, inquit, *offertur in terris, quando eius corpus offertur.*

Fol. 25. a

Lib. 4. c. 34.

Lib. 1. & 2.

In Psalm. 38.

Postremò negat, vllos Patres dicere, quòd Eucharistia, quatenus Christum continet, seu (quod idem est) Christus vt existens in Eucharistia, adorari debeat. At ego quatuor illustres Patres antiquos citaui, qui id asserunt, nempe Augustinum, Ambrosium, Chrysostomum, Cyrillum Hierosolymitanum, quorum testimonia vnà cum aliis suprà recitauimus. Quin etiam ipsemet Fortunatus testimonium Theodoreti ad eandem rem imprudens commemorauit. Disertè enim is affirmat, ipsa symbola seu signa mystica adorari: *Intelliguntur signa*, inquit, *ea esse, quæ facta sunt, & creduntur, & adorantur, vt quæ ea sunt quæ creduntur, nimirum caro Christi & sanguis.* Ex quo etiam apparet, rectè nos suprà exposuisse sententiam Theodoreti, qui ibidem dicere alioqui videtur, panem Eucharisticum manere substantiâ sua panem.

Fol. 25. a

Lib. 1. c. 6.

Fol. 25. b

Lib. 2. c. 7.

Sed inquit Fortunatus: *Adorauit vetus Ecclesia Christum in mysteriis & Sacramentis, sed non ad ædiculas illas, vt vos facitis, fulgentes; & adorauit non arcanum aliquod & hæreticum sub speciebus corpus, sed externis & sub sensum caden-*

FORTVNATVS *fol. 25. b*

tibus symbolis mentes fidelium excitabantur ad crucifixam carnem Verbi, & in cœlis ad dextram Patris præsidentem, sicut apprehendendam, ita quoque adorandam, quod cùm Augustinus testatur, tùm Theodoretus.

In Psalm. 98. Dialogo. 2.

GREGORIVS *lib. 1. c. 6.*

Atqui, Fortunate, ex testimoniis Patrum, quæ suprà recitaui, manifestum est, corpus Christi non tantùm vt quiddam existens in cœlo, sed vt existens in ipso Sacramento Eucharistiæ adorari debere. Quòd nisi verum sit, ne vos quidem absolutè deberetis dicere, Christum in his sacris symbolis à veteri Ecclesia adoratum esse, sed tantùm inter vtendum symbolis fuisse adoratum, quo pacto etiam in cœnis vulgaribus, cum gratiarum actione adorari solet. Sed non adorabat, inquis, vetus Ecclesia, ad ædiculas fulgentes. Quomodo nosti? An cùm in ædiculis siue fulgentibus, siue non fulgentibus, Sacramentum istud, atque adeò Christi corpus in Sacramento, Ecclesia vetus asseruabat; despectui illud ibi habebat? Minimè certè. Nam Patres absolutè affirmant, Christum in Sacramento (vbicunque tandem Sacramentum sit) esse adorandum. At fuisse olim Sacramentum istud asseruari solitum, ex multis[a] testimoniis antiquitatis patet. Inspice marginem, & crede nobiscum, veterem etiam Ecclesiam corpus Christi in Sacramento asseruato in ædiculis siue fulgentibus, siue non fulgentibus (quid enim hoc interest?) adorasse. Neque enim seruabatur, & non adorabatur; nec sub dio sine vlla custodia seruabatur.

[a] *Con. Niss. can. 12. & 14. Euseb. libr. 6. cap. 35. Greg. Nazian. orat. de Gorgonia sorore. Amphiloch. in vita Basilij. Beda li. 4. hist. Anglica. c. 24. Gratian. de cons. d. 2. can. Peruenit, & can. Presbyter, &c.*

Quod autem ais, veterem Ecclesiam non adorasse sub speciebus corpus aliquod hæreticum; verissimè dicis, nec nos id facimus, sed sanctum Christi corpus, quod ipse sub panis speciebus ostendit, ibi veneramur. Vos autem verissimè mihi videmini corpus hæreticum adorare, cùm suspicitis & adoratis Caluinum hæretica sua somnia de hoc mysterio docentem.

In Psalm. 98.

Augustinus vel maximè vobis in illo ipso loco, quem citas, refragatur. Ibi enim de hoc Sacramento disserens, ita dicit: *Nemo illam Christi carnem manducat, nisi prius adoret:* nempe

ea

ea ratione, qua manducat, hoc est, in Sacramento. Item: *Etsi necesse*, inquit, *est, hoc Sacramentum visibiliter celebrari, oportet tamen inuisibiliter intelligi.*

Dicit autem, *oportere intelligi*, non quia tantùm in cœlo corpus Christi cogitandum sit, vt ibi solùm adoretur, sed quia non sentitur & videtur in hoc Sacramento, vbi est visibiliter celebrandus & adorandus, sed fide tantùm ibi creditur & intelligitur. Disputat enim hæc Augustinus contra Capharnaitas illos, *qui* (vt ibi Augustinus inquit) *carnaliter mysterium cogitauerunt, & putarunt, quòd præcisurus esset Dominus particulas quasdam de corpore suo, & daturus illis.* Atque idem quod Augustinus vult etiam Theodoretus, cùm inquit, *adorari hæc symbola, quatenus intelliguntur esse quæ sunt.* Nempe quia intelligi per fidem, non autem sentiri oportet, quòd sunt caro & sanguis Christi. *Dialogo 2.*

Post hæc responderam in fine disputationis meæ ad obiectionem istorum, quam contra præsentiam Christi in Sacramento frustrà petunt ex locis, vbi Christus dixit, se relicturum fuisse hunc mundum. Sed responsionem meam neque confutauit Fortunatus, neque etiam ita commemorauit, vt possit saltem intelligi à Lectore. Tantum inculcat suum errorem, & nescio quæ nugatur de Petro Cameracensi, quasi is primus præsentiam Christi in Sacramento & transubstantiationem excogitarit. Bene autem habet, quòd abundè hactenus demonstratum est, Christum ipsum & sanctos Patres esse istorum dogmatum auctores. Quare cùm suprà quoque ad illam istorum obiectionem petitam ex discessu Christi ex hoc mundo, sufficienter responderimus, supereſt tantùm, vt vltimum caput disceptationis Fortunati expediamus. *Lib. 1. cap. 9.*

CAPVT

CAPVT QVINTVM.

Confutantur argumenta, quibus oppugnat Fortunatus, Christi præsentiam realem in Sacramento.

NON esse in Sacramento Christum reipsa & σωματικῶς, id est, corporaliter, præsentem, quinque argumentis probare nititur Fortunatus. Primum colligit ex verbis, quibus in Euangelio narratur institutio huius Sacramenti, ex quibus format argumentum hoc modo:

FORTVNATVS *fol. 26. a & b*

Si de vero pane verum Christi corpus prædicatur (sanguinis & vini eadem ratio est) actum est de transubstantiatione & consubstantiatione; sed verum prius, verum igitur & posterius. Connexum planum est; verus enim panis & verum hominis corpus disparata sunt, quæ inuicem sibi attribui non possunt, nisi per aliquam figuram, quæ nec cum transubstantiatione, nec cum consubstantiatione, vt sic monstrosè de monstris loquamur, consistit. Minorem probat ex verbis institutionis: *Hoc, inquit Dominus, est corpus illud meum. Quid hoc? Hoc quod de mensa accepi, quod fregi, quod discipulis manducandum dedi. Quid verò istud fuit? Nónne panis? Euangelista dicente: Accepit* IESVS *panem.*

Respondeo. Minor est falsa. Falsum, inquam, est, Christum prædicasse corpus suum de pane (quemadmodum vos intelligitis) id est, de pane secundum rationem aliquam panis, quæ non possit esse ipsi communis cum corpore Christi, & de qua proinde nõ potuerit verè ac propriè corpus Christi prædicari. In pane enim illo, quẽ Christus accepit, non tantũ cõsiderare licet rationem indiuiduã determinatam illius panis & illius substantiæ; neque etiam solam rationem eius specificam, aut rationes aliquas genericas, quæ in Christi corpus non conueniunt (cuiusmodi est ratio corporalis cibi, & corporis non viui, &c.) sed etiam licet in eo considerare rationem communem substantiæ, itemque rationem substantiæ indiuiduam vagè & indeterminatè, quæ nimirum consistebat in

Quid Christus demonstrauerit per pronomen, Hoc, dicens; Hoc est corpus meum.

in habitudine quadam ſubſtantiali ad illa panis accidentia, quibus ſubſtantia illa continebatur & intimè coniuncta erat. Iam verò cùm Chriſtus accipiens & diſtribuens panem dixit; *Hoc eſt corpus meum*, minimè neceſſe eſt, vt illo pronomine *Hoc* demonſtrauerit id quod accepit, ſecundum quamlibet rationem eius, ſed ſatis eſt, vt illud demonſtrauerit ſecundum rationem eius aliquam, quæ ipſa etiam eſſet ſubſtantialis, & ad ſenſum pateret. Hanc autem rationem, qua id demonſtrauit, eſſe dicimus non rationem aliquam propriam panis, ſed rationem ſubſtantiæ tum communem, tum etiam indiuiduam vagè & indeterminatè per habitudinem coniunctionis intimæ ad illa accidentia ſenſibilia panis. Quapropter cùm duæ iſtæ rationes ſubſtantiæ, non ſolùm pani, ſed etiam corpori Chriſti conuenire poſsint: verè ac propriè Chriſtus prædicauit ſuum corpus de ea re, quam iuxta eas præcisè rationes illo pronomine *Hoc*, demonſtrauit. Subſtantia namque ſub illis panis accidentibus contenta, & cum eis intimè coniuncta, in termino orationis Chriſti veriſsimè fuit Chriſti corpus, & quidem ſecundum eandem illam rationem ſubſtantiæ communem & indiuiduam vagè, qua antè fuerat panis: ſecundùm eandem, inquam, non vnitate aliqua reali, ſed vnitate rationis & conuenientiæ cuiuſdam.

Ac ne cauilletur ſuo more Fortunatus, notare debet, cùm hîc, & ſuprà, lib. 1. cap. 9. & lib. 2. cap. 2. dico, demonſtratam à Chriſto fuiſſe per pronomen *Hoc* ſubſtãtiam panis, ſecundum rationem indiuiduam vagè, nequaquam à me cogitari eiuſmodi vagum aliquod indiuiduum, quod nuſquam fuerit reipſa, ſed ſolùm in voce aut conceptu mentis; vt cùm quis planè indeterminatè dicit, *aliquis* homo, vel *quidam* homo. Non ita iam loquor de indiuiduo vagè: Siquidem aio rem illam omninò, quæ continebatur in præſentia ſenſibilibus accidentibus panis, fuiſſe à Chriſto monſtratã. Sed quia res illa ſeu ſubſtantia, ea præcisè ratione, qua ſub illis accidentibus continebatur, ſic fuit ſingularis & indiuidua, vt tamen indifferenter potuerit eſſe tum panis (ſicut initio Chriſti verborum fuit) tum etiam corpus Chriſti (ſicut fuit in fine) ideò rem illam ſeu

ſubſtantiam hac ratione præcisè conſideratam voco indiuiduam vagè. Indiuiduum enim vagè ſeu vagum appellamus quidquid eſt ita ſingulare, vt tamen non penitus ſit determinatum ad vnicum aliquid, ſed indifferenter poſsit eſſe aliud & aliud, & quaſi per plura vagari.

Porrò verba inſtitutionis nequaquam huic interpretationi obſtare, ſed ſuffragari potius, probo tripliciter. I. Nam non ideò debuit Chriſtus illo pronomine *Hoc*, demonſtrare panem ſecundum propriam & determinatam rationem panis, quia panem accipiens dixit, *Hoc eſt, &c.* ſed ſatis eſt vt aliquam ſanè rationem in re accepta demonſtrârit ad ſenſum, quemadmodum dixi. Quod euidenter patet ex vſitato & quotidiano loquendi more. Verè enim & propriè is loquitur, qui in alieno horto (verbi gratia) cum amico inambulans, & herbam aliquam inde accipiens, dicit: Hoc naſcitur etiam in horto meo. Et tamen illo pronomine *Hoc*, non demonſtrat herbam illam ſecundum rationem etiam eius propriam & indiuiduam determinatè (ſic enim falſum diceret, cùm vna & eadem determinatè herba non naſcatur in duobus hortis) ſed demonſtrat tantùm id, quod accipit, ſecundum rationem communem alteri etiam herbæ quæ in ſuo horto naſcitur, nempe ſecundum rationem ſpecificam & indiuiduam vagè per habitudinem ad accidentia ſenſibilia, quibus ſubeſſe poteſt, & ſolet illa ſpecies herbæ. Item verè & propriè is loquitur, qui, oſtendens corpus aliquod, dicit: Hoc corpus conuenit eſſentialiter in genere quodã cum Angelo, nempe in genere ſubſtantiæ: & tamen illo pronomine Hoc, non demonſtrat corpus ſecundum propriam rationem, ſed ſecundum communem rationem ſubſtantiæ, qua duntaxat eſt eiuſdem generis cum Angelo.

Item potuit Moyſes de virga, quam Aaron tenebat in manu, cùm eſſet in colubrum conuertenda, dicere: Hoc erit coluber. Neque tamen illo pronomine *Hoc*, virgam ſecundum propriam aliquam rationem virgæ demonſtraſſet (nunquam enim virga, vt virga, futura fuit coluber) ſed ſolùm ſecundum rationem communem ſubſtantiæ in manu Aaronis contentam.

tam. Item Christus in Chana Galileæ conuersurus aquam in vinum, simili demonstrandi modo potuit dicere, Hoc erit vinum. Immò potuisset dicere de præsenti, Hoc est vinum; modò hanc enunciationem in ipso instanti conuersionis aquæ in vinum finiuisset. Quanquam iam quidem non agimus de verbo futuri aut præsentis temporis, sed de demonstratione, quam possit facere pronomen Hoc.

II. Deinde confirmatur illa interpretatio ex ipso loquendi modo, quo Christus vsus est. Nam vt indicaret clariùs, se non panem vt panem, sed vt substantiam sub illis accidentibus cõtentam demonstrare, ideò dixit, *Hoc* est corpus meum; & non, *Hic* panis est corpus meum. Quanquam etiamsi dixisset, Hic panis, intelligi potuisset de pane præcisè vt substantia, non de pane vt pane, loqui. Sicut qui dicit, Hoc corpus cum Angelo conuenit, de corpore vt de substantia, non de corpore vt de corpore loquitur. Sed tamen est aptius illud pronomen *Hoc*, ad rem ostendendam sub communi & vaga substantiæ ratione.

III. Postremò pro eadẽ interpretatione hunc in modum ex ipsis verbis interpretationis argumentor. Si Christus corpus suum verum, verè ac propriè de illa re prædicauit, quam accepit & distribuit discipulis; minimè panem vt panem, sed vt substantiam sub accidentibus panis cõtentam, demonstrauit illo pronomine *Hoc*. Sed verum prius. Verum igitur & posterius; & vi consequentis efficitur, nostram interpretationem cum institutionis verbis planè congruentẽ esse, ac necessariò admitti debere. Maior propositio siue connexum (vt Fortunatus loqui mauult) probatur. Nam, vt iste etiã agnoscit, corpus Christi & panis vt panis, disparata sunt, quorum alterum de altero nequit verè & propriè prædicari, id quod nobis vltro concedentibus testimonio quoq; D. Thomæ & aliorum Theologorum Orthodoxorum confirmat. Minor aũt patet omnibus illis argumentis, quibus suprà certissimè probauimus, sermonem illum Christi propriè esse intelligendum, id est, prædicasse illum de re quam demonstrauit, non figurã aut signũ sui corporis, sed ipsum planè suũ corpus, *quod pro nobis est traditum;*

Formula probandi, non affirmasse Christum de pane vt de pane suũ corpus.

3. p. q. 75. ar. 2. Fol. 26. b

Lib. 1.

Luc. 22. traditum; vt D. Lucas habet, & nominatim D. Damascenus ex
Lib. 4. c. 14. sententia Orthodoxorum Patrum cõfirmat, sicut suprà con-
Cap. præced. tra Fortunati cauillationes planissimum fecimus. Atq; ita patet quomodo Fortunatus perperam ex verbis institutionis formauerit suum connexum. Debuit enim potius illud sic formare, vt nos pro sententia Orthodoxa iam fecimus. Quare explicata, facilis etiam explicatio est illorum Scripturæ testimoniorum, quæ præterea Fortunatus hoc loco obiicit.

FORTVNATVS fol. 26. b *Quid*, inquit, *clarius illis Domini apud Lucam & Apostolum verbis, cùm ait: Hoc poculum nouũ Testamentum est.*] *nónne de poculo nouum Testamẽtum prædicatur? quid itidem clarius illis Apostoli verbis: Panis, quem frangimus, nónne* κοινωνία *corporis Christi est?*] *nónne de vero pane* κοινωνία *prædicatur?*

1. Cor. 10.

GREGORIVS. Minimè. Sed explicat his verbis Apostolus, cuiusmodi sit ille panis quẽ sumimus: ac indicat eiusmodi esse, vt secundum substantiam quidem suam aliud non sit, quàm corpus Christi sub accidentibus fracti panis: ac proinde ipso corpore Christi nos cõmunicare, cùm de eiusmodi pane participamus. Nouũ aũt Testamẽtum in Christi sanguine, seu (quod idem est) sanguis Christi nouo quodam fœdere ac testamento nobis attributus, non de ipso poculo, vt in eo erat vinũ quâ vinum, sed vt in eo erat substantia contenta sub accidentibus vini, prædicatur, sicut antè diximus de pane. Neq; vllus etiam eorum omnium Patrum, quos deinde hîc citas, asserit Christum de pane vt de pane suum corpus, aut de vino vt de vino suũ sanguinem prædicasse: Immò hoc ipso quòd absolutè asserunt, illum de pane suum corpus, aut de vino suũ sanguinem verè prædicasse, oportet intelligere loqui eos de pane & vino non vt de pane & de vino, sed vt de substantiis contentis sub panis & vini accidẽtibus. Alioqui falsa prędicatio esset, vt iam probatũ est.

FORTVNATVS fol. 27. a In Apolog. *Sed Patres*, inquis, *audiamus. Iustinus: Ad eundẽ, inquit, modũ, etiam eam, quæ per precationẽ verbi ab ipso profecti, gratiarum actione significata est, alimoniam, incarnati illius* IESV *carnem & sanguinem esse, edocti sumus.*] *alimonia seu panis, caro siue corpus Christi est. Irenæus,* σύνεχρον, *Iustini, discipulus Papiæ & Polycarpi, quæ de calice, inquit, qui est sanguis eius, nu-*

Lib. 5. *tritur;*

tritur; & de pane, qui est corpus eius, augetur.] *Tertullianus: Christus panem corpus suum appellauit.*] *Origenes: Panis iste, quem Deus verbum corpus suum esse fatetur, &c.*] *Cyprianus: Qua in parte inuenimus, calicem mysticum fuisse, quem Dominus obtulit, & vinum fuisse, quod sanguinem suum dixit.*] *Cyrillus Alexandrinus: Fractum enim panem distribuebat, dicens; Hoc est corpus meum.*] *Cyrillus Hierosolymitanus: Quemadmodum enim panis Eucharistiæ post Spiritus sancti inuocationem non amplius est panis communis, sed est corpus Christi, &c.*] *Ambrosius: Quomodo potest, qui panis est, esse corpus Christi?*] *Augustinus: Quod ergo vidistis, panis est & calix, quod vobis etiam oculi vestri renuntiant; quod autem fides vestra postulat instruenda, panis est corpus Christi, calix sanguis.*] *Hieronymus: Nos autem audiamus, panem, quem fregit Dominus, deditq; discipulis suis, esse corpus Domini Saluatoris.*] *Damascenus: Panis & vinum non est figura corporis & sanguinis, sed est ipsum corpus Domini Deificatum.*] *Theophylactus: Dicens Christus; Hoc est corpus meum, ostendit panem esse ipsum corpus Domini.*] *Beda: Quomodo est panis corpus eius, & calix, vel quod habet calix, quomodo est sanguis eius?*] *Rabanus Bedæ discipulus: Ergo quia panis corpus confirmat, ideò ille corpus Christi congruenter nuncupatur.*]

Lib. 4. contra Marcion. *In c. 15. Matth.* *Lib. 2. epist. 3.* *Lib. 4. in Ioan. cap. 14.* *Cath. Mystagog. 3.* *Lib. 4. de Sacram. cap. 4.* *Serm. ad Infan.* *Ad Hedib. q. 2.* *Lib. 4. cap. 14.* *In c. 26. Matth.* *In cap. 6. Ioan. & in cap. 14. Marci.* *In 1. Cor. 10.* *De Instit. Cleric.*

Mirum est, tam cæcos vos esse, vt non perspiciatis, huiusmodi testimonia nobis omninò contra vestrũ errorem apertissimè suffragari. Nam illud confirmant, quod suprà pro fide quoq; transubstantiationis docuimus, nempe panem Eucharisticum secundum substantiam quidem suam aliud non esse, quàm corpus Christi, etiamsi iudicio quidẽ sensus panis secũdum substantiam videatur. Id patet maximè ex testimoniis Iustini, Irenæi, Cyrilli Hierosolymitani, Ambrosij, Augustini, Hieronymi, Damasceni, Theophylacti, Bedæ, iam recitatis. Tertullianus autem, & Cyprianus, & Cyrillus Alexandrinus, significãt quidem Christum de pane & vino dixisse, quòd

GREGORIVS.

essent suum corpus & sanguis, at non de pane & vino, vt erant determinatè panis & vinum, sed vt erant illæ substantiæ contentæ sub accidentibus panis & vini; sicut paulò antè docuimus, verba Christi & Patrum necessariò intelligi oportere. Atque ita Fortunatus testes partim contra se, partim minimè contra nos producit. Interim verò dissimulandum non est, quòd quædam testimonia ex istis non sine aliqua fraude Fortunatus recitauit. Vt quod ex Ambrosio, & ex Beda recitat tantùm per interrogationem: *Quomodo ille panis sit corpus Christi?* omissis verbis, quibus hi Patres in eisdem locis luculenter asserunt, corpus Christi esse. Item quòd sola illa verba citat ex Rabano: *Ergo quia panis corpus confirmat, ideò ille corpus Christi congruenter nuncupatur.* Reticet autem verba, quibus continenter Rabanus indicat, quo sensu id dixerit. Addit enim: *Vinum autem, quia sanguinem operatur in carne, ideò ad sanguinem Christi refertur. Hæc autem,* inquit, *dum sunt visibilia, sanctificata tamen per Spiritum sanctum in Sacramentum diuini corporis transeunt.* Ac paulò superiùs in hoc Sacramento ipsum Christi corpus esse, ita expresserat: *Tunc,* inquit, *verè & salubriter corpus & sanguinem Christi percipimus, si non tantùm volumus, vt in Sacramento carnem & sanguinem Christi edamus, sed vsq; ad Spiritus participationem manducemus & bibamus.* Ex quibus liquet, Rabanum prioribus illis verbis, nequaquam velle significare, quòd ideò panis Eucharisticus dicatur corpus Christi, quia propter vim nutriendi sit tantummodò figura corporis Christi: sed significat, congruenter panem, secundum communem substantiæ rationem in eo contentam, dictum & factũ esse corpus ipsum Christi, quandoquidem panis alioqui propter vim nutriendi habet analogiam cum corpore Christi, quo reficiuntur spiritualiter animi.

Lib. 1. de instit. Clericor c. 31.

FORTVNATVS *fol. 27. b*

II. Alterum argumentum Fortunati est huiusmodi: *Corpus,* inquit, *Christi cibus mentis, & interioris hominis est, non ventris & exterioris: ergo nec in pane, nec sub illius specie est. Consecutio plana est. Si enim fidei tantùm & interioris hominis palato Christi corpus suscipitur; vtiq; non sub aspectabili specie est: sub qua si esset, ore quoq; exciperetur.*

Nobis

Nobis verò, Fortunate, consequutio ista tui argumenti minimè est plana, sed prorsus vana. Quid enim impedit, quò minus cibus mentis, non ventris, hoc est, qui per se non corpus, sed spiritum nutrit, sub specie panis realiter existat, atq; adeò etiam ore corporis sumatur? Nónne etiam Baptismus, quamuis ad expurgationem animæ, non corporis, institutus sit, tamen ipso corpore suscipitur? Confundis autem imperitè hoc, quod est Christi corpus esse tantùm cibum mentis, cum eo, quod vos dicitis Christi corpus fidei tantùm & interioris hominis palato sumi. Non hæc idem sunt; sed, vt suprà tibi explicaui, hoc ipso corpus Christi cibus mentis, & non ventris est, quòd non in hominis corpus conuertitur, neque per se nutrit ipsum, sed animum duntaxat reficit spiritualiter: etsi ad hanc ipsam rem ore etiam corporis in Sacramẽto suscipitur. Ac sanè, si tu, Fortunate, cùm sumis in antecedenti, corpus Christi esse tantùm cibum mentis, idem hoc esse intelligis, ac non suscipi illud ore etiam corporis; præterquam quòd falsò intelligis, petis etiã principium. Hoc enim ipsum quod sumis tibi probandum est, nempe nõ suscipi Christum in Sacramento ore etiam corporis. Neque verò valent quidquam illa, quæ ad probandum id antecedens ita intellectum adfers: GREGORIVS.

Antecedens, inquis, *probatur: quia corpus Christi in cœna non viuum, sed mortuum, & quasi in cruce apprehensum editur, & sanguis quasi de latere fluens bibitur; quod alio fieri ore nequit, quàm ore mentis fidelis. Mortuum autem & exangue corpus in cœna edi docent verba Institutionis, hoc est corpus illud meum, quod pro vobis traditur: hoc facite in mei recordationem. Quod igitur discipulis Dominus dedit, quodq; illos edere iussit, non simpliciter illius corpus est, sed traditum & crucifixum corpus, quà traditum est, quia in recordationem mortis editur.* FORTVNATVS *fol. 27. b*

Ego verò, Fortunate, nec viuum, nec mortuum corpus Christi à vobis edi in vestra cœna, facilè dedero, quia nullum corpus Christi, sed merum panem Caluinisticum editis. Quin autem GREGORIVS.

Quale Christi corpus edatur in Eucharistia.

autem edatur viuum Christi corpus ab his, qui verum participant Sacramentum Eucharistiæ, certo certius est. Illud enim corpus Christi ab his iam editur, quod iam est; siue illud edant Sacramentaliter tantùm, siue Sacramentaliter & spiritualiter simul. At iam corpus Christi non est nisi viuum. Ergo viuum corpus Christi ab his editur; & vi consequentis efficitur, planè blasphemare Fortunatum, cùm dicit, non edi corpus Christi viuum.

Quin etiam sibi iste, & Caluino suo repugnat. Suprà enim dixit, Christi corpus sursum in cœlo, *vbi*, inquit, *verè agnus iste apponitur, & quo nobis velut aquilis euolandum est, è manu summi Pontificis accipi.* Caluinus etiam sæpe repetit, eatenus edi Christi corpus, quatènus vi spiritus efficitur, vt cum illo, quantumuis à nobis disito, in cœlo vniamur. An verò in cœlo Christi corpus non viuit? Omninò. Est enim ad dexteram Dei *semper viuens, ad interpellandum pro nobis, neq; amplius moritur.*

Fol. 18. *b*

Lib. 4. *Instit. cap.* 17. *præsertim sect.* 31.

Hebr. 7. *Rom.* 6.

Quomodo corpus Christi crucifixũ edatur in Sacramento.

Sed inquis, Corpus Christi crucifixum & traditum pro nobis, atque adeò mortuum edi. Respondeo, dupliciter hoc intelligi posse. Vno modo, vt sensus sit, illud corpus Christi à nobis edi, quod licet nunc viuum sit, & viuum proinde edatur, tamen fuit aliquando crucifixum & mortuum, ac ideò nobis iam in Eucharistia fructuosum est, si hoc etiam ipsum, quemadmodum oportet, credamus. Hoc modo verissimum est, corpus Christi mortuum & crucifixum edi, idque solùm probant verba institutionis, quæ commemorasti. Sed sic etiam ore corporis potest in Sacramento edi corpus Christi mortuum & crucifixum, vt patet. Altero modo id potest intelligi, vt sit sensus, Corpus Christi non alia ratione nunc edi, nisi quatenus fuit crucifixum & mortuum, atq; adeò non edi vt iam est viuum. Et, si hoc modo corpus Christi mortuum & crucifixum ederetur, non posset quidem verè ac realiter ore corporis edi, sed fide & recordatione tantùm apprehendi. Nam sic corpus Christi non est aliquid præsens, sed præteritum; quod autem non præsens, sed præteritum est; id non potest ore corporis apprehẽdi, sed sola cogitatione quæ omnes temporis differentias percipit. At putare, quòd isto modo

Christi

Christi corpus mortuum, & non viuum edatur, sicut tu, Fortunate putasti, manifesta blasphemia est, pugnans cum institutione, & Sacramenti natura, & testimoniis omnium Patrũ, qui tale Christi corpus edi, quale iam Christus in cœlo habet, asseuerant; immò etiam vestram doctrinam Caluinisticam euertit, vt ostensum est.

Idem, inquis, *ex eo perspicuè cernitur, quòd seorsum panem & quidem fractum panem; seorsum vinum Dominus porrexit, quo docere voluit, corpus mortuum & exangue, & sanguinem è corpore profluentem apprehendendum esse.* FORTVNATVS *fol. 27. b*

At ea re minimè Christus docere voluit, non esse etiam edendum suum corpus viuum, vt iam est; aut in altera specie corpus tantùm, in altera sanguinem tantùm exhiberi: sunt enim corpus & sanguis vtrobiq; reipsa inseparabiliter cõiuncta, cùm Christus *iam non moriatur*. Sed cùm nihilominus tamẽ in specie panis solum corpus sit per se primò, & sanguis non nisi consequenter; (propter naturalem vtriusq; coniunctionem) & cõtrà in specie vini solus sanguis per se primò, & corpus non nisi cõsequenter; voluit Christus hac ratione repræsentari fidei ac memoriæ nostræ mortẽ ipsius, quæ exstitit ex separatione sanguinis à corpore. Non autẽ idem est, debere à nobis Christi mortem credi & cõmemorari in vsu istius Sacramenti; & corpus Christi in hoc Sacramento nõ vt viuum, sed tantummodò, vt mortuum debere edi. At inquis: GREGORIVS. *Rom. 6.*

Augustinus enim pauperem Christum & corpus humilitatis edi ait: Nissenus, Christum in prima cœna corpus suum, quasi ab anima separatum obtulisse, quod alioquin corpus victimæ animatum non fuerit idoneum ad comedendum. FORTVNATVS *Epist. 120.*

Verum quidem est, secundum repræsentationem quandam Christum in cœna obtulisse suũ corpus, quasi ab anima, & à sanguine separatum, vt iam dictum est. Reipsa tamẽ, sicut viuum fuit Christi corpus in cœna, ita viuum oblatum in cœna est. Interim notet in hoc Augustini testimonio & credat Fortunatus Christi corpus *oblatum* fuisse modo incruento in cœna; quod hactenus non credidit. Porrò Augustinus nihil aliud vult, quàm edi in Sacramento ipsum Christum, qui GREGORIVS.

fuit pauper & humilis, & proinde illius humilitatem ab his, qui illud edunt imitandam esse. Adde, quòd licet Augustinus vellet non edi Christum, vt iam in cœlo regnat, sed vt fuit in terra pauper & humilis, tamen nihil minus sequeretur, quàm quod Fortunatus vult, nempe Christum tantummodò edi, vt mortuum. An enim Christus vt pauper & humilis non viuebat?

FORTVNATVS fol. 28. a

Confirmatur, inquis, *idem antecedens ex sexto capite Ioannis, cum Dominus famis & sitis restinctionem, quod manducationis & potationis effectum est, fidei asscribit, cùm quæ de carnis & sanguinis sui manducatione & potatione dixit, spiritualiter accipienda esse docet; cùm carnem suam (de hac enim sermonem esse, scopus & antitheſis illa spiritus & carnis euincunt, Patres testificantur) nihil prodesse ait, corporis, scilicet, ore manducatam: cùm Apostolus corpus à pane discernendum esse monet; cùm nos omnes in vnum spiritum potatos esse; cùm veteres, qui per mare transierunt, & manna comederunt, baptizatos & cœnam nostram participasse; hoc est, idem planè ad rem significatam quod attinet, habuisse scribit, quod nos hodie in nostris habemus.*

Tertul. de carne Christi. Cyrillus et Augustinus. 1. Cor. 11. 2. Cor. 12. 1. Cor. 10.

GREGORIVS.

Nihil adfers quo probes, corpus Christi sola fide, & non ore etiam corporis edi. Nam primùm Christus Ioannis 6. nō soli fidei asscribit famis & sitis restinctionem, sed etiam manducationi suæ carnis in hoc Sacramento, vt Patres, quos suprà citaui, interpretantur. Cùm autem is docet, spiritualiter accipienda esse, quæ disseruit de manducatione suæ carnis, non excludit modum eam manducandi in Sacramento, qui maximè etiam spiritualis & inuisibilis est, sed modum carnalem, quo putabant Capharnaitæ illam edi debere, sicut D. Augustinus hoc exponit. *Carnaliter*, inquit Augustinus, *cogitauerunt, & putauerunt, quòd præcisurus esset Dominus particulas quasdam de corpore suo, & daturus illis.*

Lib. 1. cap. 4. & 5.

In Psalm. 98.

Eodem etiam sensu accipi debet, quod ait: *Caro non prodest quidquam. Caro*, inquit Augustinus, *non prodest quidquam: sed quo modo illi intellexerunt. Carnem quippe sic intellexerunt, quomodo in cadauere*

Tract. 27. in Ioan.

dauere dilaniatur, aut in macello venditur. Cùm autem Apostolus vult discerni, & diiudicari in hoc Sacramento corpus Domini à nudo pane, & ceteris cibis, Caluinistas lætaliter vulnerat. Hoc enim ipso vult credi, & intelligi corpus ipsum Christi in hoc Sacramento contineri & sumi, ac proinde sanctè ad illud accedendum esse. Ex eo verò quod ait: *Nos omnes in eundem spiritum potari,* minimè sequitur, non potari nos ipso sanguine Christi in Sacramento: Hic enim realis potus sanguinis Christi ad spiritus inprimis refectionem valet. Denique licet Apostolus affirmet, Patres veteris Testamenti, ab eodem Christo, à quo nos, gratiam participasse; tamen certum est, aliter nos à Christo gratiam participare quàm illos; Nobis enim iam est exhibitus Christus; illis tantùm erat promissus: Nobis adest in Sacramento reuera; illis aderat tantùm in figura & signo, vt suprà etiam disputaui. Patres, quos deinde citas, nihilo magis errori vestro suffragantur.

Audiatur, inquis, *Athanasius: Non est, inquit, à verè Catholicis existimandum, aliquid ex carne & sanguine Christi in mundo inueniri posse, nisi illud quod in ara altaris per manus Sacerdotum quotidie spiritualiter efficitur.*] FORTVNATVS *fol. 28. a De imagine Christi, c. Vlt.*

Quid hìc pro te habes? Immò quid non contra te habes? Nónne audis *carnem Christi in ara altaris per manus Sacerdotum effici?* Vbínam nisi in Sacramento? Quid ni igitur in Sacramento sumatur etiam ore corporis? Quod autem dicit *spiritualiter* effici, verissimè dicit: quia non visibiliter, sed arcana vi spiritus ex pane corpus Christi conficitur. Et vbínam, Fortunate, vos habetis aram & altare, & Sacerdotes, & Sacerdotales manus, cum nullum habeatis sacrificium, neq; fateamini vllam esse, efficaciam in ministerio Ecclesiastico ad conficiendum ex pane corpus Christi? GREGORIVS.

Audiatur, inquis, *Origenes: Panis iste, quem Deus verbum corpus suum esse fatetur, verbũ est nutritorium animorũ.*] FORTVNATVS *in c. 15. Matth.*

Origenes hoc loco iuxta sensum mysticum vocat verbum diuinum panem, vt suprà exposui. Dato etiã quòd propriè panem ipsum Eucharisticũ vocaret nutritorium animorum, nihil inde haberes. Vt enim animus ipse nutriatur, sumitur GREGORIVS. *Lib. 1. cap. 10.*

mitur ore etiam corporis ipsa Christi caro: sicut corpus lauatur in Baptismo, vt animus spiritualiter abluatur, vt suprà notaui, cùm ex his tuis argumentis ostenderem te non esse Christianum.

FORTVNATVS. *De cœna Domini. Tract. 25. in Ioan.* *De iis, qui initi. cap. 9.*

Audiatur, inquis, *Cyprianus: Hæc quoties agimus, non dentes ad mordendum acuimus, sed fide syncera panem sanctum frangimus & partimur.*] *Quod idem cum illo Augustini est, Quid paras dentes & ventrē? crede & manducasti.*] *Audiatur Ambrosius: In illo Sacramento Christus est, quia corpus est Christi, non ergo corporalis esca, sed spiritualis est.*]

GREGORIVS.

Iam sæpe diximus, Christum spiritualem non corporalem escam idcirco rectè dici, quia non per se nutrit corpus, sed spiritum: tamen ad hoc ipsum ore etiam corporis in Sacramento sumitur. Huc spectat, quod Cyprianus & Augustinus dicunt: *Non esse ventrem & dentes parandos*, quasi nimirum corpus Christi talis cibus esset, qui secundum se dentibus esset conficiendus, & conuertendus in substantiam corporis, vt alia alimenta. Volunt igitur hi Patres, corpus Christi fructuosè quidem, & vt est nutrimentum animæ, fide esse edendum. Quod etsi fieri possit etiam extra oralem sumptionem corporis Christi in Sacramento, vt Augustinus ibi indicat, tamen ipsa etiam oralis manducatio in Sacramento instituta ad id est, & plurimum ipsa etiam ex se ad spiritualem refectionem valet, si animus non sit immundus, vt suprà declarauimus.

FORTVNATVS. *Serm. 44. de verb. Domini. In Psalm. 98.*

Audiatur, inquis, *Augustinus: Spiritus est, qui viuificat, caro non prodest quidquam. intellexisti spiritualiter, spiritus & vita sunt: intellexisti carnaliter, etiam sic illa spiritus & vita sunt; sed tibi non sunt spiritus & vita, qui spiritualiter non intelligis. Spiritualiter intelligite quæ locutus sum, non hoc corpus quod videtis manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem, quem effusuri sunt, qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendaui; spiritualiter intellectum viuificabit vos.*]

Ipsemet

Ipsemet Augustinus ibidem declarat, quid sit spiritualiter & Sacramentaliter intelligere verba Christi: Nempe non ita intelligere, quomodo illa Capharnaitæ carnaliter intellexerunt, *qui stultè putabant*, inquit ibi Augustinus, *quòd præciturus esset Dominus particulas quasdam de corpore suo, & daturus illis.* Atq; eodem sensu illud eiusdem Augustini intelligi debet: *Nō hoc corpus quod videtis manducari estis, &c.* id est, non visibili & carnali illo modo. Bene autem inuisibili, atque adeò spirituali modo in Sacramento, vt suprà quoque ad hunc Augustini locum respondimus. Ac similiter intelligere licet, quod etiam Hieronymus spiritualem carnem hîc edi, & Clemens Alexandrinus spiritualem sanguinem potari, affirmat.

In Psalm. 98.

Ibidem.

Lib. 1. c. 10.

De cons. d. 2. Lib. 2. pædag.

Audiatur, inquis, *Macharius: In Ecclesia offeruntur panis & vinum, antitypon carnis & sanguinis Christi; sumentesq; de visibili illo pane, spiritualiter carnem Domini comedunt.*]

FORTVNATVS *Hom. 27.*

Quid hîc est vel contta nos, vel non contra vos? Offerri dicit in Ecclesia panem & vinū, quæ ideò visibilia vocat, quia duntaxat secundum accidētia sensibilia sunt panis & vinum; secundum substantiam autem reuera corpus & sanguis Christi, quorum sunt Sacramentum & antitypon, quæq; per se ac principaliter offeruntur. Vos aūt nihil offertis. Dicit etiam, ab iis qui comedunt hunc visibilem panem, spiritualiter carnem Domini comedi, tum quia panis hîc secundum substantiam suam quidem inuisibilem, atque adeò spiritualiter, aliud nihil est, quàm caro ipsa Domini, quæ proinde ore corporis sumitur in illo pane visibili: tum quia ab eo, cuius est mundus animus, sanctè etiam comeditur tanquam cibus spiritualis atque adeò sanctè ab omnibus sumi potest, quantum est ex vi ipsius Sacramenti.

GREGORIVS.

Audiatur, inquis, *Isidorus Hispalensis: Panis & vinum ideò corpori & sanguini Domini comparantur: quia sicut visibilis huius panis substantia exteriorem nutrit & inebriat hominem; ita Verbum Dei, qui est panis viuus, participatione sui, fidelium mentes recreat.*]

FORTVNATVS. *Apud Bertramum lib. de corpore & sanguine Domini.*

Ego in ipso Isidori loco, quem citat Bertramus, hæc non inuenio. Sed ita dicit Isidorus: *Sacrificium*, inquit, *dictum, quasi sacrum*

GREGORIVS. *Li. 6. etymol. non longè à fine.*

sacrum factum, quia prece mystica consecratur in memoriam pro nobis Dominicæ passionis. Vnde hoc eo iubente corpus Christi & sanguinem dicimus. Quod dum fit, ex fructibus terræ sanctificatur, & fit Sacramentum, operante inuisibiliter spiritu DEI. *Cuius panis & vini Sacramentum Græci Eucharistiam dicunt: quod Latinè bona gratia interpretatur. Et quid melius corpore & sanguine Christi.* Hæc tantùm dicit ibi Isidorus, quæ Bertramus etiam recitat, & tu callidè omisisti, quoniam vestro errori clarè aduersantur. Quæ autem præterea recitat Bertramus, quæque tu obiicis, non inuenio in Isidoro, neque habet auctoritatem liber ille Bertrami, quem constat multis in locis esse respersum fermento Berengariano, licet non pauca etiam doceat Catholicè. Sed quamuis ea quoque Isidori essent, quæ hic liber recitat, tamen nihil vos iuuant; ipse enim Bertramus exponit, Isidorum eiusmodi etiam verbis & præsentiam corporis Christi in Sacramento, & transubstantiationem panis in illud, agnoscere. *Panis*, inquit ibi Bertramus, Isidori locum exponens, *qui offertur ex fructibus terræ, cùm sit assumptus, in Christi corpus dum sanctificatur, transponitur; sicut & vinum, cùm ex vite defluxerit, diuini tamen sanctificatione mysterij efficitur sanguis Christi, non quidem visibiliter, sed sicut ait præsens Doctor Isidorus, operante inuisibiliter Spiritu sancto. Vnde & corpus & sanguis Christi dicuntur, quia non quod exterius videntur, sed quod interius diuino spiritu operante facta sunt, accipiuntur. Et quòd longè aliud per potentiam inuisibilem existant, quàm visibiliter appareant, discernit (Isidorus) dum dicit: Panem & vinum ideò corpori & sanguini Domini comparari, quia sicut visibilis panis & vini substantia exteriorem nutrit & inebriat hominem, ita Verbum Dei, qui est panis viuus participatione sui, fidelium recreat mentes. Ista dicendo planissimè confitetur, quòd in Sacramento corporis & sanguinis Domini, quidquid exterius sumitur, ad corporis refectionem aptatur. Verbum autem* DEI *(caro factum) qui est panis inuisibilis, inuisibiliter in illo* EXISTENS *Sacramento, inuisibili participatione fidelium mentes viuificando pascit.* Hactenus de loco Isidori Bertramus. Cuius interpretationis summa hęc est: panem & vinũ visibile (id est, quod secundum accidentia visibilia, panis & vinum est, inuisibiliter autem est corpus & sanguis Christi) ideò corpori & sanguini Christi cõparari, (id est, signum & Sacramentum corporis & sanguinis Christi, in eiusmodi pane & vino existẽtis esse) quia

sicut

ſicut ſubſtantia alioqui huius viſibilis panis (non tamen quæ adhuc in hoc pane poſt ſanctificationem maneat) exteriorem nutrit & inebriat hominem, (id quod etiam facit ſanctificatus panis, per virtutem ſubſtantiæ, quæ in illo manet) ita etiam Verbũ Dei incarnatum in hoc ſanctificato pane exiſtẽs fidelium mentes recreat. Eſt aũt hic locus in illo Bertrami libro, vnus ex his, qui Catholicam ſentẽtiam cõtinent. Vt cùm inter cetera affirmat, *nefas eſſe non ſolùm dicere, ſed etiam cogitare, panem & vinum ſanctificatum, non eſſe inuiſibiliter corpus ipſum & ſanguinem Chriſti.* Quamuis aliàs etiam ille idẽ liber aſſerit (vt antè diximus) errorem Berengarij. Quæ cauſſa eſt, cur hic liber in indice Concilij Tridentini meritò fuerit damnatus.

Audiatur, inquit poſtremò iſte, *Paſchaſius Abbas: Panis quippè & vini ſpecies in exteriori ſunt ſenſu; per quæ corpus & ſanguis Chriſti ſpiritualiter ſumũtur in myſterio: ſicq; precio ſalutis noſtræ interius ſaginamur.*] *Audiatur Fulbertus Epiſcopus: Exere, inquit, palatum fidei: dilata fauces ſpei; viſcera caritatis extende; & ſume panem vitæ, interioris hominis alimentum.*] FORTVNATVS *De corpore & ſanguine Domini.* *Ad Deo datũ.*

Nihil aliud ex his efficitur, quàm quòd Chriſtus in hoc Sacramento non ineſt nec ſumitur ſenſibiliter, vt cibus ventris, ſed inuiſibiliter, vt cibus mentis, qui proinde non ſolùm ore corporis inuiſibiliter, ſed etiam palato fidei, & faucibus ſpei, & viſceribus caritatis, ſit ipſe per ſe comedendus. Ceterùm ad hoc ipſum ſumitur quoque realiter ore corporis in Sacramento, vt iàm ſæpe explicuimus. GREGORIVS.

III. Tertium argumentum Fortunati eſt huiuſmodi: *Impij*, inquit, *& fide deſtituti, ipſum Chriſti corpus non accipiunt; non igitur eſt ſub ſpecie aſpectabili. Ratio conſecutionis eadem eſt, quæ in priori argumento.* FORTVNATVS *fol. 28. b*

Reſpondeo. Falſum eſt antecedens. Suprà enim ex D. Paulo & ex Patribus euidenter probauimus, ipſum corpus Chriſti in Sacramento manducari ab impiis, qui indignè ad Euchariſtiam accedunt: quamuis non etiam hi manducant fructuosè & ſpiritualiter, ſed tantùm Sacramentaliter, verè tamẽ & realiter. Veriſimè namque & Orthodoxè D. Auguſtinus: *Indignè*, inquit, *ſumens Dominicum Sacramentum non efficit, vt quia ipſe malus* GREGORIVS. *Lib. 1. c. 5.* *Lib. 5. de Bapt. contra Donat. c. 8.*

malus est, malum accipiat, aut quia non ad salutem accipit, nihil acceperit: Corpus enim Domini, & sanguis Domini nihilominus erat etiam illis, quibus dicebat Apostolus: Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit; vt alia testimonia suprà citata nunc omittam.

FORTVNATVS *fol. 29. a*

Sed, probatur antecedens, inquit iste, *ex sexto Ioannis: Quicunq; inquit Dominus, carnem meam manducat (loquitur autem de vera sua carne, quam pro mundi vita tradidit, hoc est, de crucifixo suo corpore: non de vnitate membrorum inter se, & cum capite, quippè quam effectum illius esse docet.) & sanguinem meum bibit, is in me manet, & ego in eo. Cùm igitur nec impij in Christo, nec Christus in illis maneat (qui enim spiritum Christi non habet, is ipsius non est) perspicuum est: eos veram ipsius carnem, quæ comeditur, crucifixumq; corpus, nec recipere, nec manducare*.

Rous. 8.

GREGORIVS.

Ex his solùm efficitur, impios non manducare quidem corpus Christi fructuosè etiam, & spiritualiter: de qua manducatione loquitur ibi Christus. Manducant tamen nihilominus illud Sacramentaliter tantùm, atq; adeò ore corporis. Sic etiam & Patres, quos deinde citas, cùm negant, Christum ab impiis manducari, de spirituali manducatione loquuntur; qua scilicet ipse etiam Christus secundum se, vt est cibus animæ palato mentis comedatur, & non tantùm edatur realiter, vt est in ipso Sacramento. Hoc modo sumptum corpus Christi, nempe etiam spiritualiter, asserũt Patres esse pharmacum immortalitatis & antidoton non moriendi, quo qui participes fiant ab æterna morte vindicentur. Ita [a] Ignatius, [b] Iustinus, [c] Irenęus, [d] Tertullianus, [e] Nissenus, [f] Ambrosius, [g] Cyrillus, [h] Augustinus, & alij. De eadem quoque spirituali manducatione intelliguntur ferè illa alia testimonia quæ recitas.

a *Epi.* 11. & 12.
b *In Apolog.*
c *Lib.* 4. & 5.
d *Lib.* 3. *contra Marc.*
e *In orat. catech. c.* 37.
f *De iis qui init. c.* 9.
g *Lib.* 10. *c.* 13.
h *Tract.* 26.
i *In c.* 15. *Mat.*

i *Origenes in Matth. Et hæc quidem, inquit, de typico symbolicoq; corpore. Multa porrò & de ipso verbo dici possent, quod factum est caro, verusq; cibus, quem, qui comederit, omninò viuet in æternum: quem nullus malus potest edere. Etenim si fieri possit, vt qui malus adhuc perseuerat, edat Verbum factum carnem, cùm sit verbum & panis viuus, nequaquam scriptum fuisset:*

FORTVNATVS

set: quisquis ederit panem hunc, viuet in æternum.] *Cum Origene*[k] *Tertullianus consentit. Quidam, inquiens, sic opinantur, quasi Deus necesse habeat, præstare etiam indignis, quod spopondit; & liberalitatem eius faciunt seruitutem.*] *Et ibidem paulò antè: Sed Deus, inquit, thesauro suo prouidet, nec sinit obrepere indignos.*] *Item*[l] *Cyprianus, cùm inter cetera sic scribit: Vna est domus Ecclesiæ, in qua agnus editur, nullus ei cõmunicat, quem Israelitici nominis generositas non commendat.*] *Item*[m] *Augustinus, cùm ait: Ad altare* DEI *inuisibile, quò non accedit iniustus, ille peruenit, qui ad hoc præsens iustificatus accedit.*] *& alibi:*[n] *Non dicendum eum manducare corpus Christi, qui in corpore non est Christi.*] *Et apud*[o] *Prosperum: Escam vitæ accipit, & æternitatis poculum bibit, qui in Christo manet, & cuius Christus habitator est. nam qui discordat à Christo; nec carnem eius manducat, nec sanguinem bibit, etiamsi tantæ rei Sacramentum ad iudicium suæ præsumptionis quotidie indifferenter accipiat.*]

k *Lib. de pœn.*

l *De cœn.*

m *De cons. d. 2.*

n *Lib. 21. de ciu. c. 25.*

o *Lib. Sententiarũ. Prosp.*

GREGORIVS.

Certè est perspicuum, Cyprianum, Augustinum, & Prosperum, non nisi de spirituali manducatione loqui, quæ scilicet afferat salutem, & liberet à damnatione æterna, vt ipse Augustinus docet, vbi ait: non manducare corpus Christi, qui in corpore non est Christi, sicut suprà etiam notaui. Nam alioqui exitium etiam & venenum impiis esse corpus Christi, cum illud in mysteriis Sacramentaliter tantùm accipiunt ad iudiciũ, aiunt Augustinus, & Cyprianus, & alij Patres, vt suprà suo loco ostendimus. Origenes aũt in ea sententia, quam Fortunatus citat, non loquitur de corpore Domini, vt in Sacramento accipitur, quo pacto illud ibi symbolicum vocat, propter symbola Sacramentalia quibus continetur; sed loquitur de eo vt extra Sacramentum quoque spiritualiter percipitur; vt ipsemet Origenes satis significat. Tertullianus etiã in loco, quem iste citat, minimè agit de vsu Eucharistiæ, sed Pœnitentiæ & Baptismi, in quibus negat donũ gratię præberi indignis.

Lib. 21. de ciu. cap. 25.
Lib. l. c. 10.
Lib. l. c. 5.

Argumento II.

IIII. Quarto loco argumentatur Fortunatus ex testimoniis quorundam veterum, qui affirmare videntur, ipsam sub-

Fol. 29. b

ſtantiam panis remanere in Euchariſtia, vt Ambroſius, Gelaſius, Ioannes Conſtantinopolitanus (quem iſte falsò Chryſoſtomum eſſe putat) & Theodoretus. Sed ad hæc ipſa teſtimonia nominatim ſuprà reſpondimus, cùm aſſeruimus ex Scriptura & ex Patribus tranſubſtantiationem. Vbi etiam confutauimus vaniſsimam illam Sectariorum interpretationem, quam iſte hîc repetit: nempe Patres, cùm dicunt, panem tranſmutari & conuerti in corpus Chriſti, non de ſubſtantiali aliqua conuerſione loqui, ſed de accidentali, qua panis fiat Sacramentum & ſignum corporis Chriſti, cùm antea eſſet tantùm panis communis. Euidēs enim ex verbis Patrum eſt, eos de mutatione ipſius naturæ & ſubſtantiæ loqui, vt iam non ſit in pane quod *natura formauit, ſed quod benedictio conſecrauit*, ſicut ait Ambroſius & alij. Lector relegat ſuperiora, ne repetamus.

Lib. 2. c. 7.

Ibidem c. 3.

Fol. 30. a

V. Poſtremò obiicit, quòd prius dedit Chriſtus diſcipulis ſuis panem & vinum, in Euchariſtiam conſecratum per benedictionem & gratiarum actionem, quàm proferret illa verba; *Hoc eſt corpus meum*, &; *Hic eſt ſanguis meus*. Vnde conſequi videtur, neque nunc eſſe eam vim & energiam in his verbis, vt per illa panis & vinum in corpus & ſanguinem Chriſti conuertantur, atque adeò vt corpus & ſanguis Chriſti ſiſtantur præſentia ſub ſpeciebus panis & vini, quemadmodum nos aſſerimus.

FORTVNATVS *folio vltimo in fine.*

Illa, inquit, *verba, hoc eſt corpus, hoc eſt ſanguis, nequaquā conſecrationis verba ſunt: quippè quæ tum demum, teſtibus Apoſtolo & omnibus Euangeliſtis, prolata à Domino ſunt, cùm iam antè diſcipuli fractum & traditum panem acceperunt; immò quod amplius eſt, poſtquam iam, vt Marcus ſcribit, ex poculo biberunt, eoq; panem comederunt. Certè, dum manibus panem Dominus tenebat, ſolennem illam gratiarum actionem, benedictionemq; perſecutus eſt. Vbi nunc vis & ἐνέργεια illorum verborum, qua vel panis ſubſtantia excluditur; vel pani corpus includitur?*

GREGORIVS. Quibus verbis facta ſit à Chriſto cōſecratio, & nunc fiat.

Reſpondeo. Nego non conſecraſſe Chriſtum Euchariſtiam illis verbis: Hoc eſt corpus meum, &: Hic eſt ſanguis meus. Nego etiam, vel Apoſtolum, vel Euangeliſtas omnes, vel etiam

am aliquem illorum teſtari, quòd tum demũ Chriſtus ea verba protulerit, cùm iam antè diſcipuli panem & vinum accepiſſent. Immò contrariũ teſtantur Matthęus, & Lucas, & Paulus, nempe Chriſtum illa verba dixiſſe, non poſtquam panem & vinum dediſſet, ſed tum cùm ipſe acciperet in manus & gratias ageret, & diſcipulis porrigeret, quo ipſo tempore Euchariſtiam per ea verba conſecrauit. Sic enim narrat Matthæus: *Accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis, dicens: Hic eſt enim ſanguis meus.* Item Lucas hoc modo: *Et accepto pane, gratias egit, & fregit, & dedit eis,* DICENS: *Hoc eſt corpus meum, &c. Similiter & calicem, poſtquam cœnauit,* DICENS: *Hic eſt calix nouum Teſtamentum in ſanguine meo.* Item D. Paulus ſic: *Accepit panem, & gratias* AGENS, *fregit, &* DIXIT: *Accipite & manducate, Hoc eſt corpus meum, &c. Similiter & calicem* (puta accepit) DICENS: *Hic calix nouum Teſtamentum eſt in meo ſanguine.* Opinor, Fortunate, non te etiam ignorare Grammaticam, atque adeò ſcire, eam vim eſſe participij præſentis temporis (cuiuſmodi eſt illud, *Dicens, gratias agens, &c.*) vt ſignificatum ſuum referat ad illud idem tempus, quo eadem perſona vel res, aliquid aliud egiſſe, eodem contextu orationis ſignificatur. Quocirca ex verbis Matthæi, & Lucæ, & Pauli perſpicuum eſt, tunc illa verba, Hoc eſt, &c. & Hic eſt, &c. à Chriſto eſſe dicta, cùm panem & vinum in manus ipſe acciperet, & gratias ageret, & diſcipulis porrigeret, non autem poſtquam diſcipuli acceperant. Atque hinc rurſus conſequitur, diuum Marcum, cùm vltimo commemorat illa verba Chriſti, non eundem ordinem in narrando tenuiſſe, qui fuit in ipſa re geſta, ſed vt ſępe ab hiſtoricis fit, id quod prius fuit, cõmemoraſſe poſterius: ſicut etiam fecit Matthæus narrans conſecrationem panis.

Matth. 26. Lucæ 22. 1. Cor. 11.

Porrò, ſic ſe rem habere, vti dicimus, probatur teſtimonio Patrum Latinorum & Græcorum, qui magno conſenſu tradunt, Euchariſtiam à Chriſto conſecratam eſſe, & nunc etiam conſecrari illis verbis: Hoc eſt corpus meum; Et: Hic eſt ſanguis meus. Tertullianus: *Panem,* inquit, *acceptum, fecit corpus ſuum, dicendo; Hoc eſt corpus meum.* Cyprianus: *Summus,* inquit, *Sacerdos panem profert & vinum, dicendo; Hoc eſt corpus meũ. Ante illa verba cibus erat communis. At poſtquam à Domino id dictum eſt, & quotieſcunq;*

Lib. 4. contra Marc.
Serm. de cœna Domini.

cunq; his verbis & hac fide agitur; panis substantialis iste solenni benedictione sacratus, ad totius hominis vitam atque salutem proficit. Ambrosius: Consecrationem, inquit, diuinam ipsa verba Saluatoris operantur. Sermone enim Christi hoc conficitur Sacramentum. Clamat enim Dominus: Hoc est corpus meum. Et ante benedictionem verborum cœlestium, alia species nominatur, post consecrationem corpus Christi est. In eandem sententiam loquuntur etiã alij Patres Latini, vt [a] Augustinus, [b] Hieronymus, [c] Gregorius, [d] Paschasius, [e] Rabanus, [f] Bernardus. Idem testantur Patres Græci. [g] Gregorius Nissenus: *Non quia comeditur panis, corpus Christi euadit; sed statim per verbum in corpus mutatur: & à verbo quidem hoc; Hoc est corpus meum.* [h] Chrysostomus: *Hoc est, ait Christus, corpus meum; Hoc verbo proposita dona consecrantur.* [i] Damascenus: *Dixit Dominus: Hoc est corpus meum; Hoc facite; & omnipotenti eius verbo efficitur, donec veniat.* [k] Germanus Constantinopolitanus: *Ipse dixit: Hoc est corpus meum, &, Hoc facite, quod non dixisset, nisi vim inditurus fuisset, vt id aliis etiam facere liceret.* In eandem sententiam loquitur [l] Origenes & [m] Cyrillus Hierosolymitanus. Quare facessat cum impietate sua Caluinistica Fortunatus, & credat aliquando tandem Christo dicenti: *Hoc est corpus meum*; Et: *Hic est sanguis meus.*

Lib. de iis qui init. c. 9.

a *Serm. 28. de Verb. Domini.*

b *In epist. ad Euagrium. & in cap. 14. Marc.*

c *Lib. 4. Dial. cap. 36.*

d *Lib. de corpore & sanguine Domini, cap. 12.*

e *Lib. de corp. & sang. Dom. c. 34.*

f *De cœna Domini.*

g *In orat. Catech.*

h *Hom. de proditione Iudæ.*

i *Lib. 4. c. 14.*

k *Lib. de Theoria Ecclesiast.*

l *Homil. 9. in Leuit.*

m *Catech. 4. & 5. Mystag.*

APPENDIX,

DE COLLOQVIO MOMPELGARTI

Habito à THEODORO BEZA ET IACOBO SCHMIDELINO.

CVM HÆC Typis excuderentur, venit ad manus meas liber, in quo acta continebantur eius Colloquij, quod de nõnullis fidei quęstionibus, inter Lutheranos & Sacramentarios hostiliter controuersis, habitum est anno superiore Mompelgarti à Iacobo Schmidelino & Theodoro Beza. In eo Colloquio, sanè futili & imperito (neque enim certo ordine, alter respondentis, alter obiicientis personam vicissim ęgit, vt cum lenitate alioqui, & modestia fieri par erat, sed vterq; quidquid libitum fuit, & quamdiu libuit verbosa oratione effutiuit; vterq; sua identidem repetẽs, siue respondere, siue obiicere, & confirmare oportuit, æquo iure vel negauit vel asseruit) quæstio inprimis de reali præsentia corporis & sanguinis Christi in Eucharistia, ab istis tractata est. Sed antequam in Colloquio ipso cõgrederentur, & quasi pedem conferrent, visum ipsis fuit, velut eminus displosis tormentis, pugnare. Itaq; vicissim vnaquęq; Colloquutorum pars sententiam suam paucis thesibus comprehensam, & suis fundamentis confirmatam, alteri parti scripto communicauit. Ac scriptum quidem partis Sacramentariæ Theodorus Beza & eius socij, qui cum eo ad illud Colloquium aduenerant, adornarunt, illiq; hoc ordine & his titulis (vt est in actis)

subscripserunt: Theodorus Beza, Geneuensis Ecclesiæ minister. Abrahamus Musculus, Bernensis Ecclesiæ minister. Antonius Faius, Ecclesiæ Geneuensis minister. Petrus Huebnerus, Græcæ linguæ in Gymnasio Bernensi professor. Claudius Alberius, D. & Professor Philosophiæ in Academia Lausanensi. Hoc scriptum cùm nactus essem, antequam liber meus absolueretur, confutandum hîc ad extremum existimaui, tum quia ad institutum libri mei hoc pertinet, tum quia illud plerumque ineptè confutauit Schmidelinus; tum etiam, vt Lector intelligat, quàm sint exhaustæ Sacramentariorum copiæ, cùm vanitatem argumentorum Bezæ & sociorum eius perpenderit. Nihil enim ferè ad illud Colloquium isti attulerunt, quod non iam his libris expeditum sit. Itaque tantummodò ferè indicandi erunt loci mei libri, in quibus argumenta eiusmodi à me diluta sunt.

Principio autem Beza cum sociis Sacramentariam sententiam in illo scripto ponit, cuius sunt duo pronuntiata, pugnantia cum vera fide, quibus Sacramentarij ab Ecclesia Catholica disident, vt hactenus vidimus. Alterum pronuntiatum est; Cum signis seu speciebus illis visibilibus panis & vini, quibus Eucharistiæ significatio continetur, non esse realiter coniunctas res ipsas significatas, id est, corpus & sanguinem Christi, sed sola relatione seu habitudine, quatenus nimirum per hæc signa, ex ordinatione diuina, repræsentantur & exhibentur. Alterum pronuntiatum, ex priori consequens, est; Res istas per ea signa repræsentatas, puta, Christi corpus & sanguinem, non ore corporis, sed sola mente per fidem percipi. Hæc duo pronuntiata, quæ nos his libris satis superque refutauimus, atque hæretica esse conuicimus, Beza cum sociis probare conatus est sequentibus argumentis, ad quæ breuiter respondendum est, vti proposuimus.

In actis Colloquij, pag. 22.

Pag. 24

REFVTA-

REFVTATIO ARGVMENTORVM, QVÆ CONTRA REALEM CONIVNCTIONEM CORPORIS ET SANGVINIS CHRISTI cum Eucharistia, Beza & socij proposuerunt in Colloquio Mompelgartensi.

PRIMVM, inquiunt, *fundamentum nostrum est, veritas corporis Christi, verè circumscripti & localis, tum ante, tum post glorificationem; quæ veritas stare non potest, si alia ratione dicatur adesse pani Christi corpus, quàm illa relatiua habitudine. Itaq; quot testimoniis illa veritas corporis Christi confirmatur (sunt autem penè innumerabilia) totidem testimoniis realis consubstantiatio conuellitur.* BEZA *In actis, pag.* 22.

RESPONDEO. Sunt quidem penè innumerabilia Scripturæ testimonia, quibus probetur veritas corporis Christi natura sua circumscripti. Sed ne vnum quidem Scripturæ testimonium Sacramentarij numerarunt vnquam, aut numerare possunt, quo monstrent, eam Christi corporis veritatem stare non posse, vt contendunt, cum supernaturali ipsius in Sacramento præsentia, quam Ecclesia Catholica nō per consubstantiationem (nihil enim nobis commune est cum Confessionistis, Panistis) sed per transubstantiationem asserit ex certissima Christi sententia, vt suprà lib. 1. cap. 3. 4. 5. 6. & lib. 2. cap. 2. 3. & 4. planum fecimus. Aut numeret nobis adhuc Beza vnum aliquod Scripturæ testimonium tale. Hoc dum non facit, minimè ille quidem contra realem Christi præsentiam in Sacramento ex innumerabilibus, vt inquit, Scripturæ testimoniis argumentatur (nisi innumerabilia vocat ea, quæ cùm sint nulla, numerari non possunt) sed ex mero suo Bezano capite, quod siue ob imperitiam, siue ob incredulitatem, GREGORIVS.

siue

siue potiùs propter vtrumque capere non potest, quemadmodum nulla, neq; Scriptura, neque euidens ratio repugnet, quò minus veritas Christi corporis cum eius præsentia supernaturali in sanctissimo Sacramento consistat. Id autem à nobis explicatum satis atque defensum est suprà lib. 1. cap. 11. & lib. 3. cap. 2. 3. & 4. Audiamus igitur reliqua fundamenta Bezæ:

BEZA pag. 23. *Secundum; Quot locis confirmatur vera & physica corporis Christi discessio à terris in cœlos, & eiusdem de cœlis reuersio, extremo demùm illo die futura: tot locis refutatur illud ipsum dogma, his ex diametro repugnans.*

GREGORIVS. Rursus deficit Bezam probatio ex Scriptura pro isto *diametro*, quo malus Mathematicus, nec Theologus melior, cõminiscitur, pugnare cum Sacramentali Christi præsentia discessum præteritum eiusdem ex mundo, & futurum aduentum in mundum. Nos enim neque ex diametro, nec ex vllo latere ista inter se pugnare perspicuè defendimus suprà lib. 3. cap. 4. pag. 206. Non enim Christus substantiâ suâ discessit ex mundo secũdum omnem omninò locum mundi (sic enim non esset in cœlo) neq; etiam secundum locum eundem, vbi in Sacramento fuerit: item neq; veniet propriè ad locum, vbi in Sacramento erit; sed discessit ex mundo secundum eos locos, vbi nullo modo mansit (vt ex monte Oliueti) & veniet ad locum, vbi nullo modo illo tempore iudicij erit, vt homo, antequam veniat. Præterea discessit etiam omninò à terris, secundum modum quidem ordinarium, quo visibiliter cum hominibus versabatur. Quapropter sua veritas constat illis Scripturæ testimoniis, quæ sunt de Christi discessu ex hoc mundo, & aduentu futuro, etiam si Christus Sacramentali, & inuisibili modo reuera præsens apud nos in Eucharistia, quibusdam in locis contineatur.

BEZA pag. 23. *Tertium; Expressè dicit Paulus 2. Cor. 5. Nos nunc peregrè abesse à Domino; Et, vt sit cum Christo, cupit dissolui; iubens sic nos superna quærere, non temerè addit, vbi Christus est ad dexteram Dei sedens; quod superuacaneum esset, si adhuc in terris nobiscum versaretur.*

Sili-

Si licet ex hac obiectione coniecturam facere, non magno tenetur desiderio Beza Christum in cœlo videndi. Nam si felicitatem esse duceret, in cœlo ipsum, vbi spectabili modo existit, conspicere; non iudicaret superuacaneum fore, illum ibi quærere, si apud nos inuisibili ratione in Sacramento continetur. Hinc iam lucescit, quid sibi Paulus velit, cùm ait, nos, dum sumus in corpore, peregrinari à Domino, seu peregrè abesse à Christo. Nempe significat, nos minimè ibi esse, vbi Christi conspectu frui liceat, in cœlo nimirum, vbi duntaxat est Christus visibilis. Quod verissimum est, etiamsi nobiscum in terris sit Christus inuisibiliter, tum secundum diuinitatem vbique, tum etiam secundum humanitatem in Sacramento, vt ex eiusdem Christi verbis ac promissionibus planum fecimus in his libris. Hanc esse mentem Apostoli Pauli, ex ipso potuit Beza discere nisi errore excæcatus fuisset. In eodem siquidem loco Apostolus disertè interpretatur, quidnam sit, peregrè nos iam abesse à Domino: *Per fidem enim*, inquit, *ambulamus, non per speciem.* Adde quod nemo Catholicorum dicit absolutè, Christum in terris nobiscum versari, vt Beza hîc loquitur. Non enim adest nobis ordinario modo, quē verbum *versari* indicat, sed planè supernaturali & diuino. GREGORIVS.

Itidē (vt alia innumera testimonia prætereamus) testatur Christus expressis verbis; se ire ad parandum locum, vbi suos est recepturus. Ex quo efficiuntur duo: Vnum, abiisse ipsum in certum locum, cùm hunc mundum desereret. Alterum, qui sunt in mundo, non esse cum Christo, id est, non esse eo in loco, vbi nunc est caro Christi; sed exeuntes è mundo, in eum locum recipi, vbi iam Christus est, id est, in paradisum; sicut ipse explicat, latronem illum compellans, Lucæ 23. BEZA pag. 23.

Frustra Beza in eo confirmando, quod nemo Catholicorum negat, se fatigat, vel potiùs Lectorem decipit. Scilicet Beza nobis Doctore opus erat, vt sciremus, nos dum sumus in hoc mundo, nondum esse in cœlo cum Christo, sed exeuntes è mundo in eum locum recipi. Quis hoc non plus satis experitur? Illud autem est, quod Beza neque Scripturæ vllo testimonio, neque ratione euidenti probare vnquam poterit: GREGORIVS.

Nempe, si Christus iam in cœlo sit; nec ibi nos iam simus cum illo; consequens esse, vt non etiam sit in Sacramẽto nobiscum in terra. Hæc consequentia nullo Scripturæ testimonio, aut rationis præsidio nititur, sed à Sacramentariis fingitur imperitè, vt suprà lib. 1. c. 11. & lib. 3. c. 2. & 3. perspicuè ostendimus.

BEZA pag. 23. *Quartum; Affirmamus perpetuum hunc fuisse veteris Ecclesiæ consensum, de vera essentia carnis Christi, ex quo in cœlos ascendit, à nobis absentia: Et perpetua eiusdem essentiæ carnis Christi, nunc in cœlis, non in terris positæ, circumscriptione organica & localitate; quæ cum alia Sacramentali coniunctione, quàm cum illa χετικῇ & relatiua cohærere non magis possunt, quàm simul stare contradictoria.*

GREGORIVS. Contradictionis ratio (si meminit Beza) in affirmatione & negatione posita est. Cùm autem dico: Christus in cœlo est secundum substantiam suam: Et; Christus secundum substantiam suam in terris est, per coniunctionem cum Sacramento, non solùm relatiuam, siue χετικὴν, sed planè realem ac veram; nihil nego, sed tantùm affirmo. Quare minimè pono contradicentia. Quod verò, ne sequatur quidem ex tali affirmatione vlla contradictio, explicaui suprà lib. 1. cap. 11. & lib. 3. cap. 2. & 3. ad quos locos remitto Lectorem ne repetam. Consensus igitur Ecclesiæ veteris de Christi existentia in cœlo non astipulatur Bezę oppugnanti eiusdem Christi existentiam in Sacramento; præsertim cùm non minus euidenter hanc etiam existentiam Christi realem in Sacramento testificetur consensus veteris Ecclesiæ, vt abundè suprà lib. 1. cap. 5. & 6. monstratum est.

REFVTATIO ARGVMENTORVM, QVÆ CONTRA VERAM ET ORALEM PERCEPTIONEM CORPORIS ET SANGUINIS CHRISTI, Beza & socij proposuerunt in Colloquio Mompelgartensi.

BEZA in actis, pag. 24. PRIMO; *Etsi corpus Christi, quod in cœna sumendum præbetur, est verum corpus organicum: tamen analogia poscit, vt qualis est alimonia, & eius*

finis,

finis, talis sit illius alimoniæ percipiendæ modus. Atqui, rei Sacramentaliter significatæ, id est, carnis & sanguinis ipsius Christi, alimonia & finis sunt spirituales, id est, ad spiritualem coniunctionem cum Christo, & vitam æternam ex illo hauriendam spectant: Spiritualem ergo earundem rerum percipiendarum modum esse necesse est; & animæ instrumento proprio, id est, fide, tam in verbo simplici, quàm in Sacramentis peragi.

GREGORIVS.

IN HOC argumento, quod video passim maximi fieri à Sacramentariis, quatuor vitia sunt. Primum vitium est, quòd vt maximè totum argumentum cõcederemus, tamen non id probat, quod per illud probare instituunt Sacramẽtarij contra nos; scilicet carnem & sanguinem Christi TANTVM spirituali modo, & non etiam corporali percipi in Sacramento debere; sed solùm probat id, quod sine controuersia verum est, & nos etiam fatemur, nempe debere sanè percipi spirituali modo per fidem perfectam charitate. Hæc directò est conclusio illius argumenti, sicut à Beza hîc propositum est, & nõ alia, vt consideranti argumenti propositiones facilè patebit. Nihilominus tamen sua quædam alia consistet analogia inter hunc cibum & modum percipiendi ipsum, si simul etiam sumatur modo corporali; ea videlicet, quòd cùm ex corpore constemus, & corporalibus rebus assueti simus, aptissimè per res corporales salus spiritualis nostra diuinitus procuratur, vt à diuo Chrysostomo, & Damasceno, & ab aliis Patribus notatum est.

Quatuor vitia in potissimo argumento Bezæ.

Chrysost. hom. 83. in Matth. Damascenus lib. 4. cap. 13.

Secundum argumenti vitium est, quòd ita exstructum est, vt non modò non probet sententiam Sacramentariorum, sed etiam possit à nobis contra illam pro nostra commodissimè retorqueri; nimirum hoc modo: Analogia postulat, vt qualis est alimonia & eius finis, talis sit illius alimoniæ percipiendæ modus: Atqui res Sacramẽtaliter hîc significatę, id est, caro & sanguis Christi, sunt alimonia, non modò spiritualis secundum suum effectum & modum, quo mentem nutriunt, sed etiam secundum se corporalis; verum enim & organicum corpus Christi in Sacramento præbetur, vt ipse Beza agnoscit; Item finis etiam huius alimoniæ non solùm est spiritualis, sed

etiam corporalis, nempe futura corporis immortalitas, vt ex
Lib. 5 cap. 2. sententia Christi diuus Irenæus disertè confirmat. Corporalem ergo modum earundem rerum percipiendarum esse, necesse est; atque adeò corporis item instrumento propriè, id est, ore peragi oportet.

Tertium vitium est, quòd ex eiusmodi quadam Sacramẽtariorum imaginatione argumentum istud proficiscitur, quæ possit similiter illos in ethnicismum planè & abnegationem totius Christianæ religionis impellere. Cogitant enim non debere corporali modo seu instrumento corporis, aut per corpus geri, quod ad spirituale mentis commodum est institutum. Id si ita est, non debebit igitur Baptismus, qui ad spiritualem animæ regenerationem institutus est, per aquam, & in corpore administrari; immò nec debuisset verbum diuinum veram carnem assumere, neque verè in carne pati, neque in carne resurgere, neque in carne ascendere in cœlum, neq; in carne venire ad iudicium, quandoquidem hæc omnia ad hominum spiritualem salutem instituta sunt, vt suprà lib. 3. cap. 4. contra Fortunatum, isto Bezæ argumento vtẽtem, ratiocinabar, vt ipsi ponerem ob oculos barathrum impietatis, in quod præcipitabitur nisi resiliat ab istis fundamentis Bezanis & Caluinisticis. Nos in eo fundamento firmiter consistimus, quod à Christo positum est, cui placuit nimirum, vt ex ipsius corpore & sanguine in Eucharistia vitam spiritualem, instrumento etiam corporis, id est, ORE, hauriremus: Nam *accipite*, inquit, *& manducate* (ORE videlicet) *Hoc est corpus meum.* Ac præclarè Tertullianus istud Christi consilium, spiritualia commoda per corporis instrumentum cõmunicandi, & nominatim spirituale alimentum animi per oralem manducationem Christi carnis, his verbis declarat: *Caro*, inquit, *abluitur, vt anima emaculetur. Caro vngitur, vt anima consecretur. Caro signatur, vt & anima muniatur. Caro manus impositione adumbratur, vt & anima spiritu illuminetur.* CARO *corpore & sanguine Christi* VESCITVR, *vt &* ANIMA *Deo saginetur.*

Lib. de resur. carnis, cap. 8.

Quartum argumenti vitium est, quòd ex vocabulis ambiguis procedit; quorum ambiguitas, si per distinctionem tollatur, illicò apparet nihil minus per eam argumenti formam

Sacramen-

Sacramentarios concludere, quàm id quod instituunt. Cùm enim in prima argumẽti propositione ait Beza, talem esse debere modum percipiendæ alimoniæ, qualis est alimonia & finis eius; vel intelligit debere esse planè similem, per conuenientiam nimirum in aliquo prædicato, quod sit cõmune tum alimoniæ & eius fini, tum etiam modo illam percipiendi; vel solùm intelligit debere esse modũ qualicunq; tãdem ratione aptum, & proportionatum alimoniæ, & eius fini, ita videlicet, vt aptè & commodè ad effectum & finem alimoniæ conferat. Si priori modo intelligit; vt intelligere se indicat, cùm deinde assumit, alimoniam & finem esse *spiritualem*, ac proinde idem prædicatum (nempe *spirituale*) debere conuenire percipiendi modo, vt scilicet is quoque sit spiritualis duntaxat; si ita, inquam, intelligit, propositio est planè falsa. Nam necessaria analogia alimoniæ, & modi percipiendæ alimoniæ, non requirit talem similitudinem, sed solùm proportionem aliquam. Exempli caussa: Inter carnes quæ sunt alimonia Bezæ in die sancto Parasceues, & modum quo Beza percipit hanc alimoniam ore, analogia sufficiens est, hoc ipso, quòd aptè confert hic modus ad effectum & finem eius alimoniæ, nempe vt substantia Bezæ nutriatur; quãuis minimè hic modus percipiẽdi sit etiã aliqua substantia, sicut ipsa alimonia est substantia, & etiam finis eius, nempe substantia Bezæ per nutritionem acquisita: non enim est illa comestio carnium, nisi quidam motus & operatio, qua peccat alioqui Beza contra præceptum Ecclesiæ mortaliter. Si autem Beza posteriori modo propositionem argumenti suam intelligit; vera quidem est; sed ex illa non deberet in eo argumento determinatè concludere, quòd oporteat modum percipiendæ spiritualis alimoniæ esse spiritualem, sed tantummodò licebit concludere, necesse esse, vt is modus sit talis, qui aptè conferat ad effectũ & finem spiritualis alimoniæ. Talis autem modus esse potest, non solùm ille spiritualis per fidem, sed etiam alter corporalis, vt antè confirmauimus, tum ex Christi sententia & institutione, tum præclaro testimonio Tertulliani. Possem pluribus aliis modis vanitatem ostendere istius argumenti, in quo Sacramentarij perfidiæ suæ quasi arcem constituunt; sed hæc suffi-

cient, vt Lector perspiciat, quàm sit Beza egregius argumentator.

BEZA pag. 24. *Deinde terrena signorum terrenorum sumptio, pignus est alterius, nempe spiritualis illius; ac proinde voces comedendi & bibendi, sicuti propriè de signorum sumptione, sic* FIGVRATE *de rebus significatis dicuntur, Sacramentali* METONYMIA, *qua quod signis competit, rei significatæ attribuitur.*

GREGORIVS. Si modus quidem ordinarius comedendi & bibendi cogitetur, quem etiam *comedendi & bibendi* voces significant; non inuiti fatemur, figuratè has voces vsurpari, cùm his significatur ipsarum rerum significatarum perceptio, vt suprà lib. 1. c. 10. docuimus ex Augustino. Non enim corpus ipsum & sanguis Christi in hoc Sacramento percipiuntur illo modo ordinario, quo solet aliquid comedi aut bibi, nempe in propria specie, & ad nutritionem corporis. Si autem cogitetur ipsa veritas per se realis sumptionis, quam præcipuè & directò significant voces *comedendi & bibendi*; negamus omninò figuratè vsurpari istas voces, cùm his significamus perceptionem ipsarum rerum significatarum, nempe corporis & sanguinis Christi. Verissimè enim hæ res ore corporis percipiuntur, non minùs quàm species ipsæ panis & vini, aut alius cibus & potus, vt ex sententia & institutione Christi, & testimonio totius antiquitatis conuicimus in primo libro.

Ac sanè inepta & præter rem est consequentia illa, qua hîc vtitur Beza pro sua figura metonymiæ, quoad ipsarum rerum significatarum perceptionem. Terrena, inquit, signorum terrenorum sumptio, pignus est alterius sumptionis, nempe spiritualis illius, puta, qua corpus ipsum & sanguis Christi ab anima per gratiam recipitur. Ergo corpus & sanguis Christi non etiam sumitur propriè ore corporis, sed tantùm figuratè sumi ore dicitur; siue (vt statim Beza rursus concludit) Ergo vtraque sumptio ore peragi nec potest, nec debet. Quid hoc argumenti est? Primùm enim, terrenorum signorum sumptio non tam pignus est sumptionis spiritualis corporis & sanguinis Christi (quæ in ipso vsu Sacramenti simul peragitur) quàm futuræ vitæ æternæ, ad quam ius adoptionis quoddam accipitur per Sacramentum, beneficio promissionis, & Testamẽti Christi:

ti Chriſti: iuxta illud: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum,* Et: *Hic calix nouum Teſtamentum eſt in meo ſanguine.* Et illud Auguſtini: *Eos, à quibus hic cibus ſumitur, immortales & incorruptibiles facit in ſocietate Sanctorum, vbi pax erit, et vnitas plena, atque perfecta.* Quod D. Irenæus & alij Patres ſimiliter aſſerunt.

Ioan. 6. Lucæ 22. 1. Cor. 11. Tract. 26. in Ioan. Lib. 5. cap. 2.

Deinde, vt concedam etiam, ſumptionem externorum ſignorum, quatenus confirmat fiduciam noſtram, de percipienda gratia, eſſe quoque quaſi pignus ſpiritualis ſumptionis corporis & ſanguinis Chriſti per gratiam; ineptè tamen, & præter controuerſiæ ſcopum inde Beza colligit, hanc ſumptionem ſpiritualem corporis & ſanguinis Chriſti non fieri etiam ore corporis. Nos enim minimè aſſerimus, ſumptionem eam metaphoricam corporis Chriſti, quæ fit ſpiritualiter per gratiam, ore corporis peragi, ſed actu fidei, caritate perfectæ, quo tanquam palato ſuo quodam mens ſola (non corpus) gratiæ donum percipit. Ore autem corporis etiam peragi dicimus ſumptionem veram, licet inuiſibilem, ipſiuſmet Chriſti corporis, tanquam cauſſæ, vnde illa gratia promanat, & cuius energiâ perficitur alia illa ſumptio ſpiritualis per gratiæ donum. Itaque propriè quidem, non duas tantùm (vt Beza facit, rem confundens) ſed tres in propoſito ſumptiones diſtinguimus: vnam viſibilem ipſorum ſignorum; alteram inuiſibilem, ſed veram tamen & realem rerum ſignificatarum, puta corporis & ſanguinis Chriſti; tertiam metaphoricam & merè ſpiritualem earundem rerum, non ſecundum ſe, ſed duntaxat ſecundum earum effectum, puta ſecundum donum gratiæ. Primam & ſecũdam affirmamus, vel potius affirmauit Chriſtus, ore corporis peragi; non autem tertiam.

Adde, quòd neque ob eam cauſſam tertia illa ſumptio ſpiritualis, ore corporis non peragitur, quia ſumptio altera externorum ſignorum, quæ ore perficitur, ſit aliquo modo illius pignus, vt ineptè Beza concludit: ſed quia peragitur ſecundum gratiæ donum, cuius os corporis nequaquam eſt capax. Alioqui nihil impediret, quò minus vno & eodem inſtrumento pignus rei, & res ipſa perciperentur. Vt pignus, quod datur pro pecunia ſoluenda, & ipſa pecunia cùm ſoluitur, eâdem

dem manu capi solent. Quamobrem, licet præterea Bezæ concederemus, sumptionem externorum signorum non modò sumptionis spiritualis per gratiam, sed etiam sumptionis veræ ipsius corporis Christi esse quoddam pignus; tamen non rectè inde concluderet, hanc veram sumptionem corporis Christi minimè fieri eodem ore corporis. Potest enim, vt dictum est, pignus rei & res vno & eodem instrumento percipi, quando vtrumq; tale est, vt vtriusque sit capax idem instrumentum; sicut in proposito os corporis non modò signorum externorum, sed etiam ipsius corporis Christi inuisibiliter in signis contenti, particeps esse potest. At probat rursus Beza fieri non posse, vt vtraque res, nempe signum externum, & corpus Christi, ore corporis sumatur.

BEZA pag. 25. *Quia*, inquit, *aut vtraq; res esset hac ratione pignus tertiæ alicuius rei, toto genere diuersæ; aut earum altera esset suiipsius signum & pignus; siue simul signum & res significata; siue pignus & res ipsa, cuius pignus esset; quod vtrumq; est absurdissimum. Quamobrem etiam in hoc ipso argumento, ab Irenæo res illa cœlestis appellatur, & à terrena distinguitur.*

GREGORIVS Sed quomodo, quæso, Irenæus cœlestem illam rem (hoc est, Filium Dei incarnatum, qui propter nos homines, & propter nostram salutem, descendit de cœlis) à re terrena in Eucharistia distinguit? Nempe ita, vt simul asseueret, Eucharistiam ipsam, quę certè non in cœlo, sed in terra est, non solùm ex re terrena, sed etiã ex re illa cœlesti CONSTARE. *Qui est*, inquit, *à terra panis percipiens inuocationem Dei, iam non communis panis est, sed Eucharistia, duabus rebus* CONSTANS, *terrena et* COELESTI. Continetur igitur in Eucharistia, atque adeò in Eucharistia percipitur ore corporis res quoq; illa cœlestis. Sicut etiam ibidem paulò antè disertis verbis Irenæus affirmauerat, *eum panẽ, in quo gratiæ actæ sint, corpus esse Domini.* Quare miror, quid in illa sententia Irenæi Beza somniauerit errori suo Sacramentario patrocinari. Nisi fortè putauit, Filium Dei incarnatum, ex quo constat Eucharistia, cœlestem rem ab Irenæo idcircò vocari, quoniam tantummodò sit in cœlo, ac proinde ore corporis non percipiatur. Atqui Irenæus ex hac re cœlesti dicit constare Eucha-

Lib. 4. cap. 34.

ristiam,

ristiam, quæ est in terra: Vnde sequitur, eam rem cœlestem esse quoque in terra. Deinde rem cœlestem Irenæus appellat nõ ideò propriè, quia sit in cœlo, & multò minus quia sit tantùm in cœlo, sed quia, vt antè dictum est, de cœlo descendit per incarnationis mysterium. Quemadmodum ea ratione Christus antè etiam, quàm in cœlum ascenderet, erat *de cœlo cœlestis*, vt Apostolus loquitur. 1. *Cor.* 15.

Sed illud præterea videamus, quod hîc Beza, minimè vel rem, vel seipsum intelligens, obiicit de pignoribus. Si vtraq; res, nempe signum & corpus Christi, percipitur ore corporis; aut vtraque res (aiebat) esset hac ratione pignus tertiæ alicuius rei toto genere diuersæ; aut earum altera esset suiipsius signum & pignus; siue simul signum & res significata; siue pignus & res ipsa, cuius pignus esset; quod vtrumque est absurdissimum. Respondeo, nihil istorum esse absurdum, nedum absurdissimum, modò rectè omnia intelligantur. Nam primò possunt signum externum & corpus Christi, vt percipitur in eo signo, pignus esse alicuius rei tertiæ diuersæ, nempe futuræ vitæ æternæ, vt suprà ex Irenæi & Augustini, immò ipsius Christi sententiâ, dictum est. Quid enim impedit? Secundò potest etiam res altera ex illis duabus, nempe Christi corpus, quatenus quidem Sacramento sensibili subest, & in eo accipitur, esse signum & pignus suiipsius sub alia ratione, nempe quatenus percipitur ab anima spiritualiter per donum gratiæ. Quod tantundem est, atque vsum quendam vnius rei, puta corporis Christi, esse signum & pignus alterius cuiusdam vsus eiusdem rei: vt si quis, verbi gratia, accommodato daret vsum fructum alicuius rei, pro pignore, quo confirmare vellet, se postmodum collaturum eiusdem rei dominium, atque adeò plenum vsum.

Et quidem quòd Christi corpus, quatenus speciebus sensibilibus Sacramenti subest, & in eis percipitur, dici possit quasi pignus & signum suiipsius absolutè, & vt percipitur spiritualiter per donum gratiæ, aut etiam vitæ æternæ, difficile ad intelligendum non est. Nam vt Lantfrancus ad hoc ipsum propositum rectè argumentatur: *Non iustè quisquam mouebitur, si eadem caro Christi, idemq; sanguis, suiipsorum Sacramenta existant secundum* *Lib. de Sacramento, circa medium.*

cundum aliud ac aliud accepta, cùm ipse Dominus IESVS *post resurrectionem suam suiipsius diuersa temporum ratione typum gesserit & figuram. Apparens enim duobus discipulis, locutusq; eis, quantum satis esse iudicauit, dum finxit se longiùs ire, sicut beatus Augustinus dicit, significauit, se post paucos dies in cœlum ascensurum esse; quod iter longè remotissimum est à communi hominum vita.* Ac passim sancti Patres docent, sacrificio corporis Christi incruento, quod in Eucharistia fit, immolationem Christi factam in cruce repræsentari. Quod tantundem est, ac eundem Christum, vt in Eucharistia sacrificatur, esse sui signum, vt est immolatus in cruce. Præclarè enim diuus Gregorius Magnus: *Licet Christus resurgens à mortuis iam non moritur, & mors ei vltra non dominabitur: tamen in seipso immortaliter atque incorruptibiliter viuens, pro nobis iterum in hoc mysterio sacræ oblationis immolatur. Eius quippè ibi corpus sumitur, eius caro in populi salutem partitur, eius sanguis non iam in manus infidelium, sed in ora fidelium funditur. Hinc ergo pensemus, quale sit pro nobis hoc sacrificium, quod pro absolutione nostra passionem vnigeniti Filij semper* IMITATVR. Sic etiam D. Damascenus affirmat, carnē ipsam & sanguinem Christi, vt in Sacramento percipiuntur, *esse figuras rerum futurarum*, hoc est, vitæ æternæ, qua Christi conspectu fruemur.

Luc. 24.

Lib. 4. *dialog. cap.* 58.

Rom. 6.

Lib. 4. *cap.* 14.

Accedit præterea huc ratio. Nam etsi Christus, vt in Sacramento existit, & percipitur, minimè cognitioni sensus per se pateat; cognoscitur tamen ibi certissimè ab intellectu per fidem, clarissimis Christi verbis & testamento confirmatam: atque eatenus signum & quasi pignus esse potest, tum vitæ æternæ futuræ, tum suiipsius, vt per donum etiam gratiæ spiritualiter ab anima nunc percipitur. Nihil igitur hactenus, quod sit alicuius ponderis, Beza attulit. Nunc reliqua perpendamus.

BEZA *pag.* 25.

Secundò; Si substantia ipsius corporis Christi ore perciperetur, maneret quoque ipsa saltem in piis & fidelibus; qui proinde fierent substantialia membra Christi; vnde consequeretur aliud absurdissimum, Ecclesiam videlicet non esse mysticum corpus Christi, sed corpus quoddam ex substantia ipsius corporis Christi, & piorum omnium corporibus reipsa & essentialiter conflatum.

Equidem

Equidem vix possum vllis verbis explicare satis, quanta me istud argumentum Bezæ, propter summam rationis leuitatem, admiratione affecerit. Siccine Geneuensium ille magister, & Bernensium aduocatus, in Colloquio de religione argumentatur? Sed respondeamus vno verbo: Manet omninò substantia corporis Christi, non modò in piis ad salutem, sed etiam in impiis ad iudicium, tamdiu solùm, quamdiu in illis species panis incorrupta manet; quia non diutius in ipsis manet Sacramentum Eucharistiæ, in quo percipitur ore corporis Christus. Hinc verò nihil minus sequitur, quàm id, quod Beza planè Caluinisticè, hoc est, leuissimè infert, nempe fidelium corpora, in quibus ita Christus manet, fieri substantialia membra Christi. Non enim substantia corporis Christi aliter nobiscum in Sacramento vnitur, quàm secundum indistantiam localem (licet minimè locali, sed alio admirabili modo) & secundum operationem, qua in mentibus nostris gratiam præsens efficit, si conscientia non sit impura. Res autem, quæ isto vnionis modo alteri rei coniugitur, nequaquam fit propterea substantiale membrum illius, sed quæ vnitur in vna natura, & hypostasi. Alioqui Deus & Angelus, qui loco adsunt homini, & in eo quippiam operantur, membra essent ipsius; Itemq; Christus, cùm ægrotos præsens tangebat, & in eis sanitatem corporis & mentis operabatur, mẽbrum substantiale fuisset illorum; id quod nemo, nisi delirus, ac ne delirus quidem aliquis, concedet. GREGORIVS.

Sed fortasse cogitauit hîc hallucinans Beza, conuerti corpus Christi in substantiam pij hominis Eucharistiam suscipientis, si illud ore corporis suscipitur, atq; idcircò fieri per eam cõuersionem substantiale membrum hominis, non secus, quàm alium cibum. At quis non videt, hanc phantasiam esse insanissimam? Primùm enim, non eo consilio præbet se nobis Christus ore percipiendum, vt nutriat, instar aliorum ciborum, corpus; sed vt animam, fide & caritate, & ardentiori affectu erga ipsum præsentem, atque adeò tanti mysterij admiratione præparatam, pascat spiritualiter per donum vberioris gratiæ. Itaque non in corpus suscipientis, vt alij cibi, conuertitur, sed integer & incorruptus gratiam in animo o-

peratur, atque eatenus est cibus non ventris, sed mentis, vt lib.3.cap.3.4.& 5.Fortunato explicauimus. Deinde, si Christi substantia eodem modo in substantiam piorum conuerteretur, non deberet Beza ad extremum colligere (vt hîc facit) Ecclesiam tunc esse corpus quoddam ex substãtia ipsius corporis Christi, & piorum omnium corporibus reipsa & essentialiter conflatum; sed, nullũ omninò amplius supereſſe Christum, postquam vel semel ab aliquo pio in Eucharistia perceptus est. Quomodo enim supereſſet, si iam est in alterius substantiam conuersus?

Perspicuum est igitur, esse vanissimum totum istud argumentum Bezæ, neque habere vllum exitum. Etsi enim Christi substantia nobiscum in Sacramento coniungatur; tamen quia & integra manet, & à nostra substantia, naturæ suæ, atque hypostasis vnitate distinguitur; nequaquam communicatione Eucharistiæ, efficimur corpus Christi naturale, sed mysticum, qua ratione nimirum à Christo influxum vitæ spiritualis participamus, similiter atq; membra à capite. Quæ cùm ita sint, nullo negotio à nobis etiam refelletur illud alterum æquè stupendum, vel potius dicam, æquè stupidum Bezæ argumentum, quod sequitur.

BEZA pag. 25.

Tertiò; Cùm caro illa Christi vinculũ sit, quo pij omnes in vnicum corpus mysticum coalescunt; necessariò efficeretur, non esse separatas substantias seu personas piorum: sed sicut cum capite Christo, ita inter se suis reipsa essentiis, & personis cohærere. Cõtrà verò cùm spiritualis sit, & tamen verissima & arctissima, illa fidelium membrorum inter se connexio, adeò quidẽ, vt vnum cor, & vna anima esse dicantur; consequitur, spiritualiter quoq; illa, & per fidem cum suo capite coniungi. Qui cum propterea, sicut vnum corpus, nempe mysticum; ita etiam vnus spiritus esse dicuntur, & per spiritum Christus in eis habitare.

GREGORIVS.

Miror tam tenue ac fragile filum argumenti non potuisse ab illo saltem musculo Bernensi ita corrodi & infringi, vt priusquam Mompelgarti à Beza & reliquis sociis proponeretur, illius istos puderet. Constat enim argumentũ hoc totum duabus consequentiis, quibus nihil esse potest debilius ad Sacramentariam

mentariam sententiam confirmandam. Altera consequentia est huiusmodi: Pij suscipientes Eucharistiam, suis re ipsa personis & essentiis cum capite Christo cohærêt, si corpus Christi percipitur ore corporis: Ergo etiam inter se suis essentiis coalescunt, nec sunt separatæ substantiæ ac personæ. Consequêtiam probat Beza, quia caro Christi est vinculum, quo pij omnes in vnicũ corpus Christi coalescunt. Quo fit, vt eâdem ratione coalescant inter se, & cum Christo.

Respondemus vno verbo, falsum, immò etiam delirum esse huius consequentiæ antecedens, vt planissimum fecimus in responsione ad præcedens argumentum. Quare insanum est etiam consequens. Vt enim pij, quamuis Christi corpus ore sumant, non vniuntur cum Christo vnitate alicuius naturę vel hypostasis, ita neq; inter se, sed solùm mysticè per communionem fidei, & charitatis, & gratiæ, & Sacramentorum, & officiorum, quæ sibi tanquam membra vicissim in Ecclesia præstant, vt ab Apostolo explicatum est. *Rom.* 12. 1. *Cor.* 12.

Altera Bezæ cõsequentia huiusmodi est: Fidelium membrorum inter se connexio spiritualis est: Ergo etiam coniunctio illorum cum suo capite Christo. Respondeo. Nihil hîc concluditur contra nos, aut pro Sacramentaria sententia. Nam controuersia non est, vtrum fideles coniungantur cum Christo spiritualiter per donum fidei, charitatis, & gratiæ, tanquam membra cum capite; id quod solum hoc argumento concluditur. Hanc enim coniunctionem omnes sine controuersia concedimus. Sed quæstio est, vtrum non hæc coniunctio efficiatur etiam, vel perficiatur per talem Eucharistiæ vsum, quo sumatur ipsum corpus Christi ore corporis, & eatenus etiam reipsa nobiscum Christus coniungatur secundum indistantiam loci, Sacramentali modo. Sacramentarij negant. Nos affirmamus, & probamus multis modis ex testimoniis diuinis, & totius antiquitatis, vt videre est suprà lib. 1. Siue enim ad figuras respiciamus, quæ in Scriptura exstant, huius Sacramenti, vt ad manna, & agnum Paschalem, & panes propositionis; quas oportuit esse lõgè inferiores, cùm fuerint *vmbra* tantùm; siue ad eiusdem Sacramenti promissiones, quæ exstant apud Ioan. cap. 6. siue ad eius institutio- *Hebr.* 11.

nem, quæ exstat Matth. 26. Marci 14. Lucæ 22. 1. Cor. 11. siue ad eius vsum, quem describit Apostolus 1. Cor. 10. & 11. siue ad eius vim & effectum, qui constat ex eisdem locis; omnia planè clamãt, ipsum Christum reuera in Eucharistia ore corporis percipi ad eum finem, vt, quemadmodum dictum est, vnio illa spiritualis nostri cum Christo, tanquam membrorum cum capite, perficiatur, per vberiorem gratiam à Christo præsente in animos nostros manantem. Neque contra hoc quidquam à Beza hîc concluditur. Audiamus igitur postremum eius argumentum.

BEZA pag. 25. *Quartò; Merè spiritualem esse, & fidei instrumento peragi Christi Dei & hominis coniunctionem cum Ecclesia sponsa sua; liquet ex eius coniugij quasi liberis, qui fructus iustitiæ appellantur. Qualis enim est prolis conditio, talem etiam oportet esse, tum conceptionem, tum generationem, tum etiam ipsum coniugij modum.*

GREGORIVS. Primùm, iam antè docuimus, euerti omnia Christianæ religionis mysteria per Sacramentarium hunc argumentandi modum, quo isti inferũt, oportere rem esse spiritualem duntaxat, & non corporalem, si effectus, seu fructus, ac finis illius sint spirituales. Omnium enim earum rerum, quas Filius Dei homo factus vel gesit, vel instituit; effectus, fructus, & finis est spiritualis, nempe salus nostra. Et tamen illa omnia gesit, & instituit in corpore; immò ad eam rem ipsemet etiam induere corpus humanum dignatus est. Cùm enim non ex spiritu tantùm, sed etiam ex corpore constemus; hæc ratio per res corporales nobis subueniendi, commodissima nostrę naturæ est. Rectè enim diuus Chrysostomus: *Si tu,* inquit, *incorporeus esses, nuda ipsa dona incorporea tradidisset tibi: Quoniam verò corpori coniuncta est anima tua; in sensibilibus intelligenda tibi traduntur.* Homil. 83. in Matth. Quãuis igitur effectus & fructus vnionis Sacramentalis Christi nobiscum, spiritualis sit, tamen nihil hoc impedit, quò minus ea instrumento corporis peragatur, & verè etiam fiat reipsa secundum coniunctionem realem carnis nostræ cum Christi carne, vt suprà lib. 1. cap. 5. argumento 10. sanctos Patres affirmantes audiuimus.

Deinde

Deinde reſpondeo, argumentum hoc Bezæ ex ratione coniugij ſpiritualis, quod intercedit Chriſto cum Eccleſia, petitum, non pertinere ad rem inter nos & Sacramentarios controuerſam. Nos enim non docemus peragi ore corporis coniunctionem eam Chriſti nobiſcum, ſecundum quam ſpiritualiter ille dicitur ſponſus noſter, atque adeò Eccleſiæ; immò ne illam quidem, ſecundum quam ſpiritualiter dicimur Chriſti membra, & ille noſtrum caput. Hæ namque duæ coniunctiones, vel potiùs hæ duæ rationes coniunctionis Chriſti nobiſcum, non fiunt niſi ſecundum dona gratuita, quibus à Chriſto mentes noſtræ afficiuntur; quæ dona ab ipſo animo noſtro immediatè, non aũt ore corporis percipiuntur. Sponſus enim noſter ideò Chriſtus per metaphorã dicitur, quia inſtar ſponſi, ſeu mariti, diligit nos, atq; adeò dono gratiæ afficit. Caput aũt noſtrum per metaphorã ideò etiam appellatur, quia donũ fidei, aut etiam gratię, & charitatis infundit in nos, non ſecùs, quàm ſolet caput in membra vigorem diffundere.

Nihil igitur Beza probat cõtra nos, cùm propterea quòd fructus immediati, ſeu proximi huiuſmodi coniunctionum ſunt ſpirituales, concludit, eiuſmodi etiã coniunctiones eſſe ſpirituales, & non fieri ore corporis. Hoc enim nos etiam fatemur. Sed aſſerimus præterea, coniungi etiam nobiſcum Chriſtum in Euchariſtia quodam alio modo coniunctionis, qui licet ad ſpirituales illas alias coniunctiones, vel efficiendas, vel perficiendas, atque adeò ad earum immediatum fructum inſtitutus ſit, tamen ſit corporalis, & idcircò ore corporis peragatur, & omnibus, qui ſuſcipiunt Euchariſtiam, contingat, etiamſi ſua culpa non eouſq; pertingãt, vt & Chriſtus ſit illorum ſponſus, & ipſi eius membra. Quemadmodum præter illos duos coniunctionis ſpiritualis modos, ad eos tantùm ſpectantes, qui aliquorum ſpiritualium donorum participes fiunt; alio etiã quodam reali & corporali modo cum omnibus hominibus Dei Filius coniunctus eſt, hoc ipſo, quòd corpus humanũ induit eiuſdem naturæ ſpecificæ, cuius noſtrum eſt. Vt enim hunc modum cõiunctionis teſtatum diuinitus in ſacris literis habemus, ita etiã & illũ Sacramentalem, vt libris ſuperioribus abundè confirmauimus.

Atque

Atque hactenus ad illa argumenta responsum est, quibus Beza cum sociis realem Christi præsentiam & sumptionem in Eucharistia, Mompelgarti, vt initiò dixi, oppugnare conati sunt. Reliqua verò, quæ aut non sunt in hac quæstione cõtroversa, aut citra scriptum Beza cum Schmidelino de eadẽ ipsa quæstione collocutus est, prætereunda esse putaui; tum quia non satis scio, vtrum meliori fide à Tubingensibus acta istius Colloquij edita sint, quàm edita aliquando fuisse acta Colloquij Maulbrunensis aduersaria pars fuit conquesta; tum quia ipsimet collocutores noluerũt adhiberi certam fidem huiusmodi actis, si quæ ederẽtur; quemadmodum in fine libri pag. 564. ipsimet Tubingenses, quò fidem libro ipsi suo derogarent, testati sunt, vt sunt scilicet circumspecti & sapiẽtes; tum denique quia reliqua, quæ Beza fertur de ea re loquutus, eiusdem sunt farinæ cum his, quæ iam à nobis confutata sunt, neq; ab eis differunt. Dominus & Sacramentariis, & Lutheranis omnibus det cor & mentem ad credendum, vt sciant saltem aliquando vbinam sit

CHRISTVS.

Laus DEO, *& beatissimæ* VIRGINI, *sanctissimæ Dominæ nostræ.*

Libros hos tres de reali Christi præsentia in Eucharistia, & de transubstantiatione, &c. tanquam eos, qui Catholicam veritatem hac in parte fortissimè & clarissimè adstruunt, hæreticam falsitatem fortissimè & clarissimè destruunt, typis & lectione plurimorum dignissimos iudico,

ALBERTVS HVNGERVS, Professor Theologus, & Procancellarius ACADEMIAE *Ingolstadiensis.*

INDEX

INDEX

RERVM PRAECIPVARVM QVÆ IN HIS LIBRIS CONTINENTVR.

Apostoli.

VERBA *Institutionis simpliciter dicta, simpliciter acceperunt. pagina.17. Metaphorarum præsertim difficilium petebant explicationem. ibidem. Ab illorum personis sumitur etiam argumentum pro præsentia Christi in Sacramento. pag. 17.*

Argumenta hæreticorum contra præsentiam realem.

ARGVMENTA *ex Scriptura petita soluuntur.pag.59.& seq. Argumẽta ex Patribus soluuntur. 67. & seq. Argumenta petita ex ratione. 77. Argumenta Fortunati soluuntur. 224. vsque ad finem libri, & passim toto libro III.*

Argumenta hæreticorum contra transubstantiationem.

DVCTA *ex Scripturis soluuntur. pag.102. Ducta ex Patribus.104. Ducta ex ratione.112. Argumenta Fortunati contra eandem expediuntur. pag. 224. & seq.*

D. Augustinus.

DOCET, *vnde proprietas sermonis in Scriptura sit cognoscenda. pag. 12. In Eucharistia corpus Christi est iudicio illius.27.& alibi. Explicat eleganter illud: Ferebatur in manibus suis.29. Quo sensu dixerit, sanguinem esse animam pecoris.68. & 69. Agnoscit transubstantiationem.95. & 96. Explicantur sententiæ eius cõtra Fortunatum.172.173.183.196. & seq.204. Explicatur contra Kemnitium.109.*

Beza.

NEGAT *Virginitatem D. Virginis in partu. 149. Soluuntur eius argumẽta, quæ proposuit in Colloquio Mompelgartensi. 247. & seq. Et quale illud Colloquium fuerit. 245. & 246.*

Berengarius.

CVR *auctor dicatur hæreticorum Sacramentariorum. pag. 8. Quater fuit damnatus & conuictus. 9. D. Fulberti de Berengario adhuc puero vaticinium. 8. Moritur piè. 9.*

Caluinus.

NON cõstat sibi in doctrina de præsentia Christi in Eucharistia. 50. 52. Vnio Sacramentalis quam fingit, vana est. 49. Præsentia Christi in Eucharistia quam comminiscitur aut nulla est, aut secundum solum effectum est, aut secundum indistãtiam localem. 49. & toto cap. septimo. Fatetur se sequi Berengarium. 11. Mendacium eius de transubstantiatione. 99. Malè citat Scripturam. 61. Fuco verborum præstinguit simplicium oculos. 52. Argumentatur contra Eucharistiam ex modo vnionis hypostaticæ. 123. Negat Christum clausis foribus ad discipulos ingressum. 142. Negat Christum clauso sepulchro egressum. 149. Caluiniana argumentandi forma totam Christianam religionem euertit. 205. 207.

Capharnaitæ.

FVERVNT *ex primis Sacramentariis. pag. 3. & alibi. Putabant Christi carnem instar aliarum carnium esse edendam. 24. Illorum interrogatio; Quomodo, fuit cum execratione. 126. & 127. Ac similiter nunc Sacramentarios cum execratione interrogare de hoc mysterio, & esse Capharnaitas. 125. vsq; ad 128.*

Christus.

TVLIT *se manibus suis. 30. Carne sua alit suos. ibid. Sacrificauit seipsum. 35. Comedit suummet corpus. 34. & 35. Fuit in vltima cœna cibus & conuiua. 23. Apparuit D. Paulo in via. 133. In templo. 139. In carcere. 134. & 139. Nunquam deseruit cœlum postquam corpore illuc ascendit. 132. & seq. Eodem tamen tempore duobus in locis fuit. 133. & alibi passim. Asseritur modus, quo Christus est in Eucharistia. 129. Habet ibi*

suam quantitatem & accidentia. 131. 201. Penetrauit ianuas clausas. 142. & seq. Resurrexit clauso sepulchro. 147. & seq. Natus est inuiolatis. D. Matris claustris. 149. & seq. Quo sensu Christus dicatur aperuisse vuluam. 155. & seq. Qua ratione sit cibus non ventris, sed mentis. 162. Christum discessisse ex mundo, & manere in Sacramento, quomodo contradictionem non implicet. 206. Vnio cum Christo, quomodo sit effectus Eucharistiæ. 203.

Consecratio.

QVIBVS *verbis facta fuerit à Christo, & nunc etiam fiat. pag. 242. & sequentibus.*

Corpus.

VNVM *corpus posse esse in pluribus locis, probatur contra Caluinistas, primùm ex Scriptura. à pag. 132. vsq; 160. Deinde ex Patribus. à 160. vsque 164. Tertiò ratione. à pag. 164. vsq; 180. vbi ratio redditur, quare sine contradictione vnum corpus possit esse in pluribus locis. Quomodo sit præsens Christi corpus in pluribus locis. 128. & seq. Vnitas corporis non tollitur multiplicata præsentia in loco. 164. Corpori naturaliter competit, vt sit vno in loco, & quidem commensuratiuè; supernaturaliter autem eidem conuenire potest, vt sit in pluribus sine commensuratione. ibidem, & seq. Quale Christi corpus edatur in Eucharistia. 232. Quomodo corpus Christi crucifixum edatur in Sacramento. ibidem.*

Deus.

QVÆNAM *possint fieri per Dei omnipotentiam. 132. Quomodo intelligi debeat, Dei ordinem esse immutabilem. 167. 168.*

Eucharistia.

CONSTAT *ex duabus rebus, quarum altera est cœlestis iuxta Irenæum; & quid hinc efficiatur. 256. Antiquitùs deferebatur domum. 22. Postea prohibitum fuit. 40. Veteres diligenter cauebant, ne quid humi decideret. 23. & 39. Moris fuit Eucharistiam adorare. 37. & 38. Sumebatur etiam olim ab ieiunis. 39. Dare non ieiunis censebatur scelus. ibidem. Non ostendebatur infidelibus, nec fidelibus non baptizatis. ibid. Sumebatur à morientibus pro viatico. 40. Ob Eucharistiam ipsa etiam va-*

am vasa sacra religiosè tractabantur, & ex pretiosa materia conficiebantur. 40. & 41. Ob Eucharistiam religiosiùs tractabatur etiam panis communis. 42. Adhibebatur ad spectra pellenda. ibidem. Cur Eucharistia vocetur panis. 62. 63. 102. & seq. & alibi. Quomodo Eucharistia differat à Sacramentis veteris legis. 184.

Fortunatus.

NESCIT *quæ dicatur media, inter duas extremas, sententia. pag. 120. & 121. Nescit fundamentum doctrinæ Sacramentariæ. 122. Nescit modum argumentandi. 124. Pugnantia loquitur. 126. Quærit cum Capharnaitis, Quomodo? ibid. Nescit prædicamenta* quantitatis, *situs & vbi. 129. Negat Christum in terra à Paulo visum. 135. Malus est Philosophus. 140. 129. 136. 137. 158. 165. 166. & alibi. Malus Theologus. 142. 159. & passim alibi. Pessimus Christianus. 149. vbi Virginitatem D. Virginis in partu in dubium vocat, ac negat. Corrumpit diui Hilarij locum. 145. Impudenter affirmat, quod ignorat. 163. Nescit quid sit locus, & quid sit esse in loco. 167. Irascitur relationi æqualitatis. 170. Ipse se non intelligit. 177. Renunciat sententiæ Sacramentariæ, nesciens quid dicat. 185. Repugnat sibi & Caluino. 186. 232. Eludere conatur clarissimum D. Damasceni testimonium. 211. Item Theophylacti. 218. Abutitur ad suum errorem testimonijs Patrum. 228. & sequentibus.*

Iudas Iscariotes.

EST *parens & dux Sacramentariorum, sicut eorum qui Iesum comprehenderunt. pag. 4. & 11.*

Kemnitius.

INEPTE *exponit verba Institutionis. 86. & sequent. Deprauat insignem locum D. Ambrosij. 94. Quomodo explicet testimonia Patrum pro transubstantiatione. 92. Mendacia illius. 101. Magistrum sent. mala fide citat. 104. Refutatur etiam. pag. 87. 88. 90. 91. 95. 103. 104. 107. & sequentibus.*

Patres.

PROBATVR *præsentia Christi in Eucharistia septendecim argumentis, ex Patribus exstructis. pag. 21. & sequent. Verba Institutionis acceperunt*

runt Patres sine tropo. ibidem. Affirmant, Christum ore sumi. 23. 24. 33. 34. 193. Quidam conceptis verbis explodunt interpretationem Sacramentariam. 25. Vtuntur magna dicendi vi ad persuadendum, Christum esse in Eucharistia. 27. Ex præsentia Christi in Eucharistia refutarunt sæpe hæreticos. 31. & 32. Mali secundum Patres verè sumunt corpus Christi. 33. 34. 204. Valdè reuerenter loquuntur de Eucharistia. 36. Proponuntur septem obseruationes, quibus obscuriores Patrum sententiæ commodè explicari possunt. 67. & sequent. Patres transubstantiationem agnoscunt. 92. & sequent. Docent, Christum per clausas ianuas ingressum. 144. & sequent. Docent, D. Virginem peperisse Christum integra virginitate. 150. & sequent. Consitentur fieri posse, vt corpus sit in pluribus locis. 160. & sequent. Respondetur ad ea illorum testimonia, quibus abutuntur Caluinistæ contra præsentiam. 67. vsque ad 77. Item ad ea, quibus & Caluinistæ, & Panistæ abutuntur contra transubstantiationem. 104. vsque ad 112. Item ad alia quibus abutitur Fortunatus. 172. 173. 212. & sequent. & 229. 230. 235. 236. 237. 238. 239. 241.

Realis præsentia Christi in Eucharistia.

PROBATVR ex variis erroribus hac ipsa de re ortis. pag. 3. vsque ad 11. Ex verbis Institutionis. 11. & sequent. & 185. Ex aliis Scripturæ locis. 18. & 180. & sequent. Ex Patribus. 21. & sequentibus. & 208. vsq; ad 224. Ex praxi Ecclesiæ. 37. Ex illis quæ Caluinus cum suis concedit. 43. & sequent. Ex miraculis. 50. Ex propria vi huius mysterij, eiusq; difficultate. 193. & sequent. Ex propria ratione Eucharistiæ. 197. 204. Ex infinito Dei erga nos amore. 200. & sequent.

Proprietas.

PRAESENTIA vno in loco qualis sit proprietas corporis. 176. Quid sit proprietas naturalis. 177. Proprietas ex essentia fluens, actu separari potest per absolutam Dei potentiam ab essentia. 178. & alibi. Si argumẽtum Caluinistarum, ex ratione proprietatum ductum, valeat, similiter debere eos concludere, Christum non esse iam impassibilem, &c. 176. & sequentibus.

INDEX.

Sacramentarij noui.

QVOS maiores habuerint. pag. 3. vsque ad 11. & 128. Explicatur Sacrament. sententia, 10. & 11. Scandalizantur ob Ascensionem Christi, sicut Capharnaitæ. 66. Sunt veri Capharnaitæ. 127. Non asserunt verè, sed mendaciter veram Christi præsentiam. 189. Quàm impiè negent, verum corpus alicui esse posse, vbi non sit visibile. 65.

Transubstantiatio.

QVID sit transubstantiatio. 80. Qui eam negent. ibid. & 81. Lutheranorũ inconstantia circa transubstantiationem. 82. Probatur ex verbis Institutionis. 83. & sequent. Ex Patribus. 92. & sequent. Ex Eucharistiæ figuris & fine. 99. Ex definitione Ecclesiæ. 100. & sequent. Absurda doctrinæ Lutheranæ de modo quo Christi corpus affirmatur de pane. 89.

Verba Institutionis.

QVAM variè explicentur à Sacramentariis. 10. Lutherus fassus est verba Institutionis esse clara. 16. Probatur propriè & sine tropo ea esse accipienda. 12. vsque ad 19. & 187. & sequent. Explicantur verba illa; Hic calix nouum Testamentum est, &c. 60. Quid demonstretur per pronomina Hoc & Hic. 14. 19. 60. 84. 224. & sequent. Qua formula ex verbis Institutionis demonstretur, non affirmasse Christum de pane vt de pane suum corpus. 227. Quomodo etiam ex verbis Institutionis probetur modus quo Christus est in Sacramento. 129.

D. Virgo.

VIRGINITAS eius in partu asseritur ex Scriptura & ex Patribus contra Caluinistas. 150. & sequent. Quid sit Mariam in partu Virginem fuisse.

FINIS.

Errata sic corrigenda.

Pagina 8. linea vltima, lege; In Cõcilio Romano & Vercellensi. 10. 23. lege. 1524. 15. 2. deleantur illa verba; Et apud Lucam Græcè habetur. Substituantur autem hæc; Quod perinde est atq; si dixisset. 20. 27. participes. 27. 19. addatur in margine locus Augustini, lib. 3. de Trin. cap. 4. 33. 15. alij. 53. 27. Si solem. 97. lin. penult. efficit. 101. 33. expressè. 107. 9. Eutycheten. 137. 1. vt maximè. 143. 26. quæ. 145. 12. quid. 146. 8. clausæ. 162. 21. aliqua. 187. 11. contenta. 188. in margine in fine, lib. 1. c. 3 196. 33. externa. 202. 20. erga. 205. 26. sed. 209. 29. inquit. 214. 30. Eucharistia. 227. 20. pro, interpretationis, lege, institutionis. 241. in margine coniunge illa verba (lib. 1. cap. 5.) cum illis (Argumento II.) 250. 7. essentiæ. 252. 4. proprio. 260. 3. eo.

BIBLIOTECA
BOSSOLI

Kazanie krotkie o Męce Panskiej
W: Ojcza Stepana Tuciusza
Soc: Jezu przed Gregorzem XIII
Papiezem w dzien wielkie⁹ Piotku.

Smutne zbawiciela naszego zamordowa:
nie przeblogosławioni Ojcze płakania
a krotki mowi potrzebanie. Bo iest z przy:
na cłoinemu płakaniu same iakieklowiek
takiego okrucienstwa przypominanie.
Dla tego gołą tilo poniesc rzeczy
iako sie cwiała przed oczy waszę
przelaze czego ozdobic niebende
mogł tego waszim politowanim dokładaicie
Naprzod co może bydz nad początek
tey okrutnosci sroszego, Mistrz wcz:
wi swemu staie przed tainym cłowarzym
i głowa odkupicielia staie sie zapla:
cą zdradzieczna. W wieczernika
złosliwa sie zdrada vmyslila na Ra:
tusz sie wyciała pocałowaniem sie wy:
konała obieszeniem sie skończyła

Z obrazu Rosy

powstaią na niezbroinego związani
iesteś niewinny i głowa ij srzodło
sprawiedliwosci naszij wlecz ona w
po vlicach. Stalą sie pospolstwu
prostemu posmiewiskiem, vstępuie
szalenstwa mądrosc złościom Nabo-
zenstwo prawo i przistoinosc krzy
wctom i Maiestatu zelziwoscią w
domach i drugrach Biskupiech za
niezbożnego obwołani iesteś tęn
ktory iesteś. Poswieceniem. Kapłanow
w pałacu krolewskim za głupiego
osądzoni tęn przez ktorego kro-
low ie krolują ij zakonodawci spra-
wiedliwie skazuią. Starosteś po-
tępia na własne piotrom karanie
tego ktori będąc Panem wszitkiego
ch ieśteś niemoże nic miec cobi bo-
mu wictźirac miał. Biią go roskrwa-
wiaią vostawgiwaią poszkielki odnosi
iako chłopiec niewstydliwi, bicz uią go
iako sprosnego niewolnika w ciemie
koronuią iako vrzędow pragnącego
Zgładzienia. Na obywatelia swego
Zatwią

Zydowie, a obcy obzalowanego bromia.
Nalegaią Kapłani, wola Ciuc, Starosćie
Serona powodowa rosłaßuie i Prawo Sędzie=
mu skarßąci daią i boiaßn Starościna potę=
pieniem ieść niewinnego, kładą na spra=
cowanego krzyż do noßenia ciężar okru=
tßni na polu żiwemu, aby pierwi ciężą=
rem mogły swi ścisnigni być niżly boleśaią
Miedzi szalonem wołaniem prowactßonij
na Golgotße i na wisoki Subienici ieść s
obieżąmi, aby tak iasnie w swoiej żelżiwości
widomie stawał w twarzach tßen który
iasnieisßi ieść nadgrzaßci nienasiciło się
onim powießeniem okrucieństwo żelaśem
przebitße ręce i nogi wisiały. Dwaście co być
cieżkiego zawießenie cały przypadek do niego?
Coś? mamli przypomnic w suchym pragnie=
niu Macoßinski napoi? Coś wspominać na
sławne dowarßistwo iarnego ciotwo stwa
do swiadectwo? Co wspominać słabości
na polu żiwy patrzanie i płakanie ij odbieżenie
Odmior przyjmowek żądła i miesca Kalwa=
ryey swomotßne ij trudne żiwego ij zamie=
rającego dokonanie ij żiwota s śmiercią

bioctßenie

O iako wielie maß wiecznj Mece O iako wielie
smierci wiecznj smierci? Ztumiraicie sie
Nieba a wstyd acie sie, aby tberas slonce
waße swiecic mialo gdy wieczne slonce
zacmione iest. W3trzygaicie sie ziemo bo
tben na zubienici dr3zy ktorego sie
moca ciezar twoi tr3ymaia. Targai sie
zaslono Koscielna bo sie ciało tbego
targa ktori taiemnie w twoich pr3i=
bytkach zakryłbe nagosciq swoiq od=
kryl kamienie 3 miekczaicie sie
na zalosc gdy ludzkie serca kamieniq
otworscie sie groby, aby 3 3was se=
dziowie wyszły ktor3iby takie 3biro
okrucienstwo potepiły. O niesłacowana
Boski miłosci wielkosc. O niepogarnana
moci Boski 3iczliwosci twoie tbo kryiestwo
i roskładiwanie miłosc wodzem była do
stworzenia miłosc tbemus P. Bogu wo=
dzem iest cierpienia. Twoia moc
iest ktorys stworzył, twoia niemoc
ktorys znowu stworzył kazales kro=
luiącemu słubic 3 nieba do stainy
poslałego 3 Majestatbu na 3ubienice
Bylbis coś wiekszego niżły Bog byś czym
mogł byc. inaczi niżły Bog. Tedy

Abij Narodu naszego twarca ij Zbawi-
ciela Jezu Krystusie, ktory mocni wolnosci na-
szy wybawicielu i obronca, ktori dzis
to placisz czegos nierzjstarl, ktoris od
gorskosci iagod naszych zdretwial, tsy
ktoris ciezar zakonnich taiemnic noszjsz
i lewitickich offiar rozmaitosc w przedzi-
wną iednego ciala i krwie twoiey
offiarą Zebracies wracajl. Ilsa prze-
slotka milosci twoiey gorocosc i plo-
mien zapal w sercach naszich, abij
nam bila wiecznij naszi ku tsobie wdzie-
czności wonna kadzona offiara a w
smutkach pocieszą i w przygodach lekar-
stwem i na piekło obrona twoiey i
naszi miłosci znakiem przezdecią swiatob-
liwosci zadatkiem dzis dzjetwa ij pra-
wem Synowskiego sposobienia y krol-
lestwa wiecznego. A m e n ——

Anno dni in sexcentessimo primo: M. junii

De Miraculis sanitatum propter imaginum veneratione
extat exemplum apud Eusebium Libro 7 Historiæ
Cap. 14. ubi refert ab ea mulier quam Dnm cura-
vit a sanguinis fluxu statuam aëream Salvatori
erectam. Servatam autem quandam sub ipsa statua
nasci consuevisse qua ubi crevisset usq; ad fimbriam
imaginis eamq; attigisset omnium malorum qua curabat
Cui miraculo eundem esse Deum approbare voluisse
sacrarum imaginum cultum.
De sanitatibus concessis divinitus iis qui Sanctis
aliquid vovenant sunt innumerabilia apud veteres
testimonia sed insigne testimonium extat apud
Theodoretum qui Libro 8 ad Graecos. Q. de
Martyribus scribit suo tempore templa Mar-
tyrum fuisse plena tabellis nobis simulacris ma-
nuum, pedum oculorum, capitum, et caterorum
humanorum membrorum quibus indicabantur varia
dona sanitatum quas Sancti rei votorum a Sanctis
Martyribus acceperant.
Extructio seu ornatus templorum ab anno 666 capit
quo anno Cadaversarii Antichristi apparuisse volunt
Audiant Lutheranos Eusebium ex versione Ruffini Libr. 9. Hist.
Eccl. Cap. 10. (sic scribit) Ex quo adeptæ sunt ecclesiæ
munere infusa fidelibus maxime videntibus ea loca quæ paulo
ante impiis tyrannorum machinis fuerunt destructa, radiantia con-
structione clariora et celsiora consurgere templaq; excelsa
pro humilibus Conventiculis extitisse.
Audi Cyrillum
Hierosol. Cateches. 14. Isti qui nunc sunt vates pietatis
ejus auctoris indumenta et auro sanctam Dei Ecclesiam
Resurrectionis, in qua nunc summum exstruxerunt, et auratis
monimentis splendidam effecerunt.
Presbyteros esse studentes in omnibus probat 1 Tim. 5.
Adversus presbyterum accusationem noli recipere nisi sub
duobus aut tribus testibus ad Hebr. 13 obedite præpositis
vestris et subjacete illis 1 Cor. 11. Caetera cum veneratione disponam
2 Cor. 13. ne non parcam divinis agam eadem potestate
quam dedit mihi Dnus. Et quidem Regia auctoritate non est
simplex actus judicandi sed vera præfectura in rebus politicis
id est potestas regendi inter subditos imperando et pu-
niendo. Ita etiam Episcopatus non est simplex officium
prædicandi ut est aliorum multorum qui concionantur, et non
sunt Pastores sed est vera præfectura Ecclesiastica id est
potestas regendi inter fideles divinitus data. Divinus
ac providus imperandi ac puniendi.

Pontifices non tenentur per se concionari et Sacramenta
ministrare. si iusta aliqua de caussa impediantur, sed
satis est si cuique pervalies ista omnia prestari.
Aliqui Episcopi ad impossibilia obligarentur. Nullus
enim esset tam exiguus Episcopus qui possit per se sufficere
ad concionandum et Sacramenta ministranda in tota
sua diocesi. Sicut ergo satisfacit si in eo loco ubi
per se non potest per alium concionatur. Ita
satisfacit si in omni loco pervalies concionetur.
Nec desunt exempla Antiquitatis scribit. Possidius
in vita Beati Augustini Sanctum Valerium Epi-
scopum Hipponensem commisisse S. Augustino
presbytero suo officium predicandi, propterea quod
ipse cum graece esset non posset Latino populo predicare
Et ibidem Possidius refert in Orientali Ecclesia
plures Episcopos munus predicandi quod ipsi per
se exequi nequibant Presbiteris suis demandari solitos.
Nec tu dicere possumus nos S. Valerium nos alios
qui per se non predicabant verbum dei Episcopos non fuisse.
Cyrillus Hierosolymitanus Syricio antiq. uior
in Catechesi 5 Mystagogica. Cum hoc Sa-
crificium ingrui offerimus, facimus mentio-
nem eorum, qui ante nos obdormierunt
primum Patriarcharum, Apostolorum, Martyrum,
ut Deus orationibus illorum Suscipiat pre-
ces nostras: et in Liturgia Basilii.
Mendacium est Calistum ieiunia instituisse
Mendacium quoq; Pelagium memoriam mortuorum
Anniversaria Missa deducere. Nam Tertulli-
longe antiquior Pelagio Papa Libro de Mona-
gamia meminit Anniversaria oblationes pro
defunctis. Et Libro de Corona militis dicit
Suffragia pro defunctis Apostolica
traditione descendere.

OPRAWĘ WYKONANO
w prac. introl.-konserwat.
Biblioteki „Ossolineum"
Data 24.5.63 podpis


IHS